7

Job
1606




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
22 — E
71
ROMA

Feuardentij Hom. in Epist. Iob.

BEATI


IOB, PATRIARCHÆ,

PROPHETÆ, ET MARTYRIS HISTORIA, VIGINTI ET QVINQVE

Homilijs per Aduentum Domini explicata. Quatuor quoq; Disputationes eius, cum Amicis Antagonistis, paucis comprehensæ. Per R. P. F. FRANCISCVM FEVARDENTIVM. Ord. Minorum, Parisiensem Theologum.

Adiecta est etiam orthodoxa grauisq; censura eiusdem S. P. Ephræm de præcipuis fidei Christianæ Capitibus hoc sæculo controuersis. Cui additæ sunt Notæ eiusdem R. P. F. Feuardentij.


Bonus homo, de thesauro suo profert noua & vetera Matth. 12. & 13.







PARISIIS,
Apud CLAVDIVM CHAPPELET, via Iacobæa sub signo Vnicornis.
1606.
Cum Priuilegio Regis.



AD CAROLVM TVRGOTIVM, SACRI Consilij, in Rothomagensi Curia Senatorem.

VEterum Patrum nostrorum monimenta referunt, homines quosdam fuisse improbos & impios, qui diuinum beati Iob Librum, non modo à sacrorum albo expũgerent; sed & inter aniles fabulas reiicerẽt, tanquam nullum inter canonicos Bibliorum codices locum mereretur. Iudæi namque Talmudis sui ordine 4. tractatu 3. non tantum vniuersam istam historiam damnant, verumetiam nec ipsum beatum Iob aliquando inter homines extitisse, volunt admittere. Hos duces cæcos sequutus Lutherus, scripsit, se non credere cunctis (vt in hoc libro referuntur) fidem esse habendam: sed fabulæ potius quoddam præbuisse argumentum. Anabaptistæ huius proles,

Quidam Iudæi.

Lutherus lib. serm. conuiuialium.

Anabapt.

aiunt Hebraicam esse fabulam, cuius initium Tragœdia, finis autem Comœdia sit: homines ad quæuis impia, nefaria, dirave proponenda & asserenda, vt promptißimi, sic etiam audacißimi nunc nunc reiiciendi.

In primis autem, bene habet, quòd verpos acrecutitos illos, etiam ex grege suo nati, refellunt Rabbi Leui ben Gerson, & Rabbi Salomon, qui Commentariis in eundem Librum editis, illum inter sacros & diuinos libros referunt. Fuerunt quoque Rabbi Mose ben Naaman, Rabbi Abraham Prizol, & Rabbi Mose Gerundensis, qui scriptis suis illum ipsum probare & illustrare conati sunt. Atque sic impia gens mole ruit sua.

Conficiatur etiam à propriis emissariis & satellitibus Lutherus. Huius ergo sannas proculcant Discipuli eius & Anabaptistarum delirationes dãnant rigidi Lutherani, Matthæus Iudex, & Ioãnes Wigandus, sancti Iobi antiquissimam censentes Historiam vt potè, quæ à Mose Hebraico sermone scripta sit, & à Septuaginta illis Græcè reddita. Denique Borrhaius, Brentius, Oecolampadius, Pellicanus, Caluinus, Lucas Osiander, &c. non infimi Lutheri admiratores, in eundem Librum, tanquam

Syntagmate vet. Test. col. 76.

Canonicum, scripserunt. Atque sic mentita est iniquitas sibi, & veritas inermis, de falsitate quantumuis armata, triumphat. Ps. 26.

At verò, etiam longè firmiorem habemus Propheticum, Apostolicum, (imò Diuinum sermonem, cui diligenter attendere, ac animis omnino acquiescere debemus,) Ezechielis nimirum, per quem dicit Dominus: Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas: sed nec filios, nec filias liberabunt. *Ergo vt reapse fuerunt Noë & Daniel, & vera certáque sunt cuncta, quæ de illis in sacris referuntur; ita de beato Iob constanter sibi persuadendum.* Ad *hæc, in libro sancti Tobiæ (quem Hebræi, Græci, Latinique magno consensu velut sanctum, legunt, de eodem Iob scriptum est:* Sicut beato Iob insultabant Reges, ita isti (Tobiæ seniori) parentes & cognati eius irridebant vitam eius. *Et paulò antea:* Hanc tentationem permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancti Iob. *At nemo dubitat Tobiam fuisse, veramque quam de illo sacra referunt historiam. De veritate ergo huius Iob historiæ* 2. Petr. 1. Ezech. 14. Tob. 2.

nihil vnquam ambigendum. Duorum Prophetarum verbis, totidem accedant in Apostolicæ testificationes.

Diuinus Paulus ex libro Iob citat tanquam ex diuino codice: Scriptum est: Compre-
1. Cor. 3. hendam sapientes in astutia eorum: *quod*
Iacob. 5. *Iobi cap. 5 ad verbum habetur. Denique B. Iacobus ait:* Sufferentiam Iob audistis, &c. *Itaque afflictionum eius historia, & in Synagogis Hebræorum, & in Ecclesiis tam Græcorum, quàm Latinorum, tunc palam & legebatur, & exponebatur, & audiebatur, & recipiebatur.*

Can. 75. *Neque hîc prætermittendus est Canon apostolicus ad omnes Christianos:* Sint vobis Clericis & Laicis Biblia veneranda & sancta: Veteris quidem Testamenti Mosis quinque libri, Iob vnus, Psalmi
Lib. 1. c. 6. centum quinquaginta, &c. *Canonem ex ore Apostolorum collectum vulgauit horum discipulus B. Clemens Romanus. Qui & initio Constitutionum Apostolicarum, rursus ipsorum nomine scribit. Si Poëtica legere cupis, habes Prophetas, Iob, Psalmos, Prouerbia, in quibus plus acuminis, quàm in omni Poësi & sapientia Sophistarum reperies, &c. Quid his*

pro huius libri authoritate & certitudine demonstranda, stabiliendáque clarius & fortius adduci potest? Hunc commendant veteres Pro*phetæ, laudant* Apo*stoli, in medium producit* Dominus Deus*, recipit vetus Ecclesia. Quid augustius sanctiusque in hanc rem adduci potest?*

Verùm, ne quid præterea à nobis hac in re desideretur, priscorum Patrum testimonia, id est, vniuersæ ac veteris Ecclesiæ Christianæ consensum, quem Spiritus sancti manifestam comprobationem verè dicere possumus, in medium adducamus. Antiochenæ Ecclesiæ post D. Petrum *antistes, Ignatius Martyr,* Epist. ad Philadelphienses. Epist. ad Onesimum. *exemplo Iob docet,* Dominos *beneuolo erga seruos suos animo esse debere. Melito Sardensis* Dialog. & Quæst. 78. *hunc librum inter indubitatos veteris Testamenti* Codices *recenset. Iustinus martyr,* An*gelos perpetuò adesse* Deo, *nonnunquam etiam* L. 4. strom. *cum eis ipsum Satanam, ex eodem libro demonstrat.* Clemens Alexandrinus *dicit: Iob pro-* L. in Iob. *positum nobis omnibus præclarum patientiæ exemplum. Origenes non dubitat, hunc librum lingua Syriaca, vel ab ipso Iob, vel amicis eius scriptum, à sancto Mose Hebraicè tralatũ, & à Septuaginta Græcè redditũ. Eusebius indi-* L. 1. demonst. c. 6.

cat beati Iob dogmata esse planè Euangelica, tametsi Euangelium, legemque præcesserit. Athanasius vult eum ante Mosis tempora vixiße, ac quintum ab Abraham fuisse patrē. Basilius ait, Iobum furentes dæmonum impetus fortiter retudisse, & pudore tam infestum hostem affecisse, insigni de eo reportata victoria. Patres Laodicenses, & post hos Cyrillus, Nazianzenus, Amphilochius, constanter adfirmant, hunc eundem librum in veteri & protocanone sacrorum contineri. Atque hæc Orientalium & Græcorum Patrum de isto libro iudicia.

Apolog. de fuga sua.

Orat. II.

Cano. 60.

Latinorum quoque Patrum etiam nunc adferamus testimonia, vt ex omni natione quæ sub cælo est, hæresis conuincatur, & fides catholica confirmetur. Dißecabatur malus Genius (inquit Tertullianus) cùm Iob immundam vltoris sui redundantiam, magna æquanimitate distringeret: cùm erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.]

L. de patient. c. 14.

Cyprianus martyr ait: Probat Scriptura Diuina dicens: Iob homo verus & iustus, habuit filios septem, & filias tres, & emendabat illos offerens pro illis hostias Deo secundum nu-

L. de opere & eleemosyna.

merum illorum. S. *Hilarius scribit: Semper dicat vir pius :* Bonitatem fecisti cum seruo tuo. Domine, *vt ait ille humanarum passionum gloriosus & beatus victor:* Dominus dedit, Dominus abstulit. *B.* A*mbrosius librum edidit*, De *interpellatio.* I*ob, in quo illum diuinum planè fuisse hominem confitetur. S. Hieronymus de illo ait: Iob exemplar patientiæ, quæ non mysteria sermone suo complectitur? Singula in eo verba plena sunt sensibus.* P*hilippus præsbyter eiusdem discipulus, librum istum* C*ommentariis illustrauit.* A*ugustinus eundem inter* C*anonicos & sacros enumerans, Iobum appellat virum sanctum & mirabilem. Prosper, fortissimum athletam* D*ei.* C*laudat agmen Latinorum testium Leo inter* P*atres multis modis magnus,* B*eatus Iob (ait ille) alternantibus bonis ac malis mundi huius eruditus piè veraciterque dicebat : Nonne tentatio est hominis super terram? &c.*

In Ps. 68. Ps. 118. Epi. ad Paulin. c. 7. L. 18. de ciuit. c. 47. L. de promiss. c. 22. Ser. 9. in Quadrag.

C*onsultò igitur prætereo Gelasium, Gregorium, Innocentium, clarissimos & summos Ecclesiæ* P*ontifices: præterea, Isidorum, Bedam, Alcuinum, Rabbanum, Haymonem, & alios absque numero : & ab hostibus huius sacri voluminis requiro, Quam tandem euidentiorem*

& firmiorem confirmationem, pro aßerenda huius libri veritate audeant desiderare? En verbum Dei expreßum: & sermonem tam Propheticum, quàm Apostolicum; en Hebræorum etiam qui in Christum non crediderunt, consensionem: Græcorum & Latinorum manifestas testificationes, totius denique Christiani ordis testimonia: quibus qui contradixerit, amens sit.

Nostras porrò qualescunque in huius sacræ historiæ Summarium Homilias, in gratiam eorum qui per aduentum Domini conciones sunt habituri, concinnatas, clarißimo nomini tuo sacramus, dicamusq; (Senator amplißime) ob eam in primis, qua me à multis retro annis, & præsentem & absentem complexus es insignem beneuolentiam: ego verò tuam obseruaui pietatem, iustitiam, æquitatem. Enimuero cùm Roma redires, quo se Catholicæ fidei Zelus abduxerat, religioso munere, quo à sanctißimo Patre donatus fueras, me dignatus es afficere: nouißima Quadragena ex aßiduis laboribus
1606. languentem stomachum, tuis per Colonem munusculis, fouisti ac iuuisti: commendatis per me tuæ æquitati, amicis, consiliis, & omni ope adfuisti: & plurima in me alia beneficia (quæ si-

gillatim referre non est istius loci ac temporis) contulisti: Accedit, quòd Constantiis etiam 1581.
tecum eram, cùm tuis expensis, loco extra ciuitatem, inter saxa & dumeta religioso, & à piis ea de re frequentato, Sacellum beatissimæ Deiparæ Virginis memoriæ erigendũ, ornandũ, dotandum, & sacris officiis dedicandum curasti: quod etiam nunc multo maiori pietate quotidie à bonis visitur & colitur Rupellulam vulgus apellat; tuæ pietatis haudquaquam imme- La Roquette.
mor. Nec vnquam officij huius obliuiscetur (mihi crede) piissima Mater Dei; quæ honorificantes se honorificat semper: Nec memorum immemor, vnquam existet. Ista quoque conscriptione, publicum apud exteros testimonium extare volui, in Senatu nostro, quo te merita tua sublimarunt, plurimos viros præfectos esse, integerrimos, constantissimos, religiosissimos, quibus nihil antiquius est virtute, veráque religione: quique eximia pietate sua merentur, vt à Theologis & Diuini verbi præconibus ex animo diligantur, obseruentur, atque celebrentur. Perge itaque, optime Senator, cum piis simul, atque religiosis fratribus tuis in virtutis, pietatis & iustitiæ studio. Hæc est via, qua è terris itur in cælum, quo vos manet beatissima

bonorum merces laborum. Baiocis. 1606. *Quinto Kalendas Iunij.*

Veſtrûm omnium humilis obſeruator,
F. FRANCISCVS FEVARDENTIVS,

Pariſienſis Theologus.

SApientissimi ac præstantiss. Patris eximijque Doctoris Feuardentij Homilias vingintiquinq; in beati Iob Patriarchæ, Prophetæ & martyris hystoriam; quatuor quoque Disputationes cùm Amicis Antagonistis, vnà cum graui orthodoxaque Censura Sanctiss. Patris Ephræm, de præcipuis fidei Christianæ Capitibus hoc sæculo controuersis; quiuis Ecclesiastes magno suo commodo perlegat, & quilibet Orthodoxus auitæque ac Romanæ fidei professor inoffenso decurrat pede. Sic enim nos librorum Censores censuimus Parisijs. 8. Aug. Anno Reparationis humanæ 1606.

F. E. CHEHERE,
Guardianus.

F. D. RICHARD *in almo Conuentu Franciscanorum Doctor ac profess. Theologus.*

Summa Priuilegij.

Regiæ Majeſtatis Diplomate cautum eſt ne quis alius ante decennium ab impreſſione *R. P. F. Franciſci Feuardentij Hiſtoriam B. Job Patriarchæ, Prophetæ, & Martyris, viginti & quinq; Homilijs explicatam. Quatuor quoq; Diſputationes cum Amicis antagoniſtis; Vnà cum graui ortodoxaq; cenſura Sanctiſſ. Patris Ephræm, de præcipuis fidei Chriſtianæ capitibus hoc ſæculo cõtrouerſis, cum notis eiuſdem Feuardentij*, typis excudat, præter *Claudium Chappelet*, Bibliopolam in Lutetiana Academia. Secus qui faxit, Libri ipſius, & graui æris mulcta pœnas pendito, vti latiùs ex Reſcripto patet, Dato Pariſijs 12. Auguſti, Anno 1606.

Subſignato,

POTIER.

ARGVMENTVM IN sequentes Homilias.

IOb colit Altisonum deuoto pectore Regem,
Qui dederat natos, Diuitiasque graues.
Permissus Satanæ, rerum cùm damna suarum
Sentit, cum natis & grege perdit opes.
Vlcera fœda gerit patienti corpore, ridet
Hunc Coniux: errat membra per atra lues.
Adueniunt tristes afflicto pectore Amici,
Impedit his vocem verbaque cœpta dolor.
Iob deflens sæuum lachrymosa voce dolorem,
Natalem diro deuouet ore suum.
O quanto melius fuerat postrema subire
Fata, nec in tristi ferre dolore dies.
&c.
Iob commissa Deo summo peccata fatetur,
Et veniam iusto postulat ore pius.
Cum Iobo & Domino redeunt in fœdus Amici:
Hic rursum sobole, diuitiisque valet.



IN BEATI IOBI TRAGICOMOEDIAM,

HOMILIA PRIMA.

Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator.

Iacob. 5.

TANTA est Dei optimi maximi de salute totius generis humani cura & solicitudo, vt non solùm expressis ac Diuinis verbis suis doceat nos quid credendum, quid faciendum, quidque fugiendum sit, vt vitam æternam consequamur: verùm etiam Sanctorum suorum exempla & plurima & grauissima in sacris Bibliis proponat, quæ nos ad omnem virtutem amplexandam inuitent & accendant. Nouit namq; exempla magis prodesse, quàm verba, Et segniùs animos

irritare demissá per aures, quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Hinc Christus omnium princeps pastorum, & concionatorum exemplar absolutissimum, isto persuadendi vsus est artificio, tanquam optimo ac efficacissimo, quando non tantùm Patris, sui ipsius, & veterum Patriarcharum, ad imitandum turbis palam obiecit exempla: sed & tantundem præstandi Apostolis, Discipulis, cunctisque Ecclesiæ suæ pastoribus atque doctoribus formã & methodũ dereliquit *Sitis* (ait) *filij patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Et ad omnem caritatem, ac demissionem animi cunctos impellens seipsum proponit, d. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et iterum: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quinetiam Iudæos sanctissimi patris Abrahæ commonens exemplis, dicit: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Doctor gentium præceptorem nunc imitandum docet, quem & ipse pressis sequebatur vestigiis: mox appositis decem veterum patrum clarissimis exemplis, ad omnem fidei, spei, ac obedientiæ constantiam & perseuerantiam Hebræos suos excitat. Ad humanam hospitalitatem hortatur exemplis eorum, qui Angelos hospitio susceperunt, cùm arbitrarentur se homines solum admisisse. Ad tolerantiam in aduersis accendit, docens aspiciendum in authorem fidei nostræ Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione con-

Matth. 5. *Matth. 11.* *Io. 13.* *Io. 8.* *1. Cor. 4.* *Eph. 5.* *Philip. 3.* *Heb. 11.* *Heb. 13.* *Gen. 18. & 19.* *Heb. 12.*

tempta, atque nunc in dextera sedis Dei sedet. *Recogitate eum*, subdit, *qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Sed & Apostolorum princeps, fœminas Christianas ad omnem moderationem, & viris obedientiam præstandam inuitat exemplo beatæ Saræ, quæ se modestè exornans, obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Persuadet denique beatus Iacobus, cognomento frater Domini, bona opera fidei necessariò coniungenda esse illis, qui iustificari & saluari cupiunt; vt eadem coniunxerunt Abraham & Raab: studiosè, constanter, & feruenter orandum, instar beati Eliæ: & (vt huic argumento finem imponamus) illustrissimum exemplum sanctissimi viri Iob adducit, ac Epistolæ suæ catholicæ inserit, vt ad infractam patientiam & tolerantiam in omnibus aduersis rebus vniuersos homines pelliciat, inducat & trahat. Nulla igitur est excusatio peccatorum nostrorum coram Deo, si post clarissima eius verba, si post tantam lucem exemplorum à Patriarchis, Prophetis, Apostolis, omnibus Sanctis, imo & ipsius Christi, ac Patris eius cælestis, exemplaribus petitorum & acceptorum, potius carni, mundo, & cacodæmoni ad perditionem, quàm Deo nostro ad salutem seruiamus. Hæc alta mente reponens Augustinus, sic Deum totum orbem iudicantem conuenit: Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mi-

Gen. 18. 1. *Petr.* 3.

Iac. 2. & 5.

1. *Medit.* c. 4.

hi præbuerunt bene viuendi exempla. Tot conuincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus.]. Et B. Bernardus ait: Ad conuersionem vel emendationem fidelium, multum exempla Sanctorum prosunt. Ideo scribuntur casus & reparationes eorum, vt miseri propter multitudinem peccatorum nō desperemus, sed per pœnitentiam etiam post lapsum, spem habeamus.

L. de modo bene viuendi c. 6.

Sed quorsum (dicetis) tam altè petitum, & firmatum, vt exēplis doceatur populus Christianus, exordium? Adestote animis & paucis institutum nostrum capietis. In votis est singulis diebus, atque concionibus, explicare vobis vnius sanctissimorum, antiquissimorum & probatissimorum Dei seruorum vitam, omni virtutum genere refertam & exornatam, nimirū B. Iob, vt eius exēplo discamus omnes quid præstandum sit cùm in prosperis, tum in aduersis, vt tandem cum ipso bene beatéque viuentes, æuo felici ac sempiterno perfruamur. Nam eiusmodi ille fuit, vt in eo discant Sacerdotes, quomodo sacris operandum sit; quandoquidem sacrificabat cotidie. Reges & Iudices; quoniam Rex magnus inter omnes orientales. Patresfamilias; quia decem, imò tandem & viginti liberorum parens extitit. Diuites cernant, quid à se reposcat Deus; fuit enim omnium Arabum opulentissimus. Pauperes, infirmi & afflicti, quid agere debeant: quoniam grauissima, & longissima pauperie,

& miſeria penè oppreſſus eſt. Feminæ, ſerui, ancillæ, & omnes alii homines habent in eo, quod ſequantur ac imitentur; hic equidem vxorem, ſeruos, & ancillas poſſedit.

Inſuper, vniuerſi exemplo eius docemur, inuictam, inſuperabilémque conſtantiam in fide, ſpe, caritate, ac Dei cultu retinere: nec vnquam ab hac religione recedere docemur, etiam ſi omnes ab illa deficerent, ſi omnes facultates amittere, ſi vitam iſtam ponere, ſi aduerſus ipſiſſimum Satanam decertare oporteret. Quinetiam, ſi Dei omnipotentis manum aduerſari nobis carnis iudicio cogitaremus, credendum tamen, totoque corde dicendum cum hoc athleta: *Etiam ſi occiderit me, ſperabo in eum. Non recedam ab innocentia mea.* Iob. 13. & 27.

Conſpicimus quoque in huius ſancti viri Tragicomœdia, quàm acerba ſit Satanæ in viros pios inuidentia, quàm importuna ſæuities, quamque furioſa rabies: quando ſemel & iterum adfuit coram Deo, petiitque, & obtinuit facultatem, vt inuaderet in eius opes, ſeruos, liberos, denique etiam corpus viri iuſti, & quàm crudeliter afflixerit, lacerauerit, vexauerit, vt eum ad blaſphemandum Creatorem ſuum compelleret. Inde verò diſcimus, nunquã deficere animis, in quantacũque incidamus anguſtia & tribulatione: ſed illos paratos promptoſque ad tentationem & patientiam, vt cum eo dicere valeamus ad omne aduerſum nuncium: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut placuit Deo, ita factum eſt. Sit nomen*

Domini benedictum.

Ad hæc, conspicui sunt in eo admirabiles planeq; Diuinæ prouidentiæ effectus, & incomprehensibilia iudicia, quibus seruum
1.Reg. 2. suum Deus percutit, & sanat: mortificat, & viuificat: pauperem facit, & ditat: humiliat, & subleuat. Initiò namque sanissimus, super omnes orientales opulentissimus, magna liberorum copia cohonestatus: paulò post his omnibus spoliatus, tam miser ac pauper effectus, vt sedens in sterquilinio, testa radere coactus sit defluentem è putrescente corpore saniem. Ab amicis afflictus, vexatus ab vxore, relictus à filijs, à seruis irrisus, consputus ab ancillis, & irrisus palam ab ijs, quorum patres non fuerat dignatus componere cum canibus
Iob. 30. gregis sui. Postea verò in ampliorem gloriam & bonorum copiam restitutus est, ac cunctis
Ps. 117. miserijs liberatus. Hæc sanè mutatio dextræ Excelsi. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc omnium rerum mundanarum inconstantia & vicissitudo. *Om-*
Isa. 40. *nis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Sic omnis creatura vanitati subiecta est:
Rom. 8. nec penitus liberabitur ab hac seruitute corruptionis, donec in plenam libertatem filij Dei asserti & vindicati fuerint. Nolite igitur,
1.Io. 2. fratres diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt.

Atque hæc pauca de Diuinis circa eum iudicijs atq; consilijs: ampliora de virtutibus viri, nunc audite. Tantus fuit coram Deo, vt

ſi cum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum præſtantiſſimis comparetur, nullis illorum inferior, aliquibus autem ſuperior inuenietur. Principio namque, omnium veterum clariſſimè vaticinatus eſt de futura reſurrectione, & Saluatore dicens: *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum. &c.* Iob. 19.
Quid his dilucidius vel Apoſtolus, vel Euangeliſta dixiſſet? Habemus namq; in his apertiſſimam Prophetiam de mundi conſummatione, reſurrectione corporum in eodem numero, Chriſti æterna & omnipotenti diuinitate &c. Eadem adfirmant Daniel, Iſaias, Dauid, Ezechiel, ſed obſcuriùs. *Dan. 12. Pſ. 15. 49. Ezech. 37.*

Nec cunctatur B. Chryſoſtomus iſtum cum Apoſtolis comparare, ſcribens: Data mihi pace, oportet dicere, quoniam & ſi non maior Apoſtolis, minor beatus ille non fuit. Hos enim eadem pro Chriſto pati ſolabatur, ille autem hoc ſolatio deſtitutus. Quodque malus, multis in delicijs educatus, nequaquam de piſcatoribus & colonis, atque ex ijs, qui tenuiter viuunt: ſed tot honoribus dignus effectus, paſſus eſt omnia. Et grauiſſimum in Apoſtolis videbatur, quòd à fratribus, cognatis, & amicis; ſic & Iob ab inimicis odio & iniuriâ affectus. Hactenus illud os aureum. Quibus non iniuria, quiſq; addere poteſt, Iobum vel in hac parte ſaltem Petro Apoſtolo fuiſſe ſuperio- *Hom. 5. de patiētia Iob.*

Matth. 26. rem, quòd hic ad vnius Ancillæ vocem Christum non semel negauit: ille nec ab vxore, nec ab amicis, nec ab inimicis, nec ab ipsomet cacodæmonum inferorumque principe Satanâ, impelli potuit, vt vel vnico verbulo in Deum blasphemaret. An non quoque Thoma fuit superior, qui tot mortuos, per Christum ad hanc lucem reuocatos viderat; audierat eum multoties promittentem: *Tertiâ die resurgam*:
Luc. 24. perceperat à Magdalena, à Petro, Iacobo, duo-
Io. 20. bus Discipulis, imò à cunctis coapostolis, pro certo Dominum resurrexisse, & vix post octa-
Iob. 19. uum diem id credidit. Iob istiusmodi testificationibus destitutus, eam credit & affirmat constantissimè. Ioannes tam de seipso, quàm
1. Io. 1. de condiscipulis scribit, *Si dixerimus, quoniam*
Iac. 2. *peccatum non habemus, veritas in nobis non est*. Et Iacobus frater Domini: *In multis offendimus omnes*. De Iob autē ait Spiritus sanctus: *In omnibus his Iob non peccauit, nec quid stultum contra Deum locutus est*. Apostolis præsto fuerunt præmonitiones, ac exempla Christi, quibus ad patientiam in cunctis persecutionibus animarentur: Iobo verò nullæ præmonitiones, nulla huiusmodi exempla vnquam adfuerūt. An non ergo omni honore & admiratione dignissimus?

Idem rursum B. Chrysostomus eundem Iobum inter Martyres connumerans ait: Et si
Hom. 5. ad ante tribunal non fuit constitutus, nec iudi-
pop. Antioch. cis vocem audiuit, non vidit carnificem, attamen multis Martyribus grauiora passus est. Et illorum sibi succedentium nunciorum vo-

ĉes, omni plaga sæuiùs percutiebant, & eum vndique pungebant, & innumeris tortoribus acerbiùs cruciabant. Cui non itaq; dignus hic sit Martyr comparari?] Eadem repetit Hom. 1. in secundam Ep. ad Corinthios. Tametsi ergo beati Martyres plurima tormēta mirabili constantia pertulerunt, cuiusmodi referuntur de camino Azariæ, Ananiæ, & Misaëlis; de lacu leonum Danielis; lapidatione Ieremiæ, Zachariæ, & Stephani; sectione Isaiæ; de cruce Petri, Andreæ, & Philippi; de excoriatione Bartholomæi, dolio feruentis olei Ioannis, submersione Clementis, leonibus Ignatij, incendio Polycarpi, craticula Dionysij, Laurentij, & Vincentij, &c. Attamen longè acriora & longiora Iob passus est, quando corpore & animo, & ab hoste visibili & inuisibili, imò & ab ipso omnipotente afflictus fuit. Dicit enim; *Quare persequimini me, sicut Deus? Manus Domini tetigit me. Manum tuam longè fac à me &c.* Idque nullis externis consolationibus hominum vel Angelorũ subnixus passus est: quæ frequenter datæ sunt beatis Martyribus. O quàm durum, dirumque martyrium! Quàm infractum animi robur! Quãta opus fuit patientia?

Dan. 3. 6. 14. Epiph. Iustin. Tertul. Euseb. Theod. Niceph. Metaphrastes.

Neque sanctorum Confessorum, neque beatarum Virginum castitate, caritate, spirituali vita Iobus noster vlla ex parte cedit. Nam de seipso Dicit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Quibus declarat se continentiæ studiosissimum fuisse, & Iob. 31.

carnis delitias nequaquam sectatum: sed corde, ore, oculis, desiderijs, totoque corpore & animo castissimum. Hoc idem rursum declarat his verbis: *Si deceptum est cor meum super vxorem alterius, scortum sit vxor mea.* Vbi nunc tanta vitæ puritas? tanta castitas, non dico in Nobilibus, aulicis, militibus, principibus, sed etiam in sacris hominibus? Ante Legem, præcepta legis seruabat, *Non concupisces vxorem proximi tui*: & antequam mundo innotesceret Euangelium, hoc euangelicum tenebat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.*

Ibidem.

Exod. 20.

Math. 5.

Quanta verò pietate, beneuolentia, & caritate pauperum omne genus complecteretur, satis manifestant hæc eius verba: *Si negaui pauperibus quod volebant, & oculos viduæ expectare feci: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: Si despexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum: Si non benedixerunt mihi latera eius: & de velleribus ouium mearum calefactus est, &c. humerus meus à iunctura sua cadat, &c.* Et vt paucis concludam, tantus fuit Iob coram Deo, vt is etiam de illius pietate, innocentia, atque iustitia glorietur in conspectu Angelorum suorum, adeoque ipso Satana, dicens: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit similis illi in terra, vir simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo?* Nec erubescit Chrysostomus, eum dicere Angelis parem: & multa brauia ab Angelis certaminum eius spectatoribus, consecutum].

Iob. 31.

Hom. 1. de pat. Iob.

Angelorum magnam certè partem Princeps dæmonum facilè seduxit, secumque in perditionem abduxit: Iobum nulla vi nullaque fallacia, vt in Deum blasphemaret valuit perducere.

Quinetiam S. Hieronymus scribit: Iob qui dolens, vel magnus interpretatur, figuram Christi portauit. Amici verò eius figuram hæreticorum tenent, qui sub nomine Christi, Christum blasphemant & impugnant. Huic non solùm subscribit B. Gregorius, sed & sigillatim exponit quibus modis & partibus passiones eius præsignauerit: & rebus ipsis persequutiones, quas Ecclesia, (quæ est & familia & corpus eius) passura est vsque ad finem sæculi. Id fusiùs persequemur postrema Homilia. *Proœmio in Iob. & in c. 42.* *P. 1. Moral. c. 8. 9. 10. L. 2. c. 16. L. 3. c. 11.*

Iusti porrò familia Ecclesiam catholicam Christi designatam & adumbratam fuisse, vel in primis ex hoc clarum & certum est, quòd in summa pace & concordia conuiuebant simulq; conuiuabantur filij eius & filiæ. Quis autem famulorum ausus fuisset obstrepere? Et priorum Christianorum *erat cor vnum, & anima vna*, nec quisquam aliquid suum esse dicebat: sed omnia illis erant communia. Quod ad suam ætatem vsque seruatum istis verbis indicat Tertullianus: Omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores. Fratres sunt Christiani, quia ex vno patre Deo, vnum Spiritum sanctitatis bibimus, ad vnam lucem veritatis vocati, ex vna omnium matre, & ex vna sub- *Act. 4.* *Apolog. c. 39.*

ſtantia familiari.] Et Apoſtolus ad caritatem,
1. Cor. 11. vnitatem, & concordiam omnes nos frequenter compellans, ait tandem: *Multi vnum ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.*
Gal. 5. Vtinam, iterum autem vtinam abſcindantur, qui ſanctiſſ. vnitatem & pacem noſtram conturbant. Iob liberos perſæpe conuocans, hos ſalutaribus doctrinis, & grauiſſimis concionibus ad virtutem hortabatur. Chriſtus quoq; & hîc nos omnes monuit, &
Eph. 4. ſuos vſq; ad conſummationem ſæculi, habebit euangeliſtas, paſtores & doctores. Viri ſancti grauiſſimè afflicta fuit familia à turbine, ab igne, à militibus, & diabolis; ſic Eccleſia Chriſti à Iudæis, à Romanis, ab Ethnicis, à falſis fratribus, ab hæreticis acriter oppugnata. Nec his eheu! nouiſſimis temporibus ab illis pa-
Pſ. 128. cem habere poteſt. Iure ſuo igitur dicat: *Sæpe oppugnauerunt me à iuuentute, & non potuerunt*
Pſ. 3. *mihi. Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribu-*
Pſ. 68. *lant me! Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. &c.* Ideoque vt pios decet filios, vna cum eadem ſuauiſſima matre noſtra, ad omnipotentem ſponſum eius Chri-
Pſ. 43. ſtum patrem noſtrum precemur: Exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. &c.

HOMILIA SECVNDA.

Exemplum accipite, fratres, exitus mali laboris & patientiæ, Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini.

Iacob. 5.

TAnta diximus heri de beati Iob exemplis, mirabilibus Dei circa eum consiliis, sanctitate, patientia, & præstantia, quanta per horam licuit: nec tamen quanta oportuit, decuit, promeretur. Nunc ergo probandum in primis, veram & canonicam esse, (quæ de illo refertur) historiam. Deinde à quo authore conscripta & tradita fuerit. Præterea, cuias fuerit, quaque ætate vixerit. Hæc enim adhuc necessariò præfanda sunt: suasque continent vtilitates, vti audiendo intelligetis.

Principio itaque refellenda est impietas quorumdam Iudæorum, qui neque hunc librum inter canonicos numerant, nec ipsum Iob in terris vnquam vixisse putant. Verpos istos sequutus Lutherus, nunc ait, *se non credere vera esse omnia quæ in hoc libro narrãtur*: mox, librum istum reputat *fabulæ argumentum ad proponendum exemplum patientiæ*. Illius viperæ genimina, Anabaptistæ, non alio loco ducunt

Thalmud. Tract. 3.

L. *colloq. mensalium.*

De *libris vet. & noui Testamenti.*

sanctissimam historiam istam, quàm parabolarum, & argumentorum, quæ confinguntur docendi gratia. Vt autem ordine pergamus, initiò detestanda & deprecanda est tanta Satanæ audacia, ac efficacitas, qua istiusmodi impiis hominibus suasit in sacros vtriusque Testamenti libros effrenatius inuadere, hos partim deprauare & corrumpere, partim tollere de medio. Hoc autem pater mendacij suis Ministris suggerit, vt errores suos audaciùs seminent, impudentiùs tueantur, & secum alios in æternam abyssum mortemque plurimos præcipitent. Et vt quondam author fuit Heuæ, ne omnino crederet huic verbo Dei, *In quacũque hora comederitis* (de ligno vetito) *morte moriemini*: ita & hoc sæculo posuit in mentem Caluinianorum septem integros veteris testamẽti Libros, videlicet, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, & Machabæorum, velut Apocryphos, suo priuilegio imò sacrilegio (vt loquitur Tertullianus) aspernentur, reiiciant, reprobent. Ex libro Danielis, Canticum trium puerorum, historiam Susannæ, Belis, & Draconis abscindant: & ex Libro Esther septem posteriora capita tollant. Bezæ suspectam habere historiam, illius adulteræ, cui benignè pepercit Dominus. Lutherani ambigunt de authore & authoritate Epistolarum ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, secũdæ Petri, duarum Ioannis, & Apocalypseos. O impudentiam audaciáque planè diabolicam nouorum recutitorum! Libera populum tuum, Domi-

Gen. 3.

L. præscript.

ne, ab istiusmodi renouatis Sadducæis, Marcionitis, & Manichæis.

Vt ergo efficiamus demonstremusque Virum quondam fuisse in terra Huz, nomine Iob, nunc ditissimum, mox pauperrimum, mirabili in aduersis patientia, demum in pristinam felicitatem restitutum, vt huius describitur libro; vtamur in primis argumento, quo Irenæus & Tertullianus viri apostolicorum temporum, probant Narrationem de Lazaro ac Epulone veram esse historiam. Vt illic propria sunt nomina Lazari, Abrahæ, & Mosis, quod in parabolis numquã seruatur: ita & in hac historia Iob, amici eius, ac filiæ proprijs vocantur nominibus. Inde, regiones & loca terrarum quas incoluerunt, signantur, extantque adhuc hodie. Liberorum refertur numerus, natiuitas, locus, mortis genus: & qui milites, qui substantiam Iusti prędati sunt: quæ in fictis falsisque historijs non seruantur. Et quod his omnibus potius est, aliæ Diuinæ Scripturæ huius meminerunt. Nam ipsum cum ijs connumerant, qui pro certo extiterunt, & de quorum vita nulla superesse potest dubitatio. Ait enim Deus: *Terra si peccauerit, mittam gladium, famem, pestilentiam, bestias, &c. Et si fuerint in ea Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas: sed neque filios, neque filias liberabunt*: Nemo autem Christianorum, neque Iudæorum dubitat Noë & Daniel exstitisse, neque igitur Iobi narratio historica iure in quæstionem est vnquam reuocanda. Præ-

L. 2. c. 61. 63 L. 4. adui. Marc.

Luc. 16.

Ezech. 14.

terea, in Scripturis legitur; *Tobiæ immissa est cæcitas, vt posteris daretur patientiæ exemplum, sicut & beati Iob.* Vt ergo nec Iudæi, nec Chaldæi, nec Græci, nec Latini dubitant de veritate historiæ beati patris Tobiæ, nec de Iobi libro vnquam est ambigendum. Deinde, B. Iacobus Apostolus ait: *Sufferentiam Iob audistis, &c.* Denique, Spiritus sanctus, initio huius libri dicens: *Vir erat in terra Huz, nomine Iob, nec falli, nec fallere potest*: de huius ergo libri authoritate, veritateq; nulla ratione est ambigendũ.

Tob. 2.
Iac. 5.
Iob. 1.

His probè ac diligenter expensis, nullum fore, mihi persuadeo, tam iniustum rerum æstimatorem, qui dubitet librum istum verè canonicum, ac proinde Diuinæ esse authoritatis, ac inter cæteros sacrorum Bibliorum Libros iure connumerandum; quandoquidem alij Prophetæ, & Apostoli, eius testimonijs dogmata sua comprobent. Accedit, quod in publicis conuentibus ac officijs ab vniuersa Ecclesia recitetur, legatur, exponatur. Hinc, à Concilijs œcumenicis inter sacros libros annumeretur. Postremò, etiam Rabbinorum Iudaicorum commentarijs explicetur. Extat deniq; etiam Catena in beatissimum Iob absolutissima, è viginti & quatuor Græciæ Doctorum explanationibus contexta, à Paulo Comitolo, Societatis Iesu in Latinum cõuersa. Inter Latinos nulla fuit vnquam (quod nunc meminerim) de hac re controuersia. Atque hæc de eo, quod primo loco vobis exponendum recepimus.

Lugduni. M.D.LXXXVI. Et Venetiis 1587.

Nunc

Nunc de authore seu scriptore dicendum. Origenes, Chrysostomus, Græci plerique omnes volunt Iobum ipsum in priorem dignitatem ac felicitatem restitutum, suas calamitates, & cum amicis colloquia disputationesque, Arabico sermone descripsisse: quod infirmus peroptarat, dicens: *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Moysem verò cùm quadraginta annos ageret, & pasceret oues in desertis Arabiæ, montibusque Sinai ac Oreb, inuentum librum legisse, in linguam Hebraicam transtulisse, atque reuelatione Spiritus sancti priora & posteriora capita eidem addidisse. Nam vt Diuinitus eidem innotuit huius mundi creatio, & sanctorum Patriarcharum vita: sic & beatorum Angelorum ad Deum accessus, eius cum Satana colloquia, acceptæque nunc in facultates, mox & in corpus Iusti Diuinæ permissiones, cælitus reuelatæ fuerunt. Misisse autem librum ad suos fratres popularesque, qui tum in Ægypto omni diritate vexabantur & opprimebantur: vt hoc exemplo in pietate & auita religione patris Abrahæ reficerentur & cōsolarentur: Ad hæc, constanter sperarent Deum omnipotentem tandem aliquando eos liberaturum ex illa calamitate & seruitute, sicut beatum Iob post multa certamina magnificentissimè liberauerat. Voluit itaque dicere Moyses. Constantes estote filij Abrahæ, ne deficiatis animis

Iob. 19.

ſemen Iſaac, infracto animo perſeuerate in patrum veſtrorum pietate germina beati Iacob, nec vnquam ad impietates Ægyptiacas deficiatis propter duriſſimum iſtud exilium. Etenim fortis animi & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aduerſis. Gaudet patientia duris. Dabit Dominus his quoque finem. Durate igitur, & rebus voſmet ſeruate ſecundis. Cernitis namque Iobum virum iuſtum, ſimplicem, rectum, Deo probatum, per inuidiam & crudelitatem diaboli, grauiſſima quæquæ paſſum eſſe, & longè crudeliora, quàm vos à Pharaone, & miniſtris eius poſſitis pati, tandem Diuina pietate ab omnibus aduerſis liberatum, & in ampliorem priore gloriam & felicitatem reſtitutum. Patientes igitur & vos eſtote, pro certo erit vobis liberatio, ſicut & illi.

Diſcamus itaque beati Moſis exemplo, quibus conſolationibus vti, & animos noſtros erigere ac ſolari, alioſque fulcire debeamus, cùm varijs tentationum fluctibus iactamur, graueſque nos premunt anguſtiæ. Videlicet, lectione, prædicatione, meditationeque ſanctarum Scripturarum, & veterum patrum atque beatorum virorum, qui nos præceſſerunt hiſtoriis. Hi namque grauiora & acerbiora conſtanter pertulerunt, nec à vera fide aut ſpe in Deum defecerunt: tandemque ſunt liberati vel ad voluntatem, vel ad vtilitatem. Intueamur totum populum Dei quadringentis annis ſub tyrannide Ægyptiaca ge-

mentem; septuaginta, sub grauissimo Chaldæorum iugo: plusquam quadringentis sub asperrima Græcorum & Romanorum dominatione. Fuerunt præterea, Manichæorum& Arrianorum sectæ crudelissimorum Imperatorum Constantij, Constantis, Valentis, Gothorum, Vandolorumque viribus armisque subnixæ, cunctis ferè Ethnicis in Catholicos sæuiores. Fuit Iulianus apostata; fuerunt Imperatores Iconomachi, Monothelitæ, &c. qui Ecclesiæ nunquam præualuerunt; sed & portæ sunt inferorum, quæ huic nunquam præualebunt. Persecutio martyres facit: hæresis apostatas. Exaudiamus ergo fratres, Spiritum sanctum ad nos clamantem: *Mementote dierum antiquorum, cogitate generationes singulas. State super vias, & videte; cogitate de semitis antiquis, quæ sit via bona: ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris. Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Huiusmodi fuerunt in Galliis, Lazarus, Martialis, Dionysius, Polinus, Iræneus, Hilarius, Martinus, Remigius, Bernardus, &c. Nullus autem illorum simoniacus, nullus Lutheranus, nullus Caluinianus, nullus Hugnosticus, nullus Libertanus vel Athe⁹: sed omnes Catholici, omnes cathedræ Petri adhærentes, omnibus nunc in cælo locus, vbi beati æuo sempiterno fuuntur.

Matth. 16.

Tert. l. de fuga in persec.

Deut. 32.

Ierem. 16.

Heb. 13.

Tertiò nunc dicendum de huius sanctissimi viri familia, patria, ætate, authoris dicendi ge-

nere. Græci quidem nec numero pauci, nec leues eius sunt sententiæ, quòd fuerit quin-
Gen. 36. tus ab Abraham, isque per lineam Esau descendens: ac idem esse, qui in Genesi vocatur
L. tradit. seu Quæst. Hebr. Iobab, vnus ex Esau seu Edom, posteris. Sed reclamat B. Hieronymus rerum Hebraicarum scientissimus dicens: Primogenitus Nachor fratris Abraham de Melcha vxore eius, filia Aram, natus est Hus, de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis eius: *Vir fuit in terra Huz nomine Iob.* Malè igitur quidam existimant Iob esse de genere
Et com. in c. 32. Iob. Esau.] Idem rursum initio comment. in Iob, scribit: Huz & Buz filij fuerunt Nachor, fratris Abrahæ, filij Melchæ, sororis Saræ, de cuius stirpe Iob descendit. Non, sicut quidam
In breuiario temp. falsò suspicantur, de genere Esau.] Philo Iudæus in ea est opinione, quod Dina filia Iacob, rapta per Sichem, eius vxor fuerit. Et certè non abhorret à vero, quod vir iste tantæ pietatis non aliunde voluerit vxorem ducere, quàm ex sancto, nobilique genere Abrahæ, spretis Chananæorum & Arabum Ethnicis fi-
Deut. 7. liabus. Qua in re, Legem præuenit, Israelitis
Exod. 34. prohibentem inire connubia cum gentibus idololatris ac infidelibus, ne abducerentur à vera pietate ad falsorum deorum cultum: sicut contigit ijs, qui per filias Moabitarum ini-
Ps. 105. tiati sunt Beelphegor, & comederũt sacrificia
1. Cor. 10. mortuorum: & ceciderunt vna die viginti
Num. 25. tria millia. Samsoni, Salomoni, & Achabo pessimè cesserunt nuptiæ cum alienigenis ac

Infidelibus fæminis. Iccirco & Paulus districtè vetat, Ducere matrimonij iugum cum infidelibus, hæreticis, à Deo & Ecclesia eius alienis. Sæpius enim peruertitur vir fidelis per mulierem infidelem, quàm è contrario, vt proposita docent exempla. 2. Cor. 6.

Patriam verò eius fuisse terram Hus; quam alij Vtz sine aspiratione, Græci Ausitidē, appellant, Scriptura clarissimè dicit. Hus autem filius est Aram, filij Sem, filij Noe, quem Hieronymus scribit Thraconitidos & Damasij conditorem esse, vnde (fortè) eius regionis pars vocatur terra Hus. Rabbi Abraham, & Rabbi Moses filius Naaman dicunt esse Constantiniam in Armenia, habereque Charras ad Orientem, quæ filiorum Keden, id est, Orientis dicuntur. Sed verior & certior est patrum Græcorum sententia. Ait namque Origenes: Hæc primùm quidem in Arabia Syriacè sunt scripta, vbi & Iob habitabat, post hoc verò & in Hebræis, & in Græcis, atque in omnibus Gentibus, interpretata.] Et aliquanto post. Vno sermone nunc Arabes appellantur non solùm Idumæi, sed & Amanitæ, & Moabitæ, & Ausitidæ, & Minæi, & Thomanitæ.] Subscribit ei Chrysostomus, Hom. 1. de patientia Iob. Et in Catena patrum Græcorum sub eiusdem nomine scribitur: Ergo ab Arabia beatus hic oriundus fuit.] Idem rursus alibi ait: Multi nunc longam, & transmarinam peregrinationem à terræ finibus in Arabiam abeunt, vt fimum (Iobi) cernant, & conspi- Origen. l. 1. in Iob. Chrysost. Hom. 5. ad pop. Antioch.

cati terram deosculantur, qui illius victoris certamina suscepit.] Nemo aliorum his contradicit.

Fructus autem ex hoc capite vnà cum patribus Græcis colligit peruigil pōtifex Gregorius, nimirum, quod Iob agens inter Gentiles & infideles Arabes, qui veri Dei cognitione ac timore erant destituti, eorum tamen sceleribus non fuerit commaculatus. Ait enim de illis: *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Sic quoque Ezechieli dicitur: *Increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Hoc etenim ad laudes eorum pertinet, quod boni fuerint inter malos. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis: sed bonum esse cum malis. Hinc Petrus magnis laudibus Lot extulit, quia eum bonum inter reprobos inuenit, dicens: *Et iustum Lot oppressum à nephandorum iniusta conuersatione Deus eripuit.* Et Paulus Philippenses laudat, quod in medio nationis prauæ & peruersæ lucerent sicut luminaria in mundo. Et Pergami Ecclesiæ Episcopo dicitur: *Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Et sancta Ecclesia voce Sponsi laudatur, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

L. 1. mor. cap. 1. — *Iob. 30.* — *Ezech. 2.* — *2. Petr. 2.* — *Philip. 2.* — *Apoc. 2.* — *Cantic. 2.*

Quantum porrò ad viri iusti ætatem pertinet, non ambigit B. Chrysostomus, eum longè ante Mosem, & datam ab eo Hebræis legem, vixisse, ac vitæ suæ annos vsque ad ducentos protraxisse: quod nemini post legem

In catena: & Hom. 1. de nat. Iob.

acceptam concessum est. Ait rursum: Iob sine mandatorum scriptura viuens, legem naturæ non scriptam, mente gerit.] Et iterum: Nondum erat lex, & longè ante Euangelij prædicationem præcessit: & legem seruauit sacrificando, & Euangelium cum cogitationibus certando.] Athanasius magnus de eodem scribit: Passus est cùm annorum septuaginta natus esset, ita vt omnes ipsius anni fuerint ducenti quadraginta. Post acceptas enim plagas annos adhuc vixit centum septuaginta. Vixit autem Iob ante tempora Mosis, &c.

Ser. de Iob. & Abraham.

In Synopsi.

Et hoc maximæ laudi tribuitur ei, quòd nimirum legis ac Euangelij præscripta, sola duce natura seruarit, & secundum illa vitam moresque instituerit. De hoc & similibus pijs viris dicit Apostolus: *Gentes quæ legem (scriptam) non habent, naturaliter ea, quæ sunt legis faciunt, ipsi sibi sunt lex.* Nec obstare potest eorum iustitiæ & saluti, quod neque circuncisi, neque omnium rituum Mosaicorum obseruantes fuerint: quandoquidem ad solam Abrahæ posteritatem illa pertinerent. Si enim illa circuncisio carnis necessaria fuisset, ait Iustodunus Martyr, Deus Adamum præputiatum non finxisset, nec Abelis dona & victimas dignatus fuisset inspicere, nec Enochum probasset, nec Lot incircuncisum eripuisset è Sodomis. Noe humani generis instaurator, vnà cum liberis incircuncisis arcam intrauit. Melchisedech sacerdoti Altissimi, incircunciso, Abrahamus decimas obtulit, & ab illo

Rom. 2.

In Dialog.

Gen. 14.
Heb. 7.

benedictionem accepit. Vobis igitur solis necessaria fuit ista circuncisio.] Hactenus ille, qui & alibi docet eos, qui cum ratione, & secundum præscripta legis naturæ, siue inter Græcos, siue inter Barbaros, ante aduentum Christi, vixerunt, non esse alienos à salute. Eandem sententiam suffragijs suis comprobant Tertullianus, & Cyprianus Martyr, libris aduersus Iudæos.

Apolog. 2.

Quantum ad Scriptoris huius libri phrasin & methodum spectat, seu Iobus ipse, siue Moses fuerit, B. Hieronymus ait: Liber Iob cum Arabina lingua plurimam habet societatem.] Et alio in loco: A principio voluminis, vsq; ad verba Iob, apud Hebreos prosa oratio est. Porrò à verbis Iob in quibus ait: *Pereat dies in qua natus sum*, vsque ad eum locum, vbi ante finem voluminis scriptum est: *Idcirco ipse me reprehendo*, hexametri versus sunt, dactylo spondeoque currentes, & propter linguæ idioma, crebro recipientes & alios pedes, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis & tinnulus fertur numeris pedum solutis.] Ait denique de eodem libro: Iob exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur: omnesque leges dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus.] Atque hoc viri doctissimi & sanctissimi, cui nos (vt decet) acquiescimus, grauissi-

Præf. in Daniel.

Præfat. in Iob.

Epist. ad Paulinum.

mum iudicium.

Græci librum ſecernunt in capita triginta & duo, Latini in duo & quadraginta. Sunt autem viginti colloquia: Dei ad diabolum vnum, Iob ad amicos nouem, Eliphæ ad Iob tria, Sopharis ad Iob duo, Baldad ad Iob tria, Eliu ad Iob vnum, Dei ad Iob vnum. Atque hæc de Prolegomenis ſufficiāt: Homiliam iſtā claudamus. Quidquid ſit de Libri authore aut Scriptore; de Iobi genere, patria ac ætate, noſſe & credere ſatis ſit, quòd vera & canonica hiſtoria, nobis à Spiritu tradita & donata eſt, vt huius ſanctiſſimi viri diſcamus exemplis, Deū amare, timere, exaudire: ab eius cultu nulla vnquā ratione recedere: in proſperis nō extolli: in aduerſis non deſpondere: patienter ferre manum eius, dum ab illo corripimur: quàm inuidum, rabidum, & importunum hoſtem habeamus in Satana: denique quomodo Deus ſuos exercet atque probet magnis calamitatibus & afflictionibus, vt tandem aliquando magnificentiùs exaltet atque coronet. Supplices eum rogemus. &c.

HOMILIA TERTIA.

1. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob.*



SPiritui ſancto in ſacris literis conſuetum ac ſolenne eſt, vel miraculum, vel mirabile quoddam exemplum præmittere, vt aliquid effica-

Math. 26. Luc. 22. ciùs perſuadeat. Sic Chriſtus daturus pro-
prium corpus ad manducandum & ſanguinem
ad bibendum, priùs ingentem hominum tur-
bam pauciſſimis admodum panibus & piſci-
Io. 6. culis pauit, vt & de reliquiis duodecim co-
phinos plenos colligeret. De vocatione Gen-
tium ad fidem & Eccleſiam dicturus, voluit
Luc. 5. Io. 21. Apoſtolos priùs copioſam piſcium multitudi-
nem, etiam in maris loco ſterili, rete ſuo con-
cedere, & nauiculam ſuam implere. De illu-
minatione eorumdem admoniturus, hominē
Io. 9. à natiuitate cæcum, mirabiliter illuminauit.
In fidem reſurrectionis proprij corporis illos
perducturus, paulo ante Lazarum quatriduo
Io. 11. defunctum, ſepultum, iamque fœtentem re-
ſuſcitauit. Ita & hîc mira præcedit Iobi narra-
tio hiſtorica, & tantum non exemplo antea
inſinuat & perſuadet, quod poſtea multa
diſputatione confirmatur de Satanæ in ho-
mines odio, deque Dei prouidentia, incom-
prehenſibili iudicio, & in genus noſtrū amo-
re atque ſumma beneuolentia.

Principio itaque deſcribitur, quis iſte fue-
rit, qui tot tantaque paſſus ſit: qua in terra vi-
xerit: quibus munitus virtutibus: quibus na-
turæ donis ornatus: & quantis bonis fortunæ
diues. In quibus, initiò notandum, in more
Spiritui ſancto eſſe, illorum recenſere egregias
virtutes, id eſt, præclara ſuæ largitatis dona
atque beneficia, quorum vſurus eſt ad res ma-
gnas miniſterio. Propoſiturus Abrahamum
cunctis gentibus in generoſæ ac viuæ fidei

exemplum, priùs refert eum ad vnam Dei vocem reliquiſſe terram & cognationem ſuam: Gen. 15. 17. &Iſaac vnigenitum prompto animo immolare voluiſſe: Angelos inſtar peregrinorum hoſpitio ſuſcepiſſe, &c. In medium producturus Ioſephi caſtitatem, innocentiam, modeſtiam, antea deſcribit illum plus amatum à patre, & à ſole, ſtelliſque in viſu adoratum. In Moſe daturus formam optimi paſtoris, primum refert eum mirabiliter ſeruatum ex aquis, nutritum in aula, edoctum in omni ſcientia Ægyptiorum, negaſſe ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, litigantes conciliaſſe, oues denique diligenter cuſtodiuiſſe in deſertis. Tantundem facilè eſt obſeruare in Ioſue, Dauide, Daniele, Præcurſore, Stephano, & aliis innumeris. Iobum ergo educturus in ampliſſimum huius mundi theatrum, vt vniuerſis norma foret veræ conſtantiæ ac patientiæ in aduerſis & calamitatibus, illũ cum primis virtutibus ſuis adornat, & viuis depingit coloribus.

Gen. 15. 17. 22. Heb. 11. Rom. 4. Gen. 30. 37. Exod. 1. 2. 3. 4. Heb. 11.

Vir erat, inquit, *in terra Hus, nomine Iob*. Græcis eſt ἄνθρωπος, homo: Hebræis plus eſt איש, vir: *Enoch*, iſtis eſt homo pauper, abiectus ærumnoſus: *Adam*, omnibus commune: ſed *Iſch*, vir præſtans, generoſus, dignitate ſublimis. Iob igitur *Virum* nominat tanquam eximium ac nobilem à virtutibus, qui non muliebri mollicie effœminatus eſſet, ſed maſculo robore, etiam aduerſus Diabolos, adeoque ipſum Satanam eorum principem inuictus perſtiterit. Corpore quidem mortalis, patibilis,

& corruptibilis erat, instar omnium aliorum: sed animi virtute & constantia tanta præditus, vt ipsum Spiritus sanctus nihil dubitauerit vniuersis inferorum copijs & insultibus, velut firmissimum ac immobile saxum, murumque ahenæum opponere. *Vir* erat, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. *Vir*, qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit. *Vir*, qui tulit tentationem, & probatus accepit coronam vitæ. *Vir*, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. *Vir*, qui timuit Dominum, &c.

Ps. 1.
Eccli. 31.
Iac. 1.

Origenes & Chrysostomus putant hominem vocari ad ignominiam & confusionem Satanæ, quasi exprobraretur illi: Conspice ac erubesce Satana, miseram infirmitatem & imbecillitatem tuam, & quòd nihil valeant omnes vires, omnes furores ac impetus tui aduersus eos, qui constanter credunt atq; sperant in Deum omnipotentem, ad ipsumque rebus in aduersis confugiunt. Ecce vir de terra conditus, carne circundatus, imbecillis, fragilis, filius Adæ, pronus ad malum ab adolescentia sua, à te nunquam vinci, nunquam prosterni potuit. Nunquam verbum blasphemum, quod ab eo cunctis fraudibus tuis extorquere conabaris, ore suo protulit. Vicisti quidem tertiam partem angelorum, superasti Adamũ, expugnasti Cain, Lamech, Gigantes & Noe; vniuersam carnem vt corrumperet vias suas

Comment. Hom. 2. in Iob.
Gen. 6. & 7.
Apoc. 13.
Gen. 3. 7.

induxisti; victoriam reportas de Cham, de Ismaele, de Esau, & fratribus Ioseph, &c. sed Iobum, ne lato quidem vngue à regia virtutis via dimouere nullis artibus vnquam potuisti. &c.

Hinc cernimus nos omnes inexcusabiles coram Deo fore, si beati Iob fidem & spem in Deum, in aduersisque patientiam & constantiam, non fuerimus imitati. Quoniam & ipse non lapis, non ferrum erat, non adamantem pro corde gerebat: sed homo patibilis, similis nobis, exstitit. Non Angelus, non Archangelus, non Cherubim, aut naturæ superioris vel immortalis: sed vir eiusdem nobiscum speciei & conditionis. Quam ergo legitimam excusationem peccantes adferemus? Iob vir erat, & non superbus, non arrogans, non ambitiosus, non furiosus, non blasphemus, non auarus, non luxuriosus, non inuidus, &c. Ergo cùm homo sis, vt ille fuit, cur hæc peccata non fugis, vt ille constanter fugit? Odit Deus excusationes in peccatis. Adam super *Gen. 3.* vxorem se excusans, & vxor super serpentem, sua ipsorum contumacia crimen adauxerunt. Saul putans à se peccatum repellere super sacrificijs offerendis Deo, de pecoribus Amalecitarum, quibus pepercerat, audiuit: *Quare non* *2. Reg. 15.* *audisti vocem Domini? Numquid vult Dominus holocausta, & non potius vt obediatur voci eius? Pro eo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex.* Quanta quæso, ignominia, sic ex alto & regio throno deturbari? Quan-

tum ergo ſcelus, peccato ſe eximere coram Deo? Samaritana ſimulans ſe ſine viro caſtè viuere: conuincitur à Domino, quòd quinquies meretrix eſſet, &c. Et tamen, qui hominum Confeſſionibus præſunt, excuſationes ferè ſemper, non accuſationes audiunt. Contrà verò Dauid rogat: *Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Chriſtus illas omnino prohibet damnatque, de Iudæis dicens: *Excuſationem non habent de peccato.* Gregorius adfirmat, excuſantes peccata ſua ſimiles eſſe reprobis illis, qui in iudicio ſunt dicturi: *Quando vidimus te eſurientem, aut ſitientem, aut nudum?* Et B. Bernardus ſcribit: Propterea poſuit Deus virtutes Sanctorum ad exemplum noſtrum, vt per veſtigia ipſorum peruenire poſſimus ad regna cælorum. Vel ſi eos ab bene operandum ſequi noluerimus, in pœnis inexcuſabiles ſimus.

Io. 4. — Pſ. 140. — Io. 15. — com. in 1. Reg. c. 15. — De modo bene viuendi c. 16.

Obſeruant rurſum Origenes & Chryſoſtomus, plurimos ſceleribus & conſpurcatis moribus ſuis efficere, vt potius ferarum & belluarum, quàm hominum, digni ſint nominibus, quòd earum inſtituta ſeruent ac imitentur. Impudentes & ſalaces, vocantur ſues & canes redeuntes ad vomitum, & ad volutabrum luti. *Foras canes & venefici.* Qui voluptatibus carnis effluunt, dicuntur equi, muli, & hirci. *Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat, Ierem. 5.* Crudeles, proditores, fallaces, Scriptura nominat lupos rapaces, ouium pelle contectos. Maledici, ingrati, detractores, compa-

Chryſoſtom. Hom. 23. in Geneſ. — 2. Petr. 2. — Apoc. 21. — Pſ. 31. — Matth. 25. — Matth. 7. — Act. 20. — Hauac. 1.

rantur cum viperis, & alijs ſerpentibus, dicente Pſalmiſta, *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Quinetiam, leues & inconſtantes in fide, conferuntur cum arundinibus vento agitatis, & fluctibus maris, qui à vento mouentur & circunferuntur. O quantum probrum atque dedecus! O quantam ignominiam ac infamiam aſciſcunt ſibi infelices filij hominum! Facti ad imaginem & ſimilitudinem Dei omnipotentis ac immortalis, ſuis ſe peccatis ſponte faciunt ſimiles iumentis inſipientibus. Velut à quadam Circe, id eſt blandiente voluptate ineſcati & dementati, (quod de ſociis Vlyſſis fabulantur) conuertuntur in porcos & aſinos. &c.

Matth. 3. *Pſ. 139.* *Matth. 11.* *Iac. 2.* *Iud.* *Pſ. 48.* *Homer. Plutarch. Ouidius. Virg. 7. Æn.*

Nomen Iuſti viri dicebatur Iob, id eſt, dolens & gemens, quod certè illi appoſitò conuenit, vt euentus manifeſtauit. Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis. Nomina namque Sanctorum Hebraica, Caldaïca, Syriaca, Arabica, plena fuerunt myſteriis, & rebus geſtis ab illis, & circa eos valde accommoda. Abraham, eſt pater excelſus: & Abraham, pater multarum gentium: Iſaac, riſus & gaudium: Iacob, ſupplãtator: Iſrael, videns Deum, præualens Deo. IESVS, IEHOSVA, Dominus ſaluator. Horum rationes in Scripturis proſtant. Voluit ergo Spiritus ſanctus vt Iob ille etiam ab initio appellaretur, quẽ innumeris doloribus, & gemitibus probaturus ac exerciturus erat. Hinc verò animaduertimus, nomen, id eſt, memoriam famamque Sanctorum

hominum ſemper eſſe glorioſam, honorabilem & immortalem, ſecundum illud: *Memoria iuſti cum laudibus, nomen autem impiorum putreſcet.* Iam enim nemo memor eſt Caini, Nembrothi, Pharaonis, Abſalomi, Iudæ, Pilati, Annæ & Caiphæ, niſi cum execratione & deteſtatione: vti è diuerſo, cum omni laude & veneratione de Abele, Enoc, Abraham, & ſimilibus. Sunt qui famam immortalem quæſierunt, conditis à ſe vrbibus nomina propria imponentes, vt Alexander, ob conſtructam Alexandriam: alij ob Antiochiam, Romam, Conſtantinopolim, Adrianopolim, &c. Sed ſi virtuti atque pietati ſtuduerimus, quantumuis abiecti & obſcuri in hoc mundo videamur: nomina tamen noſtra ſcripta ſunt in cælis: eorum Deus & Angeli eius ſunt, eruntq́; perpetuò memores. *In memoria æterna erit iuſtus.* Sola virtus expers eſt ſepulchri. Nunquã Stygias fertur ad vndas inclyta virtus.

Prou. 10.

Matth. 5.
Apoc. 21.

Pſ. 111.

Cuius autem rei gratia prouinciam Iobi nominauit Scriptura? Vt diſceres, inquit B. Chryſoſtomus, non peruerſorum commercia agere id poſſe, vt iuſtus vir peccet: ſed piorum Deo-q́ue deditorum propoſitum firmum, ſtabilem-q́ue oportuit habere mentem. Nam & Arabiæ prouincia impurorum corruptorumq́ue hominum habitaculum eſt. Sed tantum impietatis pelagus, pietatis luculentam facem nequiuit extinguere. Tantus malorum locus, continentiæ decorem denigrare non valuit.]

Hom. 1. de pat. Iob.

Intueamur etiam pios Dei ſeruos ac filios, cum

cum reprobis atque membris Diaboli in hac vita futuros ſemper permixtos. Ex quo B. Auguſtinus colligit, Eccleſiam in terris militantem ſuo gremio bonos & malos complecti: atque propter malos, bonos non eſſe deſerendos, ſed potius tollerandos eſſe malos in gratiam bonorum, donec Chriſtus poſtremò veniat, aream ſuam omni palea & zizania purgaturus. Sic Abel in eadem familia vixit cum reprobo Cain: Noë, inter Gigantes: Abraham fidelis, cum Chaldæis infidelibus: Moſes, inter Ægyptios: Elias, inter Baalis cultores: Ioannes, cum Phariſæis: Chriſtus, cum Judæis: Petrus, cum Iuda: Stephanus, cum Nicolao: Virgines prudentes, cum fatuis, &c. Ergo propter hypocritas, ſimoniacos, laſciuos, auaros, ambitioſos, ſeu paſtores ſeu oues, Eccleſiæ Chriſti vnitas nunquam eſt deſerenda. Aderit tempus, quo vnicuique reddetur ſecundum opera ſua. Patienter expectanda eſt ſuprema Supremi omnium Paſtoris ſeparatio, nunquam ſchiſma faciendum vel ſectandum.

Aug. to. 7. lib. contra Donatiſtas.

Matth. 3. 13. 25.

Matth. 22. & 25.

Rurſum, cùm prouincia beati Iob nominatur, nimirum *Hus*, terra Gentilium, à finibus ſeiuncta Iſraelitarum, obſeruemus, Deum verum etiam inter ethnicos, infideles, & barbaros, quoſdam ſemper ſibi ſeruaſſe cultores & ſeruos: etiam ſi mundus eos nec agnoſceret nec probaret. Eliæ namque conquerenti ſe ſolum relictum eſſe, qui per decem tribus, id eſt, regnum Iſraeliticum, verum Deum coleret: Iezabelis verò miniſtros altaria ſubuertiſſe, &

3. Reg. 19.

pios alios omnes prophetas occidisse, responsum est à Domino: superesse plusquam septem millia, qui non curuarant genua ante Baal. Ad hæc, Abdias in foueis centum occultatos nutriebat. Denique, Ierosolymis, & in toto regno Iudæ, adhuc vigebat & florebat vera religio. Hoc idem comprobant Augustinus, Eusebius, atque Tertullianus, exemplis nostri Iob: deinde, Melchisedec, Raab, & Achior, qui inter Chananæos, Ierichuntinos, & Ammonitas verum Deum agnoscebant, timebant, & data occasione palam confessi sunt. Inde verò sancti patres fidenter retundant superbissimum illud supercilium Iudæorum, quo se solos Dei electos & filios in terris esse iactabant, cæteros autem omnes tanquam immundos canes, & omnino à salute alienos reputabant.

L. 18 ciuit. c. 4. l. 1. Demonst. c. 6. lib. adu. Iudæos.

His addamus promissiones de futuro semine, contrituro caput Serpentis, vniuersorum hominum parenti Adamo factas fuisse. Et post multa sæcula dictum quoq; Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* De quo & Iacob moriens prophetauit: *Erit expectatio gentium.* Et ab Isaia dicitur: *In eum gentes sperabunt.* Isthæc perpendens Iustinus martyr, non dubitat adfirmare pios Philosophos Pythagoram, Socratem, Platonem, & similes, qui cum ratione vixerunt, deos Gentilium contempserunt, verum autem & vnicum asseruerunt, esse comparandos cum Abraham. Addo & Clementem Alexandrinum, scribentem,

Gen. 3. Gen. 22. Gen. 49. Isa. 11. Iustinus Apolog. 2. L. 4. stromaton.

Sibyllas, Poëtas, & Philosophiam, hoc præstitisse inter Gentes, quod inter Iudæos fecerunt Lex & Prophetæ, videlicet pædagogiam ad Christum. Sequitur B. Augustinus, referẽs in literis accrosticis versum ac oraculorum Sibyllæ Erythrææ, inueniri: IESVS CHRISTVS, FILIVS DEI, SALVATOR, CRVX. Quis non arbitrabitur hoc Dei reuelatione ac inspiratione, inter Gentiles contigisse: quemadmodum antea longè eosdem versus referẽs, scripsit Eusebius? Et ne quibusdam suspecti, atque à Christianis conficti dicantur, Ciceronem allegat, qui hoc poëma legisse, illudque in Romanam, id est, Latinam dialectum, & in commentariis suis inseruisse, constanter adfirmat.

L. 18 de ciuit. c. 23.

L. de vita Constantini.

Nec extra rem erit istis connectere, quæ Paulus Diaconus, lib. 23. de gestis Romanorum & Longobard. & post hunc, Sigebertus ad annum 782. referunt, quæ & ipsa ad cognitum inter Gentiles Christum pertinent. Nimirum imperantibus Constantino, & matre sua Irene, inuentam fuisse ac effosam de terra, arcam lapideam, in qua cum quodam corpore, in lamine scriptum erat: *Christus nascetur ex virgine. Credo. Sub Constantino & Irene, Sol iterum me videbis.* Creditumque à multis fuisse sepulchrum, corpusque Platonis. &c. Quicquid de hoc sit, certum est ex Apostolo, Deum Gentiles non omnino reliquisse sine testimonio de se dans illis tempus matutinum & serotinum, gaudio & lætitia replens corda eorum,

Act. 14.

&c. Ac etiam hodie compertum est, Christum cultores suos adhuc habere inter Turcas, Tartaros, Persas, Mauros, Indos, Malabares, Barbaros, &c. Non ergo deficiendum propter multitudinem apostatarum, hæreticorum, infidelium: sed orandum vt omnes illuminet, nosque seruet in sempiternum.

HOMILIA QVARTA.

1. *Et erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. &c.*



SAcris Theologis optimè conuenit cum Philosophis, ac huius mundi Sapientibus, tria esse genera bonorum; quibus homines si his benè recteque vsi fuerint, & hîc feliciter viuunt, & summum tandem bonum consequuntur; nimirum, bona animi, bona naturæ, bonaque fortunæ. In bonis quibus animi nostri exornantur & beantur, Christiani connumerant fidem, spem, caritatem: de quibus docet Apostolus: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc, &c.* Hinc constituunt virtutes Intellectus, videlicet sapientiam, intelligentiam, prudentiam. Inde, morales, quibus passiones reguntur & domantur, quales sunt liberalitas, tem-

1. Cor. 13.

perantia, iustitia, & fortitudo. Sunt denique virtutes Christianæ, atque dona Spiritus sancti, quæ recitantur à viris Dei Prophetis & Apostolis, nempe, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, &c. In bonis autem naturæ referuntur corporis sanitas, robur, pulchritudo, agilitas, libertas; postremò, ex honesto & legitimo matrimonio honesti liberi, qui nomen familiamque perpetuent. De his ait Sapiens: *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit filium post se.* Iure namque de his parentes dicere possunt: *Os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Tertiò sunt bona fortunæ, vt opes, thesauri, greges, serui, vestes, domus, abundantia vini & olei, honores, dignitates sæculi. &c. Dicuntur autem bona fortunæ; non à falsa, fictitiaque dea, quam Ethnici cælo locabant: sed quòd huiusmodi bonorum possessio sit valde incerta, varia, inconstans, tandemque velimus nolimus, ingratissimis, ac indignissimis persæpe relinquenda hæredibus.

Isa. 11. *Gal. 5.* *Eccli. 30.* *Gen. 3.* *Eph. 5.*

Atque hæc sunt, quæ vitam Iob initiò fecerunt beatiorem: & quibus auctum, cumulatumque fuisse refert Moses beatissimum hominem illum. Quibus autem de causis putamus, principio huius Tragicomœdiæ ista commemorari? Primò, vt cogitemus ex quanta felicitate terrena & humana, in tantas calamitates, miserias, & angustias ceciderit. Secundò, quali constantia, & robore animi munitus erat, quando his omnibus amissis, nec in Deũ

blaſphemauit, nec ſtultum quid contra illum loquutus eſt: ſed è contrario, cum omni demiſſione animi laudauit, d. *Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sit nomen Domini benedictum.* Tertiò, cùm audierimus eum in tot tantaque aduerſa incidiſſe, vt totus mundus, omnes inferi, & ſuperi aduerſus illum coniuraſſe viderentur, nequaquam arbitremur eum propter peccata ſua hæc pertuliſſe, vel à Deo in ira ſua derelictum fuiſſe: ſed inuidia Diaboli, ſecretoque Dei conſilio, vt probaretur, exemplo patientiæ foret toti mundo, glorioſiùs denique coronaretur in cælis. Quartò cùm iuſtus & innocens in iſtud mare malorum incidit, ne temerè aut de illo, aut de quoquam alio iudicemus, quod multi faciunt de proximorum miſerijs; qui frequenter meliores ſunt in conſpectu Dei, quàm temerarij ac nimium præcipites illi iudices. Poſtremò, quia luctaturus erat contra ipſum Satanam, hoſtem planè terribilem, truculentum, horribilem, priùs tanquam valentiſſimus athleta Iob deſcribendus fuit. Enimuerò, viribus ei opus fuit, & pectore firmo, vt hoſtem tam inuictum frangeret, fugaret, de illo triumpharet.

Iob. 1.

Sed de illius virtutibus ordine dicamus, & quæ ex illis in rem noſtram notanda & obſeruanda erunt, pro virili exponamus. Principio autem dum celebratur à ſimplicitate, rectitudine, timore & amore Dei, docemur homines non ſola fide bonos, iuſtos, vel ſaluos eſſe in conſpectu Dei: ni bonarum quoque aliarum

Iren. l. 1. cap. 1. 20.

virtutum opera & officia coniungant. Atque hoc constanter prædicandum & seruandum aduersus Simonianorum, Eunomianorum, Manichæorum & veterum recentiumq; Gnosticorum hæreses: aduersus quos suas Epistolas direxisse & scripsisse beatos Apostolos Petrum, Iacobum, Iudam, & Ioannem, optimè iudicat B. Augustinus. Quibus adde, spem in Deum, amorem eius, atque proximi, inuocationem, timorem, obeditionem, & gratiam Spiritus sancti, omnino necessarias esse. Præterea, totius Decalogi, qui de operibus est, obseruationem. Ad hæc, Christum rogatum ab Adolescente, quid faciendo vitam æternam possideret? Non remisisse illum ad solam fidem: sed ad opera bona, id est, ad obseruationem mandatorum, quæ etiam de iustis sunt operibus. Insuper, Apostolus Iacobus multis argumentis euincit, Fidem sine operibus veram quidem, sed mortuam esse. Christus denique dum vniuersos iudicabit, non de sola fide, sed & de bonis operibus rationem postulabit, eisdemque repositam esse vitam æternam pronunciabit. Illis igitur vnusquisque pro viribus incumbat, nihil hæsitans, quod Christus tunc reddet vnicuique secundum opera sua: & quod vnusquisque recipiet suam mercedem secundum proprium laborem.

L. de fide & operibus, c.14. *Matth.19.* *Iacob.2.* *1. Cor. 13.* *Matth.25.* *Io. 5.* *Ps. 61.* *Matth. 16.* *Rom.2.Cor. 3. Gal.6.*

Sed vt ad singulas nunc descendamus Iobi virtutes, primò dicitur, *Vir simplex*. Non intelligas ignarum, stupidum, imprudentem, aut ignauum. Sed non hypocritam, non simu-

latum, aut duplicem animo, qui aliud in ore gereret, quique nosset alios simulando & decipiendo astutè fallere: sed syncerum, candidum, integrum, innocentem, & perfectum:
Gen. 25. qualis dicitur fuisse Iacob patriarcha: *Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis.* Et Dominus
Gen. 20. dicit ad Abimelec: *Scio quòd in simplicitate cordis fecisti hoc.* Talis fuit Nathanael, de quo dicit IESVS. *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.*
Matth. 10. Istiusmodi vult Christus Discipulos suos, & nos omnes esse, nempe simplices sicut oues atque columbas.

Ista porrò simplicitas non est fatua quædam ignorantia, qualis conspicitur in paruulis idiotis, vel mente captis, non intelligentibus quæ dicunt vel faciunt. Hæc enim stoliditas & imprudentia prohibetur ab Apostolo
1. Cor. 14. dicente: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.* Hinc ait
L. 1. Moral. c. 2. B. Gregorius: Spiritus sanctus non in colum-
Matth. 3. ba solùm præsentiam suam hominibus osten-
Act. 2. dit, sed etiam in linguis ignitis: vt pios doceret debere esse simplices, & sine malitia: insuper, & zelo pleni, vt contra culpas delinquentium constanter & ardenter loquantur. Sic Christus simplex fuit semper in intellectu & intentione
Matth. 21. erga Deum: sed idem zelo accensus peccata
Io. 2. vendentium in templo; aduersus auaritiam Iudæorum; simoniam sacerdotum; ambitio-
Matth. 23. nem Pontificum; hypocrisim Pharisæorum.
Matth. 18. Paruulo aduocato in medio Apostolorum, dixit illis: *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non in-*

trabitis in regnum cælorum, vt ad simplicitatem, humilitatem, ac innocentiam eos exemplo prouocaret.

Alia virtus Iobi, *erat rectus*. Alij reddunt, *æquus* quod ad prudentiam volunt pertinere, vt ei simplicitas superior coniungatur. Talis Iacob quoque fuit vt refert Propheta. *Noli timere serue meus Jacob, rectißime, quem elegi*: & nihilominus vir simplex, ita tamen simplex, ne quid æquitatis desiderari posset. Tales iterum etiam Discipulos esse vult, qui iungant columbinę simplicitati serpentis prudentiam, non permittentes sibi ob candorem & facilitatem extorqueri virtutem ac iustitiam. Sint recti ac æqui, id est, non morosi, non difficiles, nec ad dexteram nec ad sinistram deflectẽtes: sed incedant plana iusticiæ via, nec luti mollities, nec glarearum durities remoretur. Summatim dicam, Aureę mediocritatis rationem seruent in omnibus.

Isa. 44. *Gen. 25.*

Matth. 10.

Tertia virtus beati Iob dicitur, *Timens Deum*. Religioso ac verè filiali timore venerabatur, pieque Deum verum colebat, adorabat, inuocabat. Non timebat eum ob solas plagas euitandas, vt faciunt multi: sed formidabat ne vspiam à bona sanctaque gratia illius excideret, quo minus inter filios Dei connumeraretur. Sine quo timore non potuisset verè esse simplex, verè iustus, verè rectus ac æquus. Non excludit autem timor ille Spem vel Caritatem, sed addit. Qui autem simili timore præditi sunt, sentiunt prope esse Dominum



Ps. 84.

timentibus ſe: quapropter quotidie ſeipſos
1. Io. 3. ſanctificant, & ab omni malo recedunt, id
quod de Iobo continuò ſubiicitur.

Et recedens à malo. Pro reuerentia, timore, & amore Dei ſtudioſè cauebat, ne in illum in primis offenderet; hinc, neque in ſeipſum, neque in proximum aliquid iniquum aut iniuſtum admitteret. Hoc idem eſt quod Sapiens docet: *Time Deum, & recede*
Prou. 3. *à malo.* Iob itaque non ſolùm à grauibus illis Idumæorum & Huſſitarum ſceleribus, nec ſolùm ab omni ſpecie peccati abſtinebat: ſed quod maius eſt, exercitatione quotidiana, ſeipſo ſanctior& purior prodibat. Græci ſuperiora paulò aliter legunt, vt patet in Origene, Chryſoſtomo, & Catena ex illis collecta, videlicet: *Et erat homo ille irreprehenſibilis, iuſtus, verus Dei cultor, abſtinens ab omni opere malo.* Noluimus verò à veritate Hebraica, nec ab editione vulgata recedere: cùm præſertim in
Commentar. eundem ſenſum cuncta recidant. Beatus Tho-
in 1. c. Iob. mas hæc paucis iſtis comprehendit. Hic vir non circonuenit per dolum proximum: vnde dicitur, *Erat vir ille ſimplex*, quod doloſitati opponitur. Sequitur, *Et rectus.* Rectitudo ad
Iſa. 26. iuſtitiam pertinet quæ in æqualitate conſiſtit, ſecundum illud: *Semita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum.* Subiicitur, *ac timens Deum*, in quo reuerentia ad Deum deſignatur. *Ac recedens à malo*, quia malum odio habuit propter ſeipſum. Doctor Lyranus, Simplex,
Comment. i d eſt, ſine plica doloſitatis & falſitatis, ſecun-

dum verbum Apostoli: *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Et rectus, id est, per lineam iustitiæ procedens in suis actibus. *Ac timens Deum*, scilicet timore filialis reuerentiæ, & sic bene se habens erga Deum. *Et recedens à malo*, non formidine pœnæ, sed virtutis amore. &c. *Rom. 11.*

Ex ijs porrò quædam obseruanda: alia verò discutienda & soluenda. Primùm, illos indignos esse hominis definitione ac titulo, qui aliter viuunt, prout notant Origenes & Chrysostomus. Homo autem à Philosophis, dicitur, Animal rationale ac mortale. Maligni autem, fallaces, veteratores, proditores, nec rationem ducem sequuntur, sed peruertunt: nec mortales esse se satis animaduertunt, sed obliuiscuntur. Indigni sunt ergo qui cum hominibus censeantur. Deinde, Philoni ac Eusebio, Homo est opus factum ad imaginem & similitudinem Dei. Dolosi verò, maligni, traditores, scelerum suorum sordibus hanc Dei perpulchram imaginem obscurant, contaminant, deformant: induunt autem eius loco fœdam & abominabilem effigiem Diaboli, qui ab initio fuit fallax, proditor, mendax, & homicida. Quanta quæso, ignominia? *L. de Abraham.* *L. 3. prep. Euang. c. 3.* *Io. 8.*

Deinde, beati Iobi descriptione damnatur omnis hypocrisis, fraus, atque simulatio, quę vitia hodie plusquam regnant in aulis, in prætoriis, in officinis, in compitis, in domibus. Spiritus veritatis illis maledicit, d. *Væ duplici corde: Vir duplex animo inconstans est in omnibus* *Eccli 2.* *Iacob.*

viis suis. Christus eosdem comparat cum sepul-
Matth. 23. chris dealbatis, quæ foris parent speciosa, intus autem fœtorem exhalant intollerabilem. Dauid omnium grauissimè & frequentissimè de his conqueritur, iisdemque prophetico
Ps. 5. spiritu varia imprecatur. *Virum sanguinum & dolosum abhominabitur Dominus.* *Viri sanguinum*
Ps. 51. *& dolosi non dimidiabunt dies suos. Molliti sunt*
Ps. 40. *sermones super oleum, & ipsi sunt iacula. Sepulchrū patens est guttur eorum, iudica illos Deus.* Viderunt
Ps. 13. prisca sæcula infames proditores Cain, Ioab, Iudam. Vidit etiam ætas nostra illis longè grauiora & atrociora. O quàm longè absunt mores isti, à Iobi simplicitate & rectitudine! O quàm verè & appositè dictum, trans sublimi regnat in aula!

Præterea, viri istius delineatione docentur omnes, quomodo cum proximis viuendum sit, nimirum sine rixis, querelis ac mutuis offensionibus: sed modestè & tranquillè. Regu-
Exod. 20. Deut. 5. lam istam tradit Deus, in lege præcipiens: *Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Et in Euangelio Filius eius eandem confirmat, d. *Quæcunque*
Matth. 7. *vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*
Tobiæ. 4. Et senex Tobias filio suo præcipiebat: *Non facias alteri, quod tibi oderis fieri.* Non vis probris affici, non lædi in bonis, non fraudari, non percuti, &c. caue ergo ne aliis eadem facias: sed cuncta bona, adeoque meliora illi præsta. At nunc (inquit Bernardus) summa miseria, summū dedecus! Cùm pius homo describitur, non affirmatiuè vt Iob, & vt oportet, defi-

nitur: ſed negatiuè dicitur, Non eſt blaſphemus, non hæreticus, non adulter, non homicida, non latro, &c. Non ſufficit verò declinare à malo, niſi facias bonum. *Quieſcite peruerſe agere, & diſcite benefacere, ait Dominus per Prophetas.* Nec enim ſolùm data ſunt præcepta negatiua, quo malum prohibeant: ſed etiam affirmatiua, quæ bona præcipiant. *Pſ. 33.* *Iſa. 1.*

Verùm, ſollicitos fortaſſis tenet vos, qua ratione Iob dicatur tam ſimplex, rectus, & ſanctus, cùm legem diuinam nondum teneret, quam ſequeretur? Reſpondeo. Et ſi lex nundum per Moſem data & accepta eſſet; ac etiã data illum non obligaſſet, quoniam Iſraëlitas duntaxat deuinciebat; habebat tamen Legem naturæ ſcriptam in corde & animo ſuo, quam tum ſeruare Gentibus ſatis erat. Ait enim Irenæus martyr: Omnis multitudo eorum, qui ante Abraham fuerunt, iuſti: & eorum, Patriarcharum, qui ante Moyſem fuerunt, ſine his quæ prædicta ſunt, (legalibus ſacris) & ſine lege Moyſi iuſtificabantur.] Tertullianus quoq; fortiter contendit, Ante legem Moſis, fuiſſe legem non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus cuſtodiebatur. Huius autẽ obſeruatione & Noe iuſtus, & Abraham Dei amicus, & Melchiſedec ſummi Dei ſacerdos dictus eſt. Iuſtinus martyr iiſdem argumentis nixus, eamdem ſententiam tuetur. *Lib. 4. c. 27. & 30.* *Lib. contra Iudæos.* *Iuſt. in dialog.*

At verò, Iob, vt omnes alii, natus erat filius Adæ, proindeque filius iræ, vt reliqui. Senſus porrò & cogitatio humani cordis prona *Eph. 2.*

Ps. 13. *sunt ad malum, ab adolescentia sua. Omnes decli-*
Gen. 6. *nauerunt.* Respondeo. Non erat iustus & san-
Lib. contra Iul. Pelag. c. 9. ctus naturâ, sed gratia & miseratione Dei. Ete-
nim non est credendum, ante datam Circun-
Lib. 2. de nupt. & cõcupisc. ca. 12. cisionem, (ait B. Augustinus) famulos Dei,
quandoquidem illis inerat Mediatoris fides,
nullo sacramento eius opitulatos fuisse, par-
Lib. 2. de peccat. meritis & remiss. c. 9. uulis suis: quamuis quid illud esset, aliqua ne-
cessaria causa. Scriptura tacere voluerit.] Ta-
metsi ergo nequaquam Iob circuncisionem
paruulus acceperit, qua peccatum eius origi-
nale deleretur: alio tamen quodam remedio,
illi legi naturæ communi & vulgato, ab illo
purgatus & sanctificatus fuerat. Quantum spe-
ctat verò ad adultos, non est dubitandum, quin
saltem per conuersionem ad Deum, ex vera
viuaque fide prodeunte, possent iustificari à
Matth. 23. peccatis actualibus. Ita Christus Abelem iustū
Gen. 6. & 7. appellat: Deus Noë dicit, *Inueni te iustum coram*
Iob. 1, & 2. *me.* Non dubium ergo, quin beatus Iob talis
esset, attestante semel & iterum Deo, coram
Angelis, & ipsomet Satana, quòd esset *vir sim-
lex, rectus, timens Deum, & recedens à malo.*

Quomodo verò dici potest, Deum timuis-
se, cùm Ioannes adfirmet, Timorem non esse
1. Io. 4. in caritate: sed perfectam caritatem foras mit-
tere timorem? Respondeo, Aliquem esse Ti-
morem seruilem, quo Deus apprehenditur
tanquam Iudex sæuerus, implacabilis, grauissi-
mus vltor scelerum. Et hic vtilis tamen est
peccatoribus, vt peccare desinant; & de isto
dici à Præcursore, *Quis vos docebit fugere à ventu-*


ra ira? Imò & à Christo: *Timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam.* Attamen imperfectus est, quoniam in reprobis, dæmonibus, atque damnatis etiam inuenitur. Timor verò ex amore, reuerentiaque Dei procedens in Sanctis est. Timent namque illum offendere, etiam si (per impossibile) non esset Iudex, si nullum iudicium futurum, si nulla gehenna, si nulla ira, si nulli inferi, si nulla reprobos manerent æterna tormenta. Timet filius patrem, non quòd diffidat de illius beneuolentia, sed ne rebellione sua eum ad iracundiam accendat. Ita pij Deum timẽt, non quod malè suspicentur de illius gratia & misericordia: sed bene semper de illo sperant atque confidunt. T*imete Dominum omnes Sancti eius*, ait Psaltes: *Videbunt multi, & timebunt, & sperabũt in Domino. Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino.* &c.

Matth. 5. Luc. 3. Iac. 2. Ps. 33. Ps. 39. Ps. 113.

Et nos denique ad imitationem sancti Iob, recedamus procul ab omni malo, primò contra Deum, nimirum ingratitudinis, erroris, hęresis, infidelitatis, blasphemiæ. Secundò, contra nos ipsos, velut iracundiæ, inuidiæ, gulæ, luxuriæ, superbiæ, auaritiæ. Tertiò, contra proximos, vt pote, homicidij, furti, rapinæ, falsi testimonij, &c. Verbis Apostolicis Homiliam claudo: *Ab omni specie mali abstinete vos.* Supplices precemur omnes. 1. Thess. 5.

HOMILIA QVINTA.

Natique sunt ei septem filii & tres filiæ.



Antas dicunt esse in Matrimonio, quamtumuis pacato & suaui, miserias, ærumnas, atque tribulationes carnis, vt has solummodo considerantes quidam viri impij, istum vitæ humanæ statum, à Deo optimo & maximo sanctissimè institutum, Satanæ tribuerint, & nihil à scortationibus, adulteriis, & fœdis libidinibus differre prædicauerint atque scripserint. Hi fuerunt Tatiani seu Encratitæ, & hi qui vocari voluerunt Angelici, Apostolici, Apostatici, quos sancti Patres statim damnauerunt vt impios, atque ex apertis Scripturis sanctis redarguerunt, constantissimè probantes & firmantes, hoc genus vitæ, in Paradiso, adeoque primæ iustitiæ ac gratiæ statu à Domino fuisse ordinatũ & benedictum. Ille enim ex costa Adæ fabricatam Heuam ad eundem tanquam paranymphus adduxit, & desponsauit vxorem. Ille verò ex manu Dei gratiosè suscepit eam, tanquam adiutorium simile sibi, dicens: *Nunc os de ossibus meus, & caro de carne mea. Derelinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna: Et benedixit eis dicens: Crescite, & multiplicamini, &c.* Ab iisdem prognati

1. Cor. 7.

Irenaus. Tertul. Epiphan. Theodor. Damasc. Isidor. Nicetas.

Gen. 2. Matth. 19. Marc. 10. Eph. 5.

prognati sancti Patriarchę, Seth, Enos, Enoch, Noë, in eodem statu Deo seruierunt & placuerunt. Et ne quis putaret per iram Dei in Diluuio, istam vitę humanæ conditionem improbatã & sublatam fuisse, eandem confirmãs & corroborans, Dominus eidem Noë, filiis, & vxoribus eorum iterum dixit: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Abrahæ tam sanctum fuit matrimonium, vt non audeat B. Augustinus illi virginitatem Præcursoris anteferre. Vterque enim sub lege, & vocatione sua Deo fideliter seruiuit. *Gen. 9.*

Hæc dixerim, quoniam hoc loco refert Moyses sanctum Iob ex legitimo cum vxore sua matrimonio decem numero honestissimos liberos procreasse, & optimis exemplis ac præceptis ad omnem virtutem diligenter instituisse. Insuper & his postea odio & crudelitate Satanæ de medio sublatis, totidem rursum ex eadem coniuge sua, (Deo Nuptias eorum benedicente) suscepisse. Nuptiæ ergo eius nihil obstiterunt illius sanctitati, aut puritati coram Deo. Approbans ergo Deus sanctus sanctorum virorum nuptias, edidit leges, quas vult inuiolabiliter seruari. d. *Non mœchaberis. Non concupisces vxorem proximi tui. Morte moriatur mœchus & adultera.* Volens itaque omnino ratas esse leges & iura matrimonij, illud probat & sanctificat velut sibi gratum & acceptum. *Iob. 1. & 42.* *Exod. 20. Deut. 5. Matth. 5. Leuit. 20. Io. 8.*

Accedit, quod Christus in Euangelio coniugia probans, voluit ex Virgine quidem, sed desponsata viro concipi, nasci, lactari: eadem *Luc. 1.*

Io.2. decorauit nedum præsentia sua, sed & primo miraculo suo. Voluit insuper, matrimonium
Matth. 19. legitimum rationem Sacramenti habere, d.
Conc. Trid. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Cùm ita-
Sess. 24. que voluerit Christus sacramenta legis Euan-
Ignat. ep. ad Philipp. gelicæ, veteribus gratia præstare, statuit Matri-
Clem. Alex. monium inter illa connumerandum esse: ve-
l.3. Strom. lut sancti Patres, Concilia vniuersalia, & to-
Tertull. E- tius veteris Ecclesiæ traditio disertè confir-
piph. Au- mat. Ergo, cùm firmæ sint nobis probationes,
gust. Hieron. quòd status coniugij Deum habeat authorem,
Ambr. Christum filium eius approbatorem, Aposto-
Eph. 5. los per totum orbem prædicatores & laudato-
Heb. 13. res, ac denique Ecclesiam conciliatricem; conscientias suas aduersus omnes tentationes, offendicula, & scrupulos solari & recreare debēt: qui in ea vocatione ambulant, certi quòd si iura illius obseruent, regnum Dei intra hos est.

Sed ad sanctum Iob redeamus. Habuit ille filios septem, & filias tres. Sed non ex adulterio, inquit Origenes, non vaga libidine cum ancillis, vel alienis fœminis: sed ex licito atq; immaculato matrimonio. Sciebat namque,
Sap. 4. *quia ex illicito thoro filij qui nascuntur, testes sunt iniquitatis aduersus parentes suos cùm interrogantur. Et spuria vitulamina non dare radices altas, nec*
2. Reg. 12. *stabile firmamentum.* Filius Dauid natus ex adulterio cum Bethsabæa, mox extinctus est. Sa-
Sap. 3. piens rursum scribit: *Filij adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exter-*
Iob. 31. *minabitur.* Idcirco veraciter dicit.. *Et si secutus*

est oculus meus vxorem viri alterius, atque his similia. Cùm ergo omnia obſcœna, execrabilia, atq; illicita declinaret, ſeptem habuit filios, & filias tres ſanctè & pudicè ſecundum officium naturæ. Perſpicuum enim eſt ex hiſtoria Abrahæ, & Abimelec Regis Geraris, quod fœminæ ſteriles redduntur à Deo, propter adulteria & ſcortationes maritorum. *Gen. 20.*

Septem filios vir iuſtus habuit, ait rurſum Origenes, Deo donante, iuxta hebdomadam ſæculi, & iuxta ſeptem ſtellas, quæ ſpatia cæli percurrunt]. Eliciunt autem ex ſacris Scripturis Theologi numerum iſtum Septenarium myſticum & ſacrum eſſe, Moſes namque iuſſus eſt ſepties aſpergere ex ſanguine victimarum altare, vaſa, populum, & leproſum, vt mundarentur & ſanctificarentur. Quis dubitabit, illis ſanguinem Chriſti ſeptem è locis ſacri corporis ſui pro ſalute noſtra fore exiturum & fundendum? fuſus etenim fuit in Circuncisione: hinc è facie in horto: inde, capite, per coronam ſpineam: præterea, dorſo in flagellatione: rurſum è manibus extenſis in cruce: iterum, pedibus per clauos: iterumque è latere lancea perfoſſo. Hinc autem emanauit virtus ac efficacitas, eximia ſanè ac ſaluberrima, ſeptem Sacramentorum, quibus in familia ſpiritualis Iobi, id eſt, Chriſti Domini, regeneramur atque ſanctificamur: Hæc adumbrantur pro certo, per ſeptem candelabra aurea inter quæ Chriſtus apparet: & per ſeptem ſtellas, quas habet in dextera ſua: & ſeptem continent dona Spi- *L. 1. in Iob. Grego. l. 1. mor. c. 6. Numer. 4. 10 16. Luc. 2 & 22. Matth. 26. & 27. Mar. 14. Io. 19. Apoc. 1. Iſa. 11.*

ritus sancti, quæ septem peccatis mortalibus opponuntur. Hunc porrò numerum Sacramentorum, alio scripto, cùm in generali, tum in vniuscuiusq; specie demonstrauimus.

Quamobrem verò & tres filiæ cõmemorantur? Aut tota familia iusti viri decem istis liberis comprehensa est? Soluit Origenes. Secundũ decem verba Legis, quæ post hoc filijs Israel sunt tradita. Ergo quia ea, quæ in decem verbis legis sunt præcepta, omnia Iob adimpleuit, & ante legem, & extra legẽ: decem liberi dati sũt ei.] Vis ergo honestis liberis abundare, qui nomen tuum, & familiam in terris perpetuent? Diuinis præceptis obtempera, & illis vel abundabis, vel quid salubrius & sublimius de te Dominus disponit. *Vtile est mori sine filiis*, inquit Sapiens, *quàm relinquere filios impios*. De quodam apostata, proditore, & desperato dicitur à Domino: *Melius esset ei, si natus non fuisset homo ille*. Et iterum Sapiens: *Confusio patris est in filio indisciplinato*. Quantas angustias pertulerunt Iacob, Heli, & Dauid pro peccatis filiorum suorum?

Exod. 19. & 20.

Eccle. 16.

Matth. 26.

Eccli. 22.

Sed cur non dedit Deus ei masculos tantùm? Cur & filias? Audi ait, rursum Origenes: Ob hoc dedit promiscuè & filios & filias, quia à sæculo ita dedit omnibus, *Genuit* (inquit) *filios & filias*. Et quia ita desiderant omnium mentes Hoc requirit hominis desiderium: ad satisfaciendum ergo humanis sensibus promiscuè dedit illi filios & filias. Et adhuc, vt concordia hominum multiplicetur per connubiorum

Gen. 5.

copulationes iterum, fuerunt illi filij & filiæ, vt cùm has foras traderet viris, haberet extrinsecus filios adoptiuos; & cum filijs de foris acciperet vxores, haberet etiam in his extrinsecus adoptiuas filias. Sæpe enim generi, vel nurus filijs synceriores reperiuntur circa soceros vel socrus suas. Talis fuit beata Ruth, quæ ita detulit socrui suæ veteranæ, vt vsque ad mortem non esset passa eam relinquere. Si igitur diligis virum tuum, ô mulier, dilige & eos qui genuerunt eum, & nutrierunt sibi filium, tibi filium, tibi verò maritum. Noli separare filiũ à patre vel matre. Diuum Petrum non dedigneris imitari, qui socrum & annosam, & imbecillam, & magnis febribus æstuantem domi fouebat, sed & Dominum pro eiusdem sanitate tandiu exorabat, donec exaudiretur. Historia quoque sancti Tobiæ narrat Raguelem filiam suam Saram, quam iuniori Tobiæ vxorem dederat, monuisse, vt soceros suos honoraret, virum suum diligeret, ac familiam regeret. Inter calamitates verò nouissimi sæculi prædicitur, quòd insurget nurus aduersus socrum suam, & filij in parentes; &c. quod nunc, eheu! adimpletum cernimus in multis familijs, præsertim hæreticorum. Hi enim nullo alio ducunt loco parentes, auos, abauos suos, quàm idololatrarum, excæcatorum, seruorum antichristi, ac ideo membrorum diaboli parricidæ, & plusquam barbari matricidæ! &c.

Ruth. 1. *Luc. 4.* *Tob. 10.* *Miche. 7.* *Matth. 10.*

Chrysostomus de iisdem filiabus Iob tractans vult illis significatas fuisse tres virtutes

theologicas necessarias cunctis, qui iustificari coram Deo, & saluari volunt, nimirũ Fidem, Spem, & Caritatem. Verba illius sunt: Tres ei filiæ iuxta carnem, tresque ei virtutes secundum spiritum, quemadmodum inquit Apostolus: *Manent tria hæc, fides spes, caritas, maiorque horum est caritas.* Gregorius autem docens per septem filios Iob, designatos fuisse duodecim Apostolos (numerus enim septenarius perfectionis est; & siue quatuor per tria, siue tria per quatuor ducatur, semper in duodecim vertuntur) qui sanctam Trinitatem in quatuor mundi partibus prædicare missi sunt: tandem colligit, per tres filias fidelium plebes fidem Trinitatis tenentes, significatas fuisse. Insuper, tres ordines fidelium designari in Ecclesiæ conuersatione, pastorum videlicet & continentium, atque coniugatorum. Vnde & Ezechiel propheta tres liberatos viros audisse se asserit, Noë, Daniel, & Iob.

Hom. 3. de patient. Iob.

1. Cor. 13.

L. 1. in Iob. c. 9.

Ezech. 14.

Sed ab allegoria, ad literam redeuntes dicam cum Philone disertissimo Iudæorum, quæ fuerit vxor sancti Iob, mater tot liberorum. Scribit namque hanc fuisse Dinam illam filiam Iacob, sororem duodecim Patriarcharum, quam vi raptam, violauit filius regis Sichem. Qua in re manifestatur etiam beati Iob eximia prudentia & pietas. Noluit assumere in coniugem, & familiam suam fœminam prophanam, gentilem, infidelem: sed vnam ex sacro semine Abrahæ, Isaac, & Iacob sanctorum Patriarcharum, inter quos veri Dei

L. de temporibus.

Gen. 34.

florebat religio, & cum lacte, liberi veram suggebant fidem & pietatem. Alta mente repositum tenebat, filios Seth, pios alioqui, & filias Cainitarum deprauatos fuisse adeò, vt propter scelera illorum, immissum esset Diluuium, & ferè deletum totum genus humanum; ideoque cum illis omnino nefarium cõmisceri. Nouerat quoque sanctum Abraham non nisi cum benedicta Sara nuptias contraxisse. Filio deinde suo Isaac, Rebeccam fidelem puellam in matrimonium quæsiuisse. Iacob denique socerum suum, spretis omnibus Chananæorum filiabus, confugisse ad Laban auunculum suum, vt sacra cum sacris iniret connubia. Atque hoc ipsum est, quod Deus apertis legibus suis Israeli prohibuit. *Vxores de filiabus Chananæorum non accipies filiis tuis, ne fortè fornicari faciant eos in deos suos.* Quod posteà non seruantes, initiati sunt Beelphegor, comederunt sanctificia mortuorum: & propterea cæsa sunt vno die ex eis viginti quatuor millia. Salomon adhærens alienigenis mulieribus, idolis earum erexit templum, eisdemque sacrificauit. Achab rex Israel, per Iezabelem infidelem seductus, vnà cum cultu vitulorum, impurissimi Baalis impietatem quoque coniunxit, ac temporalem, sempiternamq; perniciem sibi acciuit.

Gen. 6. Gen. 15. 16. 24. 28. 29. Exod. 34. Num. 24. 1. Cor. 10. 3. Reg. 11. & 16.

Quid porrò lex Christiana? Permittit ne Christianos contrahere cum Iudæis, Turcis, infidelibus, hæreticis in errore pertinacibus ac obduratis? Minimè gentium, cum idem

quod ſupra, periculum immineat: & miſerabiles euētus quotidie confirment. Etenim diſtrictè prohibet Apoſtolus. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? templi Dei cum idolis? Lucis ad tenebras?* Si infidelis pars vult diſcedere, diſcedat. Viduæ namque volenti nubere, id quidem permittit; *Sed tantùm in Domino*, id eſt, Chriſtiano, ac ſuæ veræque religionis viro. Apoſtolica igitur doctrina & ſententia iſta: Diſpar religio impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.

2. Cor. 6. & 7.

Et quantum ad Matrimonia cum hæreticis in errore pertinacibus ſpectat, in alio ſcripto quondam euicimus ex Concilio generali Chalcedonenſi, item ex ſexto vniuerſali, itēq; ex Laodiceno, penitus fugienda eſſe atq; damnāda. Oſtendimus quoq; non ſolùm, B. Ambroſium eximiū inter patres Latinos doctorē, Nuptias catholicorum cum hæreticis, æquè ac cum Iudæis vel Ethnicis reprobare: verum, & ex decretis Concilij Elibertini, & Agathenſis, iſtud euidenter confirmari. Viderint ergo parentes qui vel opum, vel honorum, vel fauorum humanorum cauſſa, illis aut filios aut filias coniungunt.

Com. in lib. Ruth. c. 1.

Ad ſancti Iobi ſanctos liberos reuertamur. *Nati ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.* Inueniuntur in ſacris, qui multoplures genuerunt: illi nimirum, qui in terris ſexcentos, ſeptingentos, octingentos & nōgentos annos vixerunt, quotannis gignentes filios & filias. Itemque

Gen. 4. 5. 6.

Gedeō dicitur habuisse septuaginta filios ex fęminis suis; quos vno die Abimelec spurius illius occidit. Iair triginta filios, sedentes super triginta pullos asinarum. Abesan quoque de Bethlehem, iudex Israëlis, habuisse legitur triginta filios, & totidem filias. Achab denique fuerunt septuaginta filij, qui apud præcipuos Samariæ ciues nutriebantur. &c. Sed quid profuit illis tam numerosa proles? Plurimi eorum malè pereuntes ob parentum peccata illis fuerūt dedecori ac ignominiæ omnes, oneri. Sapiens itaque rectè ait: *Ne iucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Melior enim est vnus timens Deum quàm mille filij impij.* Putas quanto dolore primi parentes viderunt Abelem cæsum à fratre suo Caino? Et Dauid rex audiuit Thamarem vi compressam à fratre? Amnonem necatum à filio & confratre Absalomo? Eundemque Absalom in seditione, & tentato parricidio, interēptum? Quàm grauiter tulit Augustus Cæsar filiæ & neptis obscœnas turpitudines? Verba ista eius sæpe repetita testantur: O vtinam aut cœlebs mansissem, aut prole carerem!

Indic. 8. & 9. Indic. 10. Indic. 12. 4. Reg. 10. Eccli. 16.

Sancto verò Iob decem liberi decori fuerunt & honori, tum propter diligentem sanctamque educationem, de qua suo loco dicemus: tum propterea quòd illos ex diuina largitate suscepisset. Noluit enim Deus (ait Chrysostomus) iustum omni diuina benedictione carere, imò etiam abundare voluit.

Nam vt illis sæculis sterilitas erat opprobriũ, ita fœcunditas in benedictionibus Dei censebatur: dicente postea Domino suis Iacobæis. *Non erit infœcundus nec sterilis inter vos.* Et rursum: *Non erit apud te sterilis.* Rachel præ desiderio liberorum dicebat viro suo: *Da mihi liberos, alioqui moriar.* Anna quoque orabat & vouebat pro suscipiendis liberis, ostendens, omnes qui matrimonio iunguntur, illorum desiderio flagrare.

Exod. 23. *Deut. 7.* *Gen. 30.* *1. Reg. 1.*

Cur ergo (quæretis) Abraham, Isaac, & plurimi quondam iusti eis caruerunt? Respondet Chrysostomus. Vti non sunt præcipua virtutis & pietatis præmia: sed quædam alia longè potiora, cœlestia nimirũ ac spiritalia, æternaque sunt credenda ac expectanda. Sic sanctus Abel sine liberis discessit. Nec liberos habuisse leguntur, sancti viri Melchisedec, Iosue, Elias, Elisæus, Ieremias, Præcursor, Paulus, Ioannes, Iacobus, Andreas, Timotheus, Titus, Lucas, Marcus, &c.

In catena Græc. L. 1. moral.

Denique, liberorum Iob numerus refertur (aiunt Basilius & Gregorius) vt rursum alia virtus eius ostendatur: videlicet quòd horum occasione non est delatus ad auaritiam, vsuras, rapinas, sacrilegia, vt tunc, & nunc quoque facit maior pars hominum. Aiunt enim, quærentes in peccatis excusationes: Liberi sunt nutriendi, vestiendi, filiæ elocandæ, filij euehendi. Ita sit: Ergo per artes illicitas? Ergo Dei præcepta violanda? Ergo gehenna propter illos tibi acquirenda? Quid, si liberi aut citò

aut ante te moriantur? Quid ſi ea quæ illicitè congregaſti, ignis abſumat? Latro furetur? Audi ergo Spiritum Domini tibi & illis meliora conſulentem: *Educate filios veſtros in diſciplina & timore Domini*. Honeſtum ſecundum ſortem veſtrā quoddam artificium docete, quo vitam ſuſtineant. Admonete, à Domino dictum eſſe primo parenti, & vniuerſis filiis eius: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Facite tandem vt ſeduli ſint & pij: Deus pro certo prouidebit. Oremus itaque omnes hunc Patrem noſtrum, qui eſt in cęlis. &c.

Eph.6.

Gen.3.

HOMILIA SEXTA.

3. *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis: eratq; vir ille magnus inter omnes Orientales.*

DIſputatum fuit olim acerrimè, quis in hoc mundo felicior ac beatior eſſet, Diues ne, qui opibus multis abundat; an pauper indigens, ac ærumnoſus, qui cunctis egeat vt vitam iſtam vtcunque ſuſtentet? Non defuerunt, qui ſortem pauperis, vt meliorem & tranquilliorem

defenderent patrocinante eis Christo ac di-
Luc. 6. cente, *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum*
Matth. 5. *Dei*: ac è contrario? *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram.* Suffragante quoque illis eiusdem Præcursoris, Apostolorum, Prophetarum, atque beati Lazari vita & exemplo, quos constat summa paupertate & patientia,
Matth. 8. gloriam, regnumque cęlorum obtinuisse. Certum quippe est Christum, non habuisse vbi
Luc. 9. caput suũ reclinaret: Apostolos eius laborasse
2. Cor. 11. fame & siti, frigore & nuditate: Prophetas circuisse in melotis, pellibus caprinis, angustiatos
Heb. 11. tos & afflictos: Lazarum morbo, fameque enecatum interijsse: attamen cunctis Regi-
Luc. 16. bus & diuitibus huius mundi, & nunc, & in æternum fore incomparabiliter feliciores. Plurimi è diuerso contenderunt, Diuitum cõditionem esse beatiorem, quibus res est non parta labore, sed relicta, thesaurorum ac voluptatum copia, quibusq; omnes applaudant, deferant, inseruiant. *Quorum filij sicut no-*
Ps. 143. *uellæ plantationes in iuuentute sua: filiæ compositæ vt similitudo templi: promptuaria plena: oues fætosæ, &c: dicentes beatum populum, cui hæc sunt.*

At sententia meliore visum est alijs, Mediocritatem quandam tutiorem, vtiliorem, & minus periculosam esse. Hinc enim nata sunt Prouerbia ista: Aurea mediocritas. Medium optimum. Medio tutus ibis. Medium tenuere beati. Atque hoc conclusum videtur à Sapien-
Prou. 30. te obsecrante: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.*

Quod à pijssimo parente didicisse videtur, dicente: *Rapinas nolite concupiscere. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Iccirco Spiritus sanctus relaturus facultates, possessiones, ac opes beati Iob, non dicit illas fuisse nimias aut superexcedentes sicut alicuius Crœsi vel Nabuchodonosoris; sed neque paruas vel minutas: sed mediocres. Hæ autem fuerunt septem mille Oues, tres mille Cameli, quingenta iuga boum, quingentæ asinæ, & famuli famulæque sufficientes ad has possessiones honestè administrandas. *Ps. 61.*

In his autem primò notandum docet B. Chrysostomus, quod inter has opes, non recenseantur generosi Arabiæ equi, apti ad prę-lia, non elephanti bellicosi, non currus falcati, quæ sunt possessiones virorum belligerantium: quoniam vir erat pacis & tranquillitatis amantissimus. Licet enim Salomon vndique pacem haberet: erant tamen & in omnē euentum quadraginta millia pręsepia equitum currilium, & duodecim millia equestrium. Absalom fecit sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. Meditabatur enim tyrannidem & perduellionem. Pharao persequuturus Israelem, tulit sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit. Iabin rex Chananæorum nongentos currus falcatos producebat in aciem, vt affligeret Israelem. Lysias in exercitu contra Iudam Machabæum habebat viginti millia equitum, & elephantos triginta duos doctos

3. Reg. 4. *2. Reg. 15.* *Exod. 14.* *Iud. 4.* *Math. 6.*

ad prælium. Verùm, isthæc non potuerunt obesse, quin omnes illi malè perirent. *Nam fallax equus ad salutem. Non in fortitudine equi Deus voluntatem habebit.* O qui bellorum calamitates recenseret! Quis ruinas, incommoda, calamitates exponeret? His enim ceciderunt bellicosa Numantia, ornatissima Corinthus, superba Thebæ, docta Athenæ, sancta Ierusalem, ipsaque Romani imperij æmula Carthago, tandem etiam ipsa potentissima Roma. Quid porrò docet bellum? Obsidere (ait quidam,) ciuitates, vastare agros, iacere tela, stringere ferrum, fremere tormentis, admouere machinas, perfodere muros, concutere turres, occupare mœnia, parare incendia, diruere arces, spoliare templa, diripere vrbes, subuertere oppida, conculcare leges, adulterari matronas, stuprare viduas, rapere virgines, ciuium alios vulnerare, alios incarcerare, alios deportare, alios trucidare. Tota denique disciplina militaris, non nisi in hominum pernicie est occupata. Hunc finem quærit, vt famosos vrbium euersores, strenuosque homicidas faciat, transformetque homines in ritus ferarum, moresque belluarum. Hinc bellum nihil aliud ferè est, quàm commune homicidium & latrocinium, &c. Ter igitur quaterque beatus Iob, qui pacis & tranquilitatis amore abhorruit ab omni bellorum apparatu atque tumultu; & rusticanam ac pacificam vitam illis prętulit, atque studiosè coluit.

Psal. 32.

Deinde, non dicitur habuisse magnos auri

vel argenti aceruos, non ciſtas margaritis & vnionibus refertas: quandoquidem horum poſſeſſio animos humanos potius irritet & inflammet, quàm ſatiet. Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit, Semper auarus eget. Accedit quod ſignati argenti vſus nondum inualuerat. Iob itaque felix & beatus, *qui poſt aurum non abijt nec ſperàuit in pecuniæ theſauris.* Sed quid aurum vt ſic in illud inhient & inardeſcant homines? Aurum gignitur in viſceribus terræ ex ſulphure ſubtili ac rubro, & viuo argento: ſed plus habens ſulphuris. Argentum è contrario. Colligitur autem vel ex arenis quorundam fluminum vt de Pactolo, Phiſone, & alijs aliquot narratur: vel de montibus, vel de ſcrobibus ac viſceribus terræ. De cuius amore nimio dicitur: *Nihil iniquius quàm amare pecuniam.* Nihil enim tam ſanctum quod non profanetur, nihil tam firmum quod non expugnetur, pecunia. Auro pulſa fides, auro venalia regna. In ſacris proſtant exempla Giezi, Iudæorum & Militum cuſtodum ſepulchri. Ideoque Chriſtus pro concionibus aiebat: *Diuitiæ ſunt ſpinæ. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei, &c.*

Eccli. 31.

Eccli. 10.

Matth. 3. & 19.

Cuiuſmodi ergo fuerunt ſancti viri diuitiæ? In his ſitæ fuerunt, quæ partim ad vitam paſtoritiam, partim ad mercaturam, partim verò ad agriculturam attinebant: hinc enim oues, cameli, boues, ad onera domeſtica ferenda in agros & villas quingentæ aſinæ. Nam ouium L. 8 c. 47.

vsus varius, & multiplex est vtilitas, ait Plinius. Viuentium prosunt vellera annua, quæ velut tributa soluunt ad lanificia & indumenta dominorum suorum. Deinde, agnorum: tertio, in lacte pro familia, & fimo pro agris colendis: Morientes prosunt in sacrificijs, in victu quotidiano, pellibus, & fidibus instrumentorum musicorum.] Veteres in his præsertim opes constituebant. Abel, Moses, Iacob, Patriarchæ, Dauid denique, pastores fuerunt ouium. Camelorum vsus, ait idem Plinius, maximus in Oriente, quia viuunt 50. & 200. annis: vehunt homines & sarcinas longissimè, sitim quatuor dies tolerant, pauco cibo & fœno contenti.] In sacris, Iacob fugit Laban ascensis camelis. Abraham dedit seruo suo Eliezer camelos, quibus longam peregrinationem breui conficeret, citiusque rediret. Raphaël velut homo, iturus in Rages, assumpsit camelos. Demum, vestes Præcursoris erant ex pilis camelorum adinuicem contextis. Bobus autem vtebatur Iob ad colendos agros, ad sacrificandum, ad alendum familiã, corio ad calceamenta, seuo ad luminaria. Asinis ferebat quæ necessaria erant ad agricolas, ad pastores, ad colonos. Præterea, cùm in Arabia dicantur asini præualere mulis Christianorum, tam robore, quàm diligentia, illis poterat vti vir sanctus in adeundis agris, & visendis villis suis.

Lib. 8. c. 18. *Gen. 31.* *Gen. 24.* *Tob. 9.* *Matth. 3.*

Quid porrò vtilitatis aut fructus ad nos ex horum narratione redire potest? Primò, ex ijs

rectè

rectè colligit Origenes nobis propoſitum eſſe in Iob optimi & prudentiſſimi Patrisfamilias exemplar omni ex parte perfectiſſimum. Huius autem officia quatuor numerat Ariſtoteles. Primum, circa coniugem, ſecundum erga liberos, tertium erga ſeruos, quartum circa facultates: quæ vniuerſa Iob præſtitit ſtrenuiſſimè. Et de vxore quidem, certum eſt, quòd eam fouit & dilexit velut corpus ſuum, & vitæ mortalis ſociam perpetuam. Nouerat enim pius propheta, Deum opt. max. id à principio conſtituiſſe, atque primo homini demandaſſe. Fidem cōiugalem magna ſollicitudine illi ſeruauit, non ignarus, quàm infeſta Deo eſſent omnia periuria & adulteria. Hoc ſatis indicat iſta eius imprecatio: *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum: ſcortum alterius ſit vxor mea. Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima.* Adeò autem de liberis ſollicitus erat, vt pro his quotidie ſacrificaret, & timeret ne Deum offenderent, *in cordibus ſuis,* vt poſtea dicemus. Deinde, prouiderat, vt ſi ante moreretur, cuique illorum relinqueret centum animalia. Habebat enim mille tam in ouibus quàm in camelis: deinde, etiam mille in bobus & aſinis. Sic & pater Abraham inſtituit Iſaac ſuorum bonorum hęredem: ac Iſmaëli dedit munera. Iacob moriturus, præ cæteris dedit prædium Ioſeph. Tobias & Raguel iuniorem Tobiam hæredem ex aſſe conſtituerunt. Paulus non prohibet parentes theſauriſantes pro liberis, modò

Iob. 31.
Gen. 25.
Io. 4.
Tob. 8. & 14.
2. Cor. 12.

id fiat sine offensa Dei, aut proximorum, &c.

In seruos autem suos tam æquus ac humanus fuit, vt eos, non vt hostes haberet, iuxta crudele prouerbium, Quot serui, tot hostes, sed velut consortes, conseruos, ac fratres censeret. Ait enim de illis. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disputarent aduersum me, &c.* Id est, Si durè tractaui seruos & ancillas, in quos omne ius habui, etiam mihi durus in die nouissimo Deus iudex sit. Et reipsa grauis est iniquitas inhumanũ esse subditis. Vnde Paulus dominos admonet, vt æquitatem seruent subiectis, scientes & se habere in cælis Dominum, cui sint rationem reddituri. Facultates porrò pauperibus, peregrinis, viatoribus, viduis, ac pupillis sic liberè impertiebatur, vt verè & iurè dicat: *Pater eram pauperum, ostium meum viatori patuit, &c.*

Iob. 1. *Eph. 6.* *Colos. 4.* *Iob. 31.*

Præterea, notandum tot tantasque Iobi possessiones iustis quidem laboribus, sed præuia Dei benedictione partas, nihil sanctitati aut pietati illius obfuisse: quando quotidie sacrificabat; & singulis sabbathis congregatam familiam suam docebat, purificabat, piis & feruentibus ad Omnipotentem orationibus. Diuitiæ plurimis sunt spinæ, suffocantes verbum & cultum Dei, sed non sancto Iob. Abraham & Lot tantum omnibus diuitijs abundauerũt, vt eadem regio illos capere non valeret: attamen adeo ijs bene vsi sunt, vt non tantùm Angelorum hospites, sed Deo valde grati & accepti fuerint. Iacob, Tobias, Dauid, Salo-

Matth. 31. *Gen. 18. & 19.*

mon, in medijs opibus pietate floruerunt. Recte itaque scribit B. Hieronymus: Nec diuiti obsunt opes, si eis bene vtatur: nec pauperem, egestas commendabiliorem facit. Et Ambrosius: Vt diuitiæ sunt impedimenta reprobis: ita bonis sunt adiumenta salutis. Augustinus denique: Opes terrenæ, ne putentur malæ, dantur & bonis. Ne putentur magna vel summa bona, dantur & malis. Auferuntur ista bonis, vt probentur: & malis, vt crucientur. Bona sunt non quæ faciant bonum, sed vnde facias bonum.] Timotheo suo iubet Paulus, Diuitibus huius sæculi præcipere, non sublime sapere, neque sperare in incerto Diuitiarum: sed in Deo viuo: bene agere, Diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, &c.

Ep. ad Saluinam. *Com. in c. 19. Luca.* *De ser. Domini.* *1. Tim. 6.*

Ad hæc exemplo possessionum beati Iob discimus, repositas, iustisque laboribus, & licitis actibus acquisitas facultates habere, seruareq; ad alendam familiam, ac eleemosynas faciendas, non esse contra verbum Dei: sed opus effectusque prudentiæ, dictantis: *Prouide futuris*, Non enim singulis mensibus datur messis, aut vindemia: sed semel dumtaxat in anno. Diebus quidem singulis cadebat manna: sed tantùm Hebreis hoc contigit. Insuper, feria sexta colligendum fuit & seruandum pro die sabbathi, quo nihil eius cadebat à cælo. Ioseph Spiritu sancto duce, collegit frumenta in horrea Pharaonis, pro septem annis vniuersæ famis. Idem Spiritus pigrum hominem remittit ad scholam Formicæ, quæ congregat in æstate,

Exod. 16. *Gen. 41.* *Prou. 16.*

Io. 13. vnde viuat in hyeme. In Christi denique familia loculi erant, in quibus ea, quæ dabantur, in euentum seruabantur, & futuras necessitates. Cùm autem prohibetur cogitare de crastino, istud intelligendum, cum nimio studio, ac infidelitate, & diffidentia de Dei bonitate, prouidentia, atque potestate. Matth. 6.

Fuerunt porrò mali ac inhumani diuites, cuiusmodi referunt Nabal panes negantem Dauidi exuli; Achab, vi ac fraude occupantem vineam Naboth; Epulonem, micas panis Lazaro subtrahentem, &c. Et de his dicitur, *Diues iniquus, aut iniqui hæres*. Præterea: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm Diuitem ingredi in regnum Dei*. Horum etenim Deus Mammon est, quoniam Apostoli iudicio, Auaritia est idolorum seruitus. Fuerunt & pij diuites, qui opibus rectè sunt vsi, quibus tandem dicetur à supremo iudice, *Esuriui, & dedistis mihi manducare &c. Venite ergo, possidete regnum, &c.* Talis fuit beatus Iob, inquit Origenes, apud quem hospes nunquam foris mansit, cuius ianua omni aduenienti patuit, quem inualidi nunquàm prætermiserunt de ijs quæ opus habuerunt, ad cuius tonsuram ouium omnium pauperum scapulæ calefactæ sunt, &c.

1. Reg. 25. 3. Reg. 21. Luc. 16. Matth. 19. Matth. 6. Coloss. 3. Matth. 25.

Additur, *& familia multa nimis*. Multos namque agricolas fuisse oportet, qui boum quingenta ducerent iuga, & segetem colligerent in horrea: multos qui septem millia ouiũ curarent: multos qui asinas quingentas pasce-

rent & ducerent: multos qui ter mille camelos ad fora & nundinas dirigerent, &c. Erat & ministerium copiosum, quod ministrabat hospitibus, aduenientibus, infirmis, peregrinis, pauperibus. Plurimi ministrauerunt ei super terram pro miserorum susceptione, (infit Origenes) sed multo plures ministrabant ei in cælis, cælestes Angeli, eleemosynas, atque bona opera eius in memoriam coram Deo deferentes, sicut dictum est ad Cornelium: *Orationes & eleemosynæ tuæ ascenderunt sursum coram Deo.* Ascenderũt proculdubio ab Angelis delatæ de quibus dicitur: *Omnes sunt administratores spiritus.* Et alibi: *Qui facit Angelos suos spiritus.* De illis vnus erat, qui loquutus est ad Tobiã: *Cùm orares tu & Sara, ego detuli memoriam orationis vestræ in conspectum gloriæ summi Dei.* Act. 10. Heb. 1. Ps. 103. Tob. 12.

Et ne illum apud suos duntaxat authoritate & gloria præcipuum fuisse putemus, additur: *Erat magnus inter omnes orientales.* Quantus autem princeps fuerit, ipsemet testatur dicens: *Quando procedebam ad portam,* (vt iudex nimirum in ea regione supremus) *ciuitatis, parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui. Vocem suam cohibebant Duces, &c.* Abiectus igitur aut vilis non fuit vir iste, sed illustrissimus & tam potestate, quàm virtute, atque Diuicijs clarissimus. Quinetiam vt multa indicant, purpura & diademate Regio redimitus, quando & senes assurgebant ei, & Principes cessabant loqui, & Duces, ipso lo- Infra. c. 29.

quente, silentium sibi imponebant. *Cùm sederem*, inquit, *quasi Rex, circundante exercitu.* Et rursum: *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento & diademate iudicio meo.* Hoc non parum confirmat grauis eius conquestio ista: *Spoliauit me* (Dominus) *gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* Accedunt firmissima & aperta Patrum iudicia. Nam B. Ephræm Syrus vxorem Iobi arguit, quòd eum non sit reuerita, qui olim in regali purpurea veste fuerat. Theophanes Nicænus Epist. 2. de Patientia, scribit: Nudus super fimum sedet, qui paulò ante potens & Rex erat. Cæsarius frater S. Nazianzeni, adfirmat eum præfuisse regioni Vsitarum cum imperio. Gaudentius, Regem Arabiæ illum nuncupat. Isidorus, appellat Regem Idumæorum. Augustinus denique, de vxore ipsius dicit: Propter Iob tandem Regina fuit, propter quem & mercenaria fuerat.] Magnus igitur, imò & maximus fuit non solùm in Arabia; sed & nominatissimus inter omnes populos orientales &c. Vultis & vos Carissimi, pro conditione vestra ad beati Iob præclaram famam accedere? Virtutes eius studiosè imitamini. Deum in simplicitate animi timete, amate & inuocate. Diligenter cauete ab omni malo. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Subuenite oppressis. Frangite panem vestrum esurientibus, egenos vagosque inducite in domos vestras, cùm videritis nudos operite eos, & domesticos sanguinis vestri ne despexeritis. Largire quæsumus, nobis mi-

Iob.19.

Tract. contra improbas mulieres.

Dialog. 3.

Ser. 224. de temp.

tissime Deus, vt, &c.

HOMILIA SEPTIMA.

7. *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas vt comederent & biberent cum eis.*

DOcet natura, exposcit ratio, & districtè pręcipit Deus tam in lege Mosaica, quàm Euangelica, vt parentes magna sollicitudine liberos suos enutriant in disciplina& timoreDomini, cuius benedictione illos susceperunt. Exempla naturæ cernere licet in Adamo, Noe, Abrahamo, Isaac, Iacob, & reliquis Legis naturæ cultoribus, de quorum vno dicit Deus omnipotens: *Scio enim quod (Abraham) præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Quibus patet, Patremfamilias diuina authoritate constitutum esse præceptorem liberorum, totiusque familiæ suæ: vt eidem nunciet timorem Domini, & vt à sceleribus pessimis caueat, ne Sodomæorum instar malè tandem pereat: virtutum autem officiis, ac bonis operibus diligenter incumbat. Idem Gen.18.

& recta naturæ ratio suo iure reposcere videtur: quandoquidem idem beneficium priùs & ipsi à parentibus suis acceperint. *Memento*, ait Tobias ad filium de matre, *quæ & quanta*
Tob. 4. *passa sit, propter te.* Et Psalmista: *Quanta manda-*
Ps. 97. *uit Deus patribus nostris, nota facere filiis suis, vt cognoscat generatio altera? filij qui nascentur, narrabunt filiis suis, vt cognoscat generatio altera.* Ex-
Deu. 4. tant denique expressa Dei omnipotentis ista ad Parentes præcepta: *Docebis tu filios tuos ac nepotes, quando Dominus loquutus est ad te.* Et iterum: *Ponite verba mea in auribus vestris, &c. Docete filios vestros, vt illa meditentur, quando se-*
Deu. 11. *deris in domo tua, & accubueris, atque surrexeris.* Inquirentibus filiis de ritibus paschæ, *quænam est hæc religio?* Parentes respondere iubentur:
Exod. 12. *Victima Domini est, quando transtulit patres nostros de Ægypto, &c.* Pro lege Euangelica sufficiat exemplum sanctissimæ Deiparæ, quæ suum, eundemque Dei Patris Filium, & si non indigeret, magna religione curauit cir-
Luc. 2. cuncidi octaua die, in templum offerri quadragesima; & semper deinceps secundun consuetudinem, ducere in domum Domini singulis
Eph. 6. diebus festis. Paulusque præcipiens: *Educate filios vestros in disciplina Domini.*

Et de his hactenus dictum sit propter præsentem Iobi locum, quo multis modis ostenditur, illum insignem curam ac sollicitudinē habuisse de liberorum suorum educatione atque salute. Sapientissimè etenim secum recogitabat, Non satis mihi est decem liberos ge-

nuiſſe ſuper terram, hactenus veſtiuiſſe, nutriuiſſe, plurima bona eiſdem laboribus meis comparaſſe: cura mihi longè maior gerenda de animarum eorum æterna ſalute. Videlicet, ne cogitationibus internis peccent in Deum, impia de illius bonitate, ſapientia, prouidentia, iuſtitia, vel miſericordia ſentiant, ſicut multi nunc eheu! athei, libertini, Epicuræi, ac in eum blaſphemi cogitant & loquuntur. Nam omnipotens Deus, illos mihi contulit, & credidit, non vt perditioni, gehennæ, aut Satanæ: ſed ſibi Deo viuo ac verò enutriam. Maieſtatem & ſanctitatem eius fide agnoſcāt, ſpe ac caritate colant, inuocent, aliis enuncient, ſemper venerentur. Horum rationem in ſupremo iudicio de manibus meis tandem aliquando repoſcet. Illis itaque primùm domi exempla pacis, concordiæ, ac omnis pietatis & virtutis præbet: monet deinde, vt fraternum amorem ſeruent: conſortia fugiant infidelium: honeſtis potius conuiuiis oblectentur. Sorores ſuas nunquam deſpicerent, ſed velut iiſdem parentibus natas, caſtè pieque ſecum conuiuas atque commenſales haberent. &c.

Habent hîc patresfamilias perfectum typū quem imitentur, & terſiſſimum ſpeculum in quo partes ſuas intueantur, atque ſpectent quæ Deus ab illis requirat. Hunc ſanctum virum imitatus Tobias gentium ſibi ex Anna coniuge filium, *eum ab infantia ſua* (ait Scriptura) *timere Deum docuit, & abſtinere ab omni pec-* Tob. 1.

cato. Et beatæ Susannæ parentes, cùm essent iusti, *erudierunt eam in lege Moysi.* Refertur in Euangelio, plurimos Christum pro sospitate liberorum adiuisse, velut Centurionem, Regulum, Iayrum, Chananæam: nullos autem liberos pro parentibus. Adeò execranda est multorum in parentes ingratitudo.

Dan13.

Imò verò non paucos inuenire licet, qui spretis vniuersis & naturæ institutis, & diuinis legibus, maximis probris & doloribus parentes affecerunt, & afflixerunt. Quantos putas gemitus & augustias Cain propter fratricidium & desperationem, Adamo attulit & Heuæ? Quibus molestiis ac miseriis Cham maledictus, & Absalom parricida, optimos parentes Noe & Dauidem excruciauerunt? An non Ophni & Phinees, patri suo Heli, aliàs viro minimè malo, horrendę necis causas dederunt? Huiusmodi immorrigeris liberis imprecatur (nec vanæ erunt comminationes) Spiritus Domini per Sapientem: *Oculos qui subsannant patrem, & qui despiciunt partum matris suæ, effodiant corui de torrentibus, & comedant filij aquilæ.* Id est, vel suspendio interibit, vel iacebit insepultus, atq; à vulturibus & carnitoris absumetur: quòd frequenter etiam nunc accidere videmus.

Gen. 4. & 7.

2. *Reg.*

1. *Reg.* 2. & 3.

Prou. 30.

Consideremus interea felicitatis Iob magnum aliud incrementum. Filiorum eius magna erat concordia, & honestissima conuersatio: quod non tantùm illi, & amicis eius res erat gratissima: verum etiam Deo veræ pacis, omnis dilectionis & caritatis parenti atque lar-

gitori. Ait enim Siracides: *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi inuicem bene consentientes.* Sapiens idcirco Deum detestari dicit illum, *qui seminat inter fratres discordias.* Dauid denique ait, Bonum iucundum esse, fratres habitantes in vnum. Filij Iob (inquit Origenes) septem fuerunt numero, & vnam habebant animam. Septem fuerunt personæ, & vnum eis erat cor. Non erat inter eos superbia, neque arrogantia, neque inflatio, neq; elatio. Non contemnebat primus nouissimum, non se extollebat maior super minorem. Non inuidebat alter alteri, sicut filij Iacob, Ioseph: sicut Absalom, Amnon: & sicut Adonias Salomoni, &c. Addit postea sanctissimam istam commonitionem magnus Adamantius: Ita oportet fratres, ita etiam nunc nos ostendere veros germanos, mites esse inuicem, modestos & vnanimes. Non oportet inuidiam aduersus inuicem retinere, sicut olim Esau seruauit contra Iacob dicens: *Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob fratrem meum. &c.*

Ecli. 25. Prou. 6. Psal. 132. Act. 4. Gen. 37. 2. Reg. 19. 3. Reg. 2. Gen. 27.

Hæc porrò liberorum beati Iob beata concordia, infelicem, maledictam inuidiam & discordiam illam condemnat, quæ & in veteribus historijs legitur, & plus æquo nunc cernitur in domibus præsertim diuitum cùm de diuidunda hæreditate, & partienda agitur successione inter fratres. Istud diabolicum consilium iam ab initio inualuit inter Cainum & Gen. 4.

Abelem, coram quibus totus erat orbis terrarum. Diſſidium quoque tantum fuit inter Iſaac & Iſmael, vt procul ablegandus fuerit filius Ancillæ, ne hæres eſſet cum filio Liberæ. Eſau & Iacob licet vterini, inter ſe non conuenerunt. Ioſeph à fratribus ſuis nunc in ciſternam coniectus, mox in ſeruitutem venditus fuit. Tragica planè ſunt, quæ inter filios Dauid contigerunt. De externis quid attinet loqui? Quis neſcit Artaxerſen & Cyrum, Romulum & Remum, Getam & Baſſianum, pluſquam ciuiliter inter ſe dimicaſſe? Euripidis tragœdiam de Polynicis ac Eteoclis fratribus, de ſumma regni paterni acriter certantibus, & mutuis vulneribus occumbentibus, perlegens, & ſi fabulam eſſe non ignorem, vix tamen à ſuſpiriis & lacrymis mihi tempero. Adeò ſunt acerba fratrum odia. Fratrum gratia rara.

Gen. 17. *Gal. 4.* *Gen. 27. 28.* *Gen. 37.* *2. Reg. Liuius. Plutar.* *In Phœniſsis.*

Redeamus ad Iobi liberos; *Ibant*, ait Propheta, *& faciebant conuiuium per domos.* Verba emphaſim habent. Inſinuant enim alacritatem & hilaritatem animi, ſicut apud Iſaiam: *Venite, aſcendamus ad montem Domini.* Sicut & apud Pſalmiſtam: *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Agitabant ergo inter ſe conuiuia non coactè, non perfunctoriè; ſed ſpontanea comitate, alacritate, tantaque caritate, vt quamuis iam ſuas quique haberent domos, diuelli tamen nolebant. Quotidie verò conueniebant, & fraternitatem confirmabant, vocantes tres ſorores in domos ſuas. Vbi etiam notanda eſt honeſtas ſingularis. Miſſis

Iſa. 2. *Pſ. 125.*

enim grauibus & modestis seruis ac nunciis suis, sorores pudicas, quæ alioqui se domi cōtinebant, ad se vocabant, ac infirmis illis vasculis plus exhibebant honoris. 1. Pet. 3.

Quantum porrò attinet ad conuiuia, modò sint moderata, honesta, & ad bonum finem ordinata, velut ad publicam congratulationem, ad fouendam amicitiam, & inter dissidentes sarciendam concordiam, non reprehenduntur in sacris scripturis: sed potius sanctorum virorum commendantur exemplis. Melchisedec Gen. 14. redeuntem è bello victorem Abraham excepit benedictione, sacrificio, & publico conuiuio. Idemque Abraham amicis suis fecit conuiuiū Gen. 21. in die ablactationis filij sui Isaac. Ioseph quoque fratribus suis in Ægypto epulas iussit apponi. *Et biberūt*, ait Moyses, *& inebriati sunt cum eo*. Gen. 43. Quod ne in malam partem capiatis, ac in ebriosorum patrociniū sumatis cauetequæso: verùm, honestæ satietatis ac lætitiæ rationem tantummodo. Sic enim ait Psaltes: *Visitasti terram ac inebriasti eam*, id est, quantum oportuit Ps. 64. ac decuit irrigasti. Et rursum: *Inebriabuntur ab* Ps. 35. *vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Id est, fruentur affatim deliciis cælestibus regni tui in cælis. Videbunt te clarè, & pro voluntate in æternum tuo perfruentur cōsortio. In Euāgelio quoque Christus, qui ipsamet erat modestia & temperantia, adfuisse dicitur cōuiuiis Nuptiarū in Cana, cōuersionis Matthæi, Zacchæi, Simonis, Marthæ, & Magdalenæ. Primi Christiani suas ἀγάπας, de quibus 1. Cor. 11.

Paulus, conuenientes in vnum celabrauerũt. Sed quales, rogo vos? Tertullianus vir Apostolicorum temporum iis explicat: Non priùs discumbitur, quàm oratio prægustetur: editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quãtum pudicis est vtile: ita fabulantur, vt qui sciant Deum audire: oratio conuiuium dirimit. Basilius quoque hanc regulam conuiuiis Christianorum præscribit: Si conuiua fuerit frater, domesticam agnoscat mensam: sin minus, non erit importunus. Et idem rursus: Quanto pinguius corpus tibi efficitur, tanto molestiorem animo tuo carcerem extruis. Hieronymus denique vtiliter consulit, conuiuium Christianũ modestis confabulationibus atque doctrinæ sale condiri.] Itaque non vituperanda sunt inter pios facta conuiuia, maximè si pauperum habeatur ratio: absint verò ebrietas, ingurgitatio, crapula, luxus, obtrectationes, ineptiæ, blasphemiæ, & cætera id genus, quæ illa solent infamare.

Apolog. c. 39.

In asceticis.

In Ps. 29.

Epist. ad Marcellam.

Auetis porrò scire quid in Scripturis iudicet Spiritus Dei, de conuiuiis epulonum & ebriosorum? De his qui adferunt in simposijs suis proditiones, lites, clamores, contemptum Dei, lasciuias, neglectum pauperum, cuiusmodi fuerunt Absalomi, Holofernis, Assueri, Ptolomæi, Baltassaris, ac Herodis conuiuia? Illis certè maledicit: quod non contemnendum, sed horrendum atq; deprecandum esse, volo censeatis. Quid enim horribilius ac terribilius esse potest Dei maledictione? *Væ*, inquit, *qui cõ-*

2 Reg. 15. Iudith. 12. Esther 1. 1. Mach. 16. Dan. 5. Matth. 14. Mar. 6.

surgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandũ vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis, vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, &c. Et per Ezechielẽ ait: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, abundantia, saturitas panis & otium.* Christus quoque monet in Euangelio: *Cauete ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Iure autem Basilius & Chrysostomus, comparant ebriosos cum naue nimis onusta, quæ citò demergitur: cum brutis ratione carentibus: & cum iis, qui à dæmone vexantur. Imò, & his deteriores, vel ex eo reputant istos, quod sponte seipsos contorqueãt, & vsu ratione spoliant.

Isa. 5. Ezech. 16. Luc. 21. Hom. aduer. ebriosos.

Conuiuia faciebant filij Iob, ait Origenes, sed non propter ebriositatem, neque pro luxuria, neque pro turpitudine, neq; pro intemperantia, neque pro illicitis sermonibus, neque pro desidiosis iocis. Si enim aliquid horum apud eos fuisset, non vtique sorores suas secum conuocassent, vt coram eis impudicè agerent, vel colloquerentur. Ob hoc ergo illas conuocant, vt secum collaudarent & glorificarent Dominum: & sic adorarent & gratias agerent vero Creatori.] Et Chrysostomus ait: Cùm haberent conspirantem virtutem, vnà incedebant, nec longè digrediebantur, neque se in aliorum consuetudinem dabant, sueque sobrietatis testes sorores seruabant. Neque enim alienas fœminas ad pocula, cœnas-

In Catena.

que accersebant, sed suas tantùm sorores inuitabant, &c.

Hîc in primis obseruate Carissimi, illos in conuiuiis magnam adhibuisse temperantiam. Cibo & potu vires reficiebant, non opprime-
Esther. 1. bant. Et quod de conuiuio Assueri dictum est, diligenter seruabant, *Non erat qui cogeret ad bibendum; sed sumebat vnusquisque quod vellet*: Pau-
Eph. 5. lus etiam districtè prohibet inebriari vino, eo quòd in eo sit luxuria. Nam absque Cerere & Baccho friget Venus. Conspirat Sapiens dum
Prou. 20. dicit: *Luxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunque iis delectatur, non erit sapiens.*

Nec silentio præterendum, quanto studio infidelium declinarent consortia, ne horum colloquiis aut familiaritate, à pietate abduce-
1. Cor. 15. rentur. Corrumpunt namque bonos mores colloquia praua. Filios Dei, id est, pios Dei cultores, deprauauit iam ab initio, filiarum homi-
Gen. 6. num forma & consuetudo nimia: Moses ad
Num. 16. veros Israëlitas, cum schismaticis versantes clamauit: *Recedite, recedite à tabernaculis impiorum, &c.*

Quanta verò fuerit animorum & corporum illorum castimonia, vel ex hoc cogitate, quòd nulla verba lasciua, nulla impura essent eorum colloquia, nullæ ebrietates, nullæ introductæ mulierculæ alienæ: tantum abest, vt vel concubinæ, vel scorta in iis viderentur. Tantùm sorores pudicæ, castæ, & illę (vt simile est vero) adhuc virgines: quandoquidem de viris aut maritis illarum nulla omnino sit mentio.

tio. Virtus rara sed præclara: quę mundum, de immundo conceptum semine; de hoste, domesticum; angelum denique de homine facit. Differunt quidem inter se pudicus homo & Angelus: sed felicitate, non virtute. Sed & si Angeli castitas felicior, hominis tamen fortior esse cognoscitur. Angeli castitas est naturæ, hominis verò virtutis est. In carne præter carnem viuere, vita plusquam angelica est. *Bern.* *Hieron.*

Obseruate quoque, quàm memores status ac officij sui fuerint istæ sorores. Non ipsæ erumpebant in publicum, non sponte prodibant lasciuæ, vt viderent & viderentur: sed vocatæ veniebant ad fratres æquè pudicos ac honestos, nec vllas obtrectatoribus obloquendi dabant occasiones. O si Dina filia Iacob, domi se continuisset, certè nec rapta, nec violata, cædium & scandalorum causas non subministrasset. Et si Bethsabæa lasciuis Dauid oculis non apparuisset, in tantas Regem ipsum ac regnum vniuersum, non adduxisset angustias. Imprudentia Susannæ, non explorantis si qui laterent in horto, priusquàm se nudaret, & puellas emitteret à se, magnum eidem creauit periculum. Patres ergo familias filiabus suis sedulò prospicere, docet hic locus. Sed & Sapiens scribit: *Filiæ tibi sunt? serua corpus earum.* Custodiendis mentibus & desiderijs illarum, ne centum quidem sufficerent Argus: Antiquissimus doctor Tertullianus *Gen. 34.* *2. Reg. 12.* *Dan. 13.* *Eccli. 7.* *L. de cultu fæminar.*

etiam Matronas ſic alloquitur: Nulla procedendi cauſa, niſi tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus, aut Sacrificium offertur, aut Dei verbum adminiſtratur. Quoduis horum, aut ſanctitatis, aut grauitatis negotium.

L. 1. *in Iob.* Sed ad finem iſtorum conuiuiorum accedamus. Non per ſingulos dies totius vitæ ſuæ, inquit Origenes, ſed per ſingulos dies ſeptimanæ, conuiuia faciebant, cùm ſeptem feſta celebrabant. Sic & lex poſt hæc præcepit ſeptem diebus agere, ſiue Paſchæ, ſiue hebdomadarum, ſiue ſcenophegiæ. Hæc ita adimpleuere anticipantes filij Iob, vel etiam ipſe Iob qui eos docuit. Nec ſibi tantùm, neque ſolis ſororibus, ſed & ſeruis, & pauperibus, & egenis, & indigentibus, faciebant epulum, &c. Ita debemus & nos fratres, in feſtis & iucunditatibus noſtris, non ſolùm hoc reſpicere, quomodo nos ſoli epulemur: ſed vt & nobiſcum epulentur ſerui, ancillæ, clientes, egeni, & pauperes vniuerſi. Celebrabimus enim ſic diem feſtum Domino Deo noſtro, & retribuet nobis in reſurrectione atque retributione iuſtorum. Supplices igitur precemur Dominum, &c.

Leu. 35. 2. *Paralip.* 30.

Luc. 14.

HOMILIA OCTAVA.

5 *Cumque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat eos.*

Conſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

PRæcipua piorum Parentum erga liberos ſuos officia, ex apertis Dei legibus facilè eſt colligere : & ex iſtis hiſtoriæ beati Iob locis, nequaquam difficilè ad inſtitutionem proborum Patrum apertè comprobare atque referre. Debent enim illos pro donis Dei, atque benedictionis eius agno-
ſcere, ſuſcipere, atque diligere & fouere, ſicut *Gen. 4.*
de Heua omnium prima matre, atque Patriar- *34. 41.*
chis Abrahæ, Iſaac, & Iacob in ſacris legitur. *Exod. 13.*
Hinc, dũ adoleſcunt, ad omnẽ pietatẽ in Deũ, *Deut. 4.*
& proximos docere, inſtituere, ac rectè educa- *6. 11.*
re tam verbis quàm exemplis domeſticis, que- *1. Paralip.*
madmodũ diuina eadẽque frequentiſſima iu- *22. 28.*
bent oracula. Inde, à pijs inſtitutis ad peccata *Tob 1. & 14.*
ſceleraque aberrantes, non ſolo verbo, ſed & *Prou. 22.*
cùm res poſtulauerit, verberibus corripere ac *Eccli. 22. 30. Prou 13. 15. 19. 23. 29.*

emendare, vt non ſemel per Sapientem ad-
1. Reg. 3. 4. monet Spiritus Domini. Miſerrimè etenim
ceſſit Heli, ſummo Iſraëlis ſacerdoti & iudici,
in maximis filiorũ ſceleribus conniuere. Præ-
Gen. 49. terea, orare pro illorum fælicitate, remiſſio-
1. Par. 29. ne peccatorum, eiſdemque benedicere, & ad
virtutem illos hortari, quemadmodum Iacob,
Dauid, & alios feciſſe paſſim legimus. Deni-
Gen. 25. que, ne vniuerſa percurrendo, prolixior effi-
& 27. ciar, medijs honeſtis, conuenientia eis procu-
Tob. 6. rare matrimonia, vt Raphael iuniori Tobiæ,
Gen. 25. & Abraham Iſaac, Iſaac Iacob, Laban Rebec-
2. Paral. 21. cæ filiæ ſuæ: & modeſtas (ſi fieri poteſt) ad
hanc vitam ſuſtentandam facultates relin-
quere.

Iſthæc porrò vniuerſa & abundè, & diligenter ſanctum Iob liberis ſuis præſtitiſſe, in primis euidenter euincunt, Caritas illa qua ſe inuicem complectebantur; inde, frequentia conuiuia, quibus mutuam fouebant dilectionem: ſororum obſeruatio: pluſquam paterna denique ſollicitudo, qua pijſſimus Parens quotidie pro eis ſacrificans, ſollicitè cauebat, ne peccatis ſpiritalibus ac internis Deum offenderent in cordibus ſuis. Nouerat enim liberorum peccata frequenter imputari parentibus, hoſque de illis rationem redituros Deo, qui eorum curæ ipſos commiſit. Nec verò tantùm vult vt eorum corpora nutriant, veſtiant, calefaciant, requieſcere faciant, ab aduerſis protegant, quod etiam in brutis ac feris videre eſt; ſed & pijs moribus

instruant, (& vt Paulus loquitur) educant in disciplina & timore Domini. Heli non satis filios suos corripientem, sic Deus ipse coarguit & damnat: *Quare honorasti magis filios tuos, quàm me?* Subijcitur vltio diuina multiplex, & horrenda cunctis parentibus, *Præcidam brachium tuum, & domus tuæ. Non erit senex in domo tua. Filij tui vna die morientur ambo, &c.* Quod cùm Heli factum audiuit, cadens è cella retrorsum, fracto capite, mortuus est. Non tantùm consentit B. Ephræm, sed & Scripturis comprobat, dicens: Patres rationem reddent de liberis, pastores de ouibus, Reges & præfecti de subditis, quoniam scriptum est: *Peruigilant quasi rationem reddituri. Sanguinem pereuntium de manu tua requiram. Vbi est grex qui datus est tibi & pecus inclitum tuum? &c.*

Eph. 6. *1. Reg. 2. 3.* *L. de penitét. & iudicio. c. 4. 5. & 6.* *Heb. 13.* *Ezech. 13.* *Ierem. 13.*

Nouerat præterea B. Iob, iuuentutem pronam esse ad malum ab adolescentia sua. Est namque rerum multarũ rudis & inexercitata, superba, temeraria, audax, insolens, arrogans, lasciua, litigiosa, petulans, iugi impatiens, inuida, inanis gloriæ cupida, paucosque inuenire licet, qui in hac ætate non turpiter peccauerint. Dauid secundum cor Dei vir, tremens precatur eum: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris.* Et noster Iob varijs tormentis oppressus, ait: *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Augustinus obseruat animum paruulorum infantium (si iure summo cum his agatur) non esse innocentem, quando collactaneo inuideat, pa-

Gen. 6. & 7. *Ps. 24.* *Cap. 14.* *Lib. 1. Confess. c. 7.*

renti irascatur, matrem momordeat, vlscisci cupiat eiulando, cùm aliud non possit. Ibidemque recenset varia peccata, quæ commisit vsque ad annum ætatis suæ trigesimum, quo sectæ Manichæorum, Catholicus effectus, extremum vale dixit. Hieronymus refert se eadem ætate, calentibus Rhetorum studijs, Libros sacros fastidijsse, quòd Tullij facundiam non redolerent, indeque acerbè vapulasse à Domino. O quàm lubrica ætas atque periculosa! Est igitur adolescentum maiores natu vereri, ex hisque diligere optimos & probatissimos, quorum consilio & auctoritate nitantur: si quidem sibi bene consultum velint.

Ep. ad Eustochium.

Adhæc, prudentissimus Iob seriò secum agitabat animo, Conuiuia rarò sine multis delictis frequentari. Illic namque non pauca bona & beneficia Dei potius ad voluptatem & superfluitatem absumuntur, quàm ad necessitatem. Relaxatis quippe ad iucunditatem animis, oriuntur loquacitates, verba otiosa, lasciuia, mendacia, risus, dicteria, iurgia, lites, cædes, quod non solùm exempla domestica & quotidiana, sed & vetera plus satis comprobant. Lot à compotatione duas filias horribili incæstu compressit. In deserto, *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Vbi notandum verbum Hebraicum *Zachak*, quod interpres reddidit ludere, in alijs locis sumi pro idololatria, in alijs de scortatione, & de homicidijs. Ideo quidã He-

Gen. 19.

Exod. 32.

bræorũ omnia hæc tria hîc significari putant, quòd scilicet idololatriã exercuerunt cum vitulo, quod scortati sunt, quodque etiam Hur conantem eos à tantis sceleribus reuocare, occiderunt. Atque hi maledicti fructus ebrietatis. In conuiuio Baltassaris profanantur vasa sacra, laudantur dij aurei & argentei, blasphematur vnicus viuus & verus. Holofernes incalescens mero, cogitat Achiorem interficere, & sanctissima Iudith abuti. In Assueri conuiuio, Rex abuti vult vxoris suæ forma, ab hoc despicitur, eamdem repudiat, nouamque assumit. Herodes inter epulas & saltationes, præcipit amputari caput Ioannis Baptistæ, quo inter natos mulierum non surrexit maior. An nõ ergo iure optimo timet beatus Iob, ne in quotidianis symposijs suis offendant liberi?

Dan. 6. *Iudith. 5.* *Ester. 1.* *Mar. 6.* *Matth. 14.* *Matth. 11.*

Planè autem benè habet, quòd iam tam perfecti, & iusti essent in moribus, operibus, ac verbis, vt Pater duntaxat timeret illis à peccatis interioribus atque spiritalibus. Plurima etenim committi huiusmodi peccata, eademque (quantumuis ab auctoribus vel ignorentur, vel dissimulentur, vel minima putentur) coram Deo grauissima, atque sempiternis supplicijs dignissima iustè censeantur, certum est. Primi namque Angeli, & assectarum eius, peccatum tantùmmodo spiritale ac internum fuit, adeò tamen exitiosum, ac Deo inuisum, vt inexpiabile permanserit. *Angelis peccantibus non pepercit.* *1. Petr. 1.*

Sunt ergo pecccata lethalia, superbia, ambitus, arrogantia, contemptus Dei & proximi, iactantia, philautia, siue nimius amor sui, hypocrisis, auaritia, concupiscentia mala, luxuria interior, ira, pigritia, odium proximorum, inuidia, malitia, ingratitudo, hæresis, blasphemia, epicureismus, atheismus, & innumera omissionis peccata: quæ tamen aliquando Deus omnipotens, iudex viuorum & mortuorum coram omnibus manifestabit atque iudicabit, quando reuelabit abscondita
1. Cor. 4. tenebrarum, *& manifestabit consilia cordium.*
Luc. 12. *Nihil occultũ, quod nõ reueletur.* Et vt de his nihil dubitemus, non rarò coarguit malas cogita-
Luc. 5. tiones Iudæorum d. *Vt quid cogitatis mala in*
Matth. 15. *cordibus vestris?* Adfirmauitque, de corde exi-
Matth. 5. re furta, adulteria, & malè cogitata, quæ coinquinant hominem. Et qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatum esse in corde suo: ideoque non tantùm externum opus prohibuit, sed & concupiscen-
Exod. 20. tiam internam, dicens, *Non concupisces.* O Deum immortalem, quis tunc gloriabitur, se mundum habere cor? Imò verò non tota mente atque omnibus artubus contremiscet?
Ps. 50. Oremus igitur & frequenter & ardenter: *Cor mundum crea in me Deus.* Munda cor meum & labia mea omnipotens Deus. Nam soli mundo corde beati, &c.

Admiramini quoque mecum imò & imitamini Fratres, pietatem sancti viri. *Ne fortè,* inquit, *peccauerint filij mei & benedixerint Deo*

in cordibus suis. Dubitandi vtitur aduerbio, ne temere iudicet de conscientia aliena, maleque de corde ac intentione sentiat vel pronunciet proximorum: sed Deo, qui solus renes scrutatur & mentes hominum, relinquat iudicandum. Homo quippe videt quæ patent, Deus autem intuetur cor. Huic enim dicit Psaltes: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Et iterum: *Ipse nouit abscondita cordis.* Ideo in Euangelio prohibetur nobis: *Nolite iudicare. Nolite secundum faciem iudicare.* Paulus denique ait: *Nolite ante tempus iudicare.*

Ps. 7.
1. Reg. 16.
Ps. 18.
Psal. 43.
Io. 7.
1. Cor. 4.

Sed quid sibi vult hoc, *ne fortè benedixerint Deo in cordibus suis?* Respondeo. Tam inuisa & abominabilis fuit veteribus illis patribus Blasphemia in Deum, vt ne quidem vellent eam suo nomine appellare: sed per antiphrasin, id est, contrariam vocem Benedicere illam expresserint. Ita paulò post, *Benedic Deo, & morere,* hoc est, maledic & exsecrare, vt te occidat. Et alio in loco: *Benedixit Naboth Deum & Regem,* id est, maledixit. Vnde & Ionathan Chaldæus vertit: *Blasphemauit.* Hoc idem & Latinis in hoc nomine *sacrum,* vulgare est, vt in hoc versu: Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? id est, *exsecrata.* Antiquis etiam homo *sacer* dicebatur, quem populus ob maleficium iudicasset, & si quis occidisset eum, parricidij non damnabatur. Hinc sententiæ istæ: Intestabilis & sacer esto. Ego sum malus, ego sacer, scelestus, &c. Legant

Iob. 2.
3. Reg. 21.
Virgil.
Horatius.
Plautus.

curiosisi lubet, Macrobium, Festum, Budeum. Nos interea cum beato Paulo Apostolo monemus & hortamur: *Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, &c.*

Eph. 5.

Origenes reddit: *Ne aliquid cogitauerint contra Deum. Ne fortè aliquid mali in corde suo cogitauerint aduersus Deum.* Deinde exclamat. O dilectio parentis! O studium genitoris! O synceritas patris! Non enim tantùm pro corpore sollicitus erat, sed plus de anima cogitabat. Dic ô beate Iob, quomodo permitteres, vt aliquid mali filijs tuis in verbis, atque operibus euidentioribus excideret, qui pro occultis ita sollicitus fueris? Ne fortè de impudicitia cogitauerint, ne fortè ad impietatem declinauerint, ne fortè illicita meditati fuerint, ne fortè iniusta concupierint, ne qua radix amaritudinis? Ne fortè obliuiscantur Deum, & recedentes à timore eius, dicant in corde suo, *Non est Deus*, non est iustitia, non est iudicium, non est resurrectio, neque retributio. Hactenus ille, qui & paulò post parentes illos coarguit, qui tantarum virtutum obliuiscuntur, has non imitantur; sed potius liberos, diuites ac honoratos relinquere curant, quàm bonos, &c.

Sic & Chrysost.

Heb. 12.

Ps. 13.

Diximus quid cogitaret, quidve caueret sanctus Iob filijs suis: iam attendamus quid pro illis faceret. Transactis septem conuiuio-

rum diebus, conuocabat eos in domum paternam, vt authoritate & præsentia parentum recrearentur, & concione docerentur de Deo creatore, eius graui prouidentia, iustitia, omnipotētia, misericordia: de lapsu hominum, de Messia venturo, resurrectione, vita æterna iustis repromissa, & supplicijs æternis impiorũ. Præterea sanctificabat eos, id est, præparabat vt mundi & digni essent ad orationes, preces, sacrificia, esumq́; carnium quæ Deo erant immolandæ, ac demum supplicationes in cælum emitterent, quando fumus incensorum ac holocaustorum sursum efferretur & ascenderet. Libens conniueo (dicebat Sanctus) ad conuiuia vestra, quæ fraternam firmant concordiã, sed interim indignũ est negligere Diuina. Seruatis inter vos caritatem, videte vt & cum Deo pacem habeatis. Nihil est tam lætum ac securum super terram, quod si absque Dei timore geratur, non malè desinat. Nobisipsis non satis notę sunt cordium nostrorũ maculæ, quas tamen Deus penitus cognoscit. *Prauũ est cor hominis & inscrutabile.* In animis hominũ multę sunt latebrę, multiq; recessus. Sic & Iacob, iuxta mandatum Dei ascensurus & sacrificaturus in Bethel, conuocata omni familia sua, *Abijcite*, inquit, *Deos alienos, qui sunt in medio vestri, et mũdamini, ac mutate vestimẽta vestra.* De toto etiã Hebraico populo legẽ Dei suscepturo, dictũ est ad Moysẽ: *Vade ad populũ, & sanctifica eos hodie & cras, lauẽtque vestimẽta sua, & parati sint in diẽ tertiũ, &c.* Quibus apparet

Ierem. 17.
Gen. 35.
Exod. 19.

Rectores, Pastores, Patresque familias sollicitos esse oportere, vt etiam serui, ancillæ, vniuersa familia deseruiat Deo, sacris adsit officijs, cultum Dei exerceat, & per sacrarum festiuitatum otium, de animarum suarum salute recogitet. *Septimo die,* ait Deus, *Sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, &c.*

Exod. 20.

B. Ephræm Syrus hunc locum pertractans, hinc ostendit, veteres illos iustos summè sollicitos fuisse, liberos suos immaculatos offerre Deo: Heli verò cùm mollior segniorque in filijs corrigendis esset, eum ab ira Dei non exemit veneranda senectus.] Alio rursum libro demonstrat magnam curam habendam esse, ne quid mali cogitemus in cordibus nostris. Si diligens cogitationum non sit faciendum examen, (inquit) cur vitulum vnum pro peccatis cogitatione commissis Iob offerebat?] Obseruat etiam B. Chrysostomus: Iob pro filijs offerebat hostias, & eos à peccatis absoluebat, ne fortè cogitassent aliquid in corde suo, ita de filijs curam gerit. Non dixit, vt hominum plurimi: Relinquam eis patrimonia. Non dixit, Gloriam eis conferam. Non ait, principatum emam: non ait, Agros acquiram. Sed quid? *Ne fortè cogitauerint aliquid in corde suo.* Omnium Regem eis reddam propitium, & nihil eis deerit. *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Hæc magnæ sunt opes, thesaurus magnus.

Apologia ad fratr.

Tractat. de confess.

Hom. 3. in ep. ad Philipp.

Psal. 22.

Verùm, quid audimus? Potuit ne sanctus Iob per illa externa sacrificia & holocausta filios ac seruos suos sanctificare? Quæstionem istam paucis quidem, sed significantissimis verbis dissoluunt patres Scholastici. Non sanctificabant, aut peccata remittebant vetera, vel legis naturæ, vel Mosis sacrificia ex opere operato, id est, instituto ac ordinatione sua; sed ex opere operantis, id est, fide & caritate sacrificantium & offerentium. Aut si mauultis, sanctificabant externè, non internè. Iterum, sanctificabant significatiuè, non effectiuè. Non enim poterat sanguis hircorum, vitulorum, agnorum, taurorum-ve remittere peccata: sed signabat, promittebatque passionem, sanguinem & mortem Christi, cuius merito credentibus, sperantibus, & pœnitentibus condonantur atque reipsa delentur. *Hic est sanguis* (inquit) *qui effundetur in remissionem peccatorum.* Et Præcursor: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et dilectus Discipulus: *Lauit nos à peccatis in sanguine suo. Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni, &c.*

Heb. 10. *Matth.* 26. *Luc.* 21. *Iob.* 1. *Apoc.* 1. & 7.

In sacris autem tractandis, offerendis, ac suscipiendis magnam requiri corporis & animi dispositionem atque præparationem satis demonstratum fuit à Domino per vestes pontificias, lotionesq; facierum, manuum & pedum, tam in Exodo quàm in Leuitico. Patet quoq; ex historijs Ozæ, Nadab & Abiu, Beethsemitarũque, illos diuinis vltionibus plecten-

dos, quicunque secus fecerint. Nec abs te Christus lauit pedes Apostolorum, antequam ad edendum sanctissimu corpus suum eis porrigeret. Quid quod personat tuba Euagelij, *Probet seipsum homo, &c? Qui maducat indigne, &c. Ideo inter vos multi infirmi?* Certè, ante Communionem Eucharistiæ olim palam à Diacono proclamabatur: *Nullus Simon. Nullus Iudas. Nullus infidelis. Nullus in hypocrisi. Sancta sanctis.* Viderunt & hoc Ethnici in profanis sacris suis dicentes: *Procul este profani.* Et in legibus statuentes: *Ad deos adeunto casté. Opes amouento. Pietatem adhibento. Qui secus faxit, Deus vindex erit.*

Iob. 13.
1. Cor. 11.
Clemens, Basil. Chrysost.

Quoties autem offerebat beatus Iob? Vir profectò fuit non parcus in his, quæ ad Dei cultum pertinebant: sed magnificentissimus atque liberalissimus. Offerebat enim holocausta multa, non vnum solum: & iuxta numerum filiorum: & *hoc faciebat* (ait Moyses) *cunctis diebus*: non tantùm semel aut iterum, sed quoties illi circulum conuiuiorum suorum absoluissent. Quia sigillatim geniti & nati, distinctimque resurrecturi & iudicandi, sua quisque habens peccata, & vnicuique Deus redditurus est secundum opera sua, vnusquisque onus suum portabit, vnusquisq; mercedem accipiet secundum proprium laborem, &c. pro vnoquoque decenti ordine offerebat holocaustum.

Adiiciunt Origenes, Dydimus, & Olympiodor⁹, quod tandē & vitulū pro omnibus simul

offerret in sacrificiũ, de cuius carnibus postea vnà epularentur, & perpetuam caritatem sancirent. Quęrit autẽ Origenes: Dic, ô beate Iob, quis te docuit vitulum mactare pro peccatis? Figuram adimplet illorum, quę perficiẽda sunt nouissimis temporibus? Spiritus sanctus docuit vt offeram in figurã illius de quo dictũ est: *Adducite vitulum saginatum.* Et in typũ illius de quo dictũ est: *Ecce agn⁹ Dei, qui tollit peccata mũdi.* Qui docuit Isaiam dicere: *Sicut ouis ad victimã ductus est.* Et Ieremiã: *Ego tanquam agnus ductus ad immolãdum*: idem ipse me illuminauit, vt vitulũ pro peccatis offerrẽ. Sed & propterea vitulũ coram filiis iugulauit, vt videntes quod pro peccatis alienis vitulus ille moreretur, metuẽtes ac pauẽtes, ab omnibus peccatis quæ animas in mortem æternam demergunt, declinarent.

In catena. *Luc. 15.* *Io. 1.* *Isa. 53.* *Ierem. 11.*

Quis porrò istas victimas offerebat? Certè ipsemet iustus Iob, quoniam in ea lege naturæ Patres familias & primogeniti Sacerdotes erãt ad sacrificandum & benedicendum. Sic enim & Noe, & Melchisedec, & Abraham, & Isaac: & Iacob sacerdotio functos esse legimus.

Quo verò tempore offerebat? *Mane consurgens diluculo.* Cùm omnia magis sunt trãquilla, homo de somno surgens alacrior, & sol diesque cum iucũda luce oriẽs, omnes admoneat de beneficiis cælestibus. Auiculæ cantillantes, more suo Creatorẽ celebrãt. Ergo cùm noctis tenuatur vmbra, lucis aurora rutilãs coruscat, nisibus totis rogitem⁹ omnes Cunctipotentẽ. *Gregor.*

Mane quippe ſobriorũ mẽs adhuc minus turbata, & viuida, ad quæuis facienda expeditior eſt. Scribit itaq; Sapiẽs: *Iuſtus cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.* Et Pſaltes: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Mane aſtabo tibi. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Quod adhuc in monaſteriis obſeruamus, ex primeuæ Eccleſiæ inſtituto, quæ Antelucanos hymnos (ait ex Plinij relatione Tertullianus) Chriſto canebat.

Eccl. 39.

Apolog.

Denique, ex hoc & ſimilibus veterum locis patet, omni ſæculo, ætate, genteque fuiſſe ſacrificia externa, quibus cultus Dei, & religionis publicum argumentum ac exercitium in hominibus, demonſtratum eſt. Proindeque Hugnoſticos inter hoſtes totius religionis habendos eſſe qui hoc ipſum in Chriſtianiſmo inficiantur, deſtruũt, & abolere nituntur. Supplices Deum exoremus, vt. &c.

HOMILIA NONA.

6. *Quadam autem die cùm veniſſent filij Dei, vt aßiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.*

VNum Deum verum & viuum eſſe & eius prouidentia mũdum adminiſtrari, eumdemq; conſulere rebus humanis, nec ſolum vniuerſis, ſed etiam ſingulis; præ

præ multis aliis libris & argumentis, aduersus vniuersos Epicuræos & Atheos, euidentissimè & constantissimè demõstrat ista B. Iob historia. Constat enim, vel ipso patre mendiciorum, vi veritatis compulso, prædicante, *Deum operibus manuum Iob benedixisse, & ideo possessionẽ eius præualuisse in terra.* Item, velut sepem fuisse pro illo, & domo eius, & pro omnibus quæ habuit in circuitu. Idem sanctus omnem quoque prosperitatem & aduersitatem suam non fato, nõ fortunæ, non ordini naturæ sed Deo tribuit dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Cuiuis etiam hinc perspicuum est, nec impios homines in terris florere, nec iustos affligi, sed neque ipsum Satanam aduersus nos, aut facultates nostras quidquam posse; ni Deus desuper permiserit. Primo itaque huius Tragicomœdiæ actu res eius prosperas audiuimus; hoc secundo aduersas aggrediamur. Nimirum, quomodo inuidentissimus & malignissimus Dæmon, non ausus ei per se nocere, Deum adierit, virum sanctum accusarit, ac eidem officere petierit, & impetrauerit: deniq; pro sua rabie in facultates, seruos, & omnes liberos eius desæuierit, vt eum ad blasphemandum Deum compelleret.

Principio autem hic notandum, Diuinam Maiestatem describi tanquã potentissimi cuiusdam Imperatoris, aut Regis magnificẽtissimi, qui in throno quodam resideat: habeatq;

plurimos officiarios, satellites, & seruos, tam bonos quàm malos, qui ei nunciāt omnia quæ per imperia gerantur, eū consulant quid de his actum velit, eidem obedire paratos ad nutum. Dictum, factum putet. Eadem hypotyposi &

Dan. 7.

Daniel scribit, se vidisse thronos poni & antiquū dierū sedere, & decies cētena millia satellitū assistere ei. Isaias quoq; ait: *Vidi Dominū sedentē super thronū excelsū & eleuatū, &c.* Ioannes quoq; conspexit in cęlo sedē positā & supra sedē sedentē, &c. Sed omniū venustissima, & huic loco aptissima est hęc Michęæ descriptio. *Vidi Dominū sedentem super soliū suum & omnem exercitum cæli aßistentem ei à dextris & à sinistris.* Quærēti autē Domino, quis deciperet Achab, præsto adfuisse dęmonem, suamque illi in hoc opus fraudem obtulisse.

Isa. 6.

Apoc. 4. 5. 6. 8.

3. Reg. 22.

Et quid mirum, quid absurdum si Deo Regi regum, & Domino dominantium adscribatur thronus, cùm reguli tęrræ, vicarij eius, sua solia suosq; thronos, & circunstantes satellites habeant? Egloni namque regi Moabitarum tribuitur thronus. Et Dauidi dicit Dominus: *Thronus tuus erit firmus iugiter.* Et de Salomone idem Dauid ait: *Ipse sedebit super thronum meum.* Fecit quoque Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro, qui habebat sex gradus, &c. Quinetiam refert Scriptura Dauidem circum se habuisse septem & triginta fortissimos satrapas & duces exercituum, quorum tres plusquam heroico animo castra Philistinorum pene-

Iudic. 3.

2. Reg. 7.

3. Reg. 2. & 10.

2. Reg. 23.

trauerant, vt ad eum aquam adferrent de cisterna Bethlehem. Frequenter etiam memorantur Cerethi & Phelethi, custodes corporis regij. Et de Salomone scribitur *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ad bella doctissimi.* Vidimus & nos Gallorum Reges suis circundatos stipatoribus Heluetiicis, Scoticis, Francicis, & ducentis nobilibus Gallicis, miro planè splendore, Regium statum subditis suis venerabilem & formidabilem ostentantes. Quanto magis verendum ac tremendum esse putandum est illud summi Dei nostri Solium, infinitis Angelorum myriadibus terribile? Sedem quoque maiestatis Christi, ante quam congregabuntur omnes gentes? Adeamus ergo nunc cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur in tempore opportuno.

2. Reg. 15.

Cant. 3.

Matth. 25.

Heb. 4.

Sedulò tamen cauendum, ne æstimemus cum veteribus Antropomorphitis, Deum concretum & corporeum, sicque aliquo loco comprehensum, quique ministrorum opera indigeat, vel humanis vocibus cum Angelis suis colloquatur. Hæc enim omnia purè spiritalia sunt, ac spiritaliter sunt intelligenda, Scriptura nobiscum humano more loquente, vt capiamus. Itaque figura est, quam Græci vocant ἀνθρωποπάθεια, qua per res humanas & sensibiles, cælestes & insensibiles adumbrãtur & nobis exponuntur. Quis enim aliàs caperet, quomodo Deus vtique regnet,

iudicet omnia, tam bonis quàm malis spiritibus imperet? Itaque Deus noster omnino spiritus est: imcomprehensibilis, immensus, infinitus est: Lucem habitat inacccessibilem: & simplici fide adeundus est. Quocirca, vt nossemus & crederemus illum cuncta quæ beato Iob contigerunt, & vidisse, & sciuisse, & sapientissimè disposuisse, eadem more humano descripta & narrata esse voluit. Gratias igitur quantas maximas animi nostri capere possunt, eidem habeamus, quòd ad captũ nostrũ sese demittat; & vt pia nutrix, cum nobis infantulis suis quasi balbutiat, vt aliquem gustum de rebus diuinis capiamus.

Iob. 4.

1. Tim. 6.

Quadam ergo die, ait Moyses, *cùm venissent filij Dei, &c.* Hebræi volunt diem vnum esse eumq; primum anni, quo boni ac mali assistant Deo, vt de singulis iudicet. Vnde & Paraphrastes Chaldæus legit. *Et factum est in die iudicij, in initio anni, & venerunt societates Angelorum in locum iudicij coram Deo.* Beatus Aquinas melius scribit: Quodam die, secundum morem Scripturæ, quæ ea, quæ sunt supra tempus, designat ex iis quæ fiant in tempore. Sicut à principio Geneseos dicitur Deus aliqua dixisse, primo vel secundo die, quanuis dicere Dei sit æternum, propter hoc quòd ea quæ ab ipso dicuntur, fiebant in tempore. Ita & nunc quia factum de quo intenditur, id est beati Iob aduersitas & tentatio, accidit in tempore, narranda fuerunt velut facta tẽporis successione. Sed quid opus multis? Hebraismus

Hebræi.

est, quem commodè vertit B. Hieronymus, *Quadam autem die, &c.*

Duo hîc ordines ministrorum ac satellitum dicuntur astitisse ac etiamnum perpetuò astare coram Deo, ad omnia mandata & iudicia illius exsequenda parati, boni videlicet & mali Angeli. Ex quibus in primis refellitur crassus Sadducæorum, ac multorum libertinorum, omnem angelicam & spiritualem existentiam esse, negantium, error: quem & Christus & Apostoli eius recensendo apertè damnarunt. *Matth. 22.* Initio etenim *Act. 21.* mundi testatur maximus prophetarũ Moyses custodiam Cherubinorũ in ostio paradisi positam: ac deinceps bonũ Angelum Dei Agar semel & iterum monuisse: Abraham alloquutũ: *Gen. 3. 16.* cum Lot hospitatũ, Isaac eripuisse, & cũ Iacob *18. 19. 22.* colluctatũ: quæ omnia nõ imaginaria, vel fallaci specie: sed reipsa cõtigisse certũ est. Deinde Moysi non rarò locuti sunt Angeli. Ægypto plagas inflictas per Angelos malos adfirmat Psaltes: qui & Angelum vidit crueto mucrone Ierosolymis minitantẽ. Sed inter alios omnes veteris testamenti locos, illustris est iste B. Iob, vbi Angeli tam boni tã mali adsunt Domino, rationẽ de actis reddituri. In historia Danielis, Angelus descẽdit in fornacẽ ad Martyres Dei, *Dan. 3. 4. 6.* videtur à Nabuchodonosore, excutit flammã *9. 10.* ignis in satellites eius; semel & iterum obturat ora leonum, colloquitur cum Propheta. Raphael Angelus ducit & reducit Tobiã iuniorem, *Tob. 2. 3 4. 5.* Dæmonium cõpescit ab eo, & à coniuge.

4. Reg. 19. Seniorem curat à cęcitate; centũ & octoginta millia cædit Assyriorum: frequenter conuenit Zachariã, & alios Prophetas, &c. In nouo Testamẽto, Angelus semel & iterum apparet Ioseph, colloquia miscet cum Zacharia, Maria Luc. 1. 2. Math. 2. virgine, Pastoribus, & Magis, Christus à Sa-4. tana tertiò impetitur, immundi spiritus à multis eijciuntur, expetunt cribrare Aposto-Luc. 4. los sicut triticum: denique, vniuersi Christo iudicaturo viuos & mortuos aderunt: & reprobi mittentur in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. An non ergo Math. 25. reipsa Angeli sunt beati atque reprobi? Certè, si Deus verus & viuus est.

Sed quam ob rem, aut filij Dei, aut ad eum venisse dicuntur? Nam horum tam per-Iob. 1. & 2. quisitio, quã solutio, & ad fidem Christianam, & ad vtilitatem pertinet. Filij Dei & sunt & dicuntur non sola creationis ratione, quæ etiã cum reprobis cõmunis est eis: sed & quòd gratię ac regni eius participes, perpetuo amore eidẽ adhæreant, (& vt Paulus de piis omnibus 1. Cor. 6. loquitur) vnus cum illo spiritus efficiuntur. Excellentissimus profectò & supra quàm cogitari aut dici potest, honorabilis est iste titulus, Filium esse Dei: Deum pro certò patrem habere, qui paterno diligat & curet affectu.

An verò soli beati Angeli hoc titulo & fauore gaudent? Imò verò pij omnes, qui fide & obedientia Christo, & Sponsæ illius cõstanter adhærẽt, adoptione verè ac reipsa filij Dei sunt. *Quod si filij, & hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæ-*

redes autem Christi. Quibus meritis tantum nobis contigit bonum? Solius certè Christi Iesv, dantis *potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius*. Videte ergo, altaque mente reponite omnes filij hominum, *qualem caritatem dedit nobis, vt filij Dei nominemur, & simus*. Vermiculi terræ repentes, esca vermium, audeamus dicere Deo omnipotenti: *Pater noster, qui es in cælis, Abba, Pater*. Et ne pauperculi ac miseri de ista adoptione & filietate dubitemus, Spiritus sanctus (ait Apostolus) *reddit testimonium spiritui nostro, quòd filij Dei sumus*. Et Christi miratus bonitatem summamque in nos beneuolentiam, *non confunditur* (inquit) *nos vocare fratres, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*. Quotusquisque verò nostrum istud in nos Dei beneficium satis agnoscit? Pro dignitate perpendit? Dignas gratias agit? O damnabilem hominũ ingratitudinem! Bos cognoscit possessorem suum, homo tãti beneficij immemor, despicit, imò & blasphemat creatorem, ac humanissimum Patrem suum, &c.

Rom. 8. Io. 1. 1. Io. 3. Matth. 5. 6. Rom. 8. Heb. 2. Ps. 21. Io. 20. Isa. 1.

Dicuntur porrò venire & assistere coram Domino quoniam vbicunque fuerint locorũ beati Angeli, Dei facie clarè perfruuntur: sicque illorum ad nos in terras peregrinationes nihil omnino eorum felicitati officere possũt. Adfirmat enim Christus: *Semper vident faciem Patris, qui in cælis est*. Raphaël Angelus dixit Tobiæ: *Sum vnus è septem*, id est, innumeris, *qui astamus ante Dominum*. Et Gabriel ad Zachariã: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Dominum*. Inde B.

Matth. 18. Tob. 12. Luc. 1. L. 2. Mor. c. 2.

Gregorius: Neque sic à diuina visione foras exeunt, vt internæ cõtemplationis gaudiis priuentur: quia si Conditoris aspectum exeuntes
1. in Iob. amitterent, nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nunciare possent. B. Amadeus scribit reuelatum sibi ab Angelo Gabriele, septem specialiter Angelos, super omnes alios semper assistere Domino Deo, illorumque nomina recenset: quod & ex Tobiæ libro, & B. Lucæ initio, non difficilè probatur. Omnes autẽ vocari Filij Dei, quòd eidẽ naturâ sint magis similes, ac essentia propinquiores: atque hoc mysteriũ notum fuisse Patriarchis atque Prophetis. Venerũt, inquit Origenes, non de loco ad locũ vbi Deus nõ fuerit presens, vt eũ vel inuenirẽt, vel viderent: nec vestigijs carnalibus neq; incessibus corporalibus: sed spiritali accessu, atq; incorruptibili statu cælesti. Humana verò vsus cõsuetudine dicit, *Venerant ante Deum*, qui omnia replet, qui vbique præsens est: & nõ est locus neque in cælo, neque in terra, neque apud inferos, vbi non sit præsens Deus. Hoc sciebat ille, qui ait: *Si ascendero in cælum, tu illic es, &c.* Hoc sciebat Helias, qui stans in terra dicebat: *Viuit Dominus, cui asto.* Sancti ergo siue in corpore sint, siue extra corpus, siue in terra, siue in cælo, siue Angeli, siue viri, iugiter astant in cõspectu Dei. Astare verò ante Deum dicuntur specialiter homines, dum cũ maiori deuotione atque studio animas suas effuderint in oratione ante Deum, sicut Anna mater Samuelis, cũ in dolore animæ effunderet orationem suã in

Margin notes: *Apocalypsis noue Raptu 5.* — *Ierem. 23.* — *Ps. 133.* — *3. Reg. 17.* — *1. Reg. 4.*

conspectu Domini. Atque hoc vnum & primũ est beatorum Angelorũ officium erga Deum eidem nimirum semper astare, subseruire, perpetuasque laudes occinere. Nobis autem hominibus, aiunt Augustinus, & Boëthius, Magna est indita necessitas iustè recteque viuendi, qui cuncta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis. *Aug. Soliloquior. c. 14. Boëth. l. 5 de consol. philos. prosa. 6.*

At verò, video vos percupidos nosse ad quid veniant, & quam ob rem assistant coram Domino: quidque negotij peragant quotidie. Et hoc quoque quoniam ad ædificationem nostram attinet, ex Patribus paucis exponamus. *L. 1. in Iob.* Gratias sancto Deo referunt (inquit Origenes) pro beneficiis eius, pro gratia, pro misericordia, pro mirabilibus, quæ impertit generi humano omni hora & tempore, aliquando de periculis liberans, aliquando de discriminibus eripiens, ex angustiis saluans: peccantibus longanimiter parcendo, pœnitentes misericorditer suscipiendo, contumaces patienter sustinendo, aliaque ineffabilia beneficia circa genus humanum perficiendo. Cùm viderint Sanctorum virtutes, Martyrum constantiam & Agones, tunc cum gaudio exultant. Offerunt Deo memoriam iustorum, sicut ad Cornelium dictum est: *Act. 10.* & Raphael nunciauit ad Tobiam, &c. *Tob. 12.* Ergo nunciabant pœnitentiam Adæ & Heuæ, Abelis Martyrium, Enos preces, Enoch sanctitatem, Abrahæ obedientiam, Isaac

pietatem, Iacob tolerantiam, Ioseph continētiam, Melchisedec oblationem, beati Iob simplicitatem, rectitudinem, filialem timorem, quotidiana sacrificia, &c. Et nunc quoque tanquam gratissima Deo odoramenta offerunt piorum omnium preces, eleemosynas, gemitus lacrymas, & quælibet opera bona. Addo & hęc beati Ephræm verba: Assistunt Angeli spectatores vitæ tuæ, quoniam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus, &c.] Damnabilis certè hominum socordia, quę hęc aut non credit, aut non satis dignè perpendit: quandoquidem orandi & benefaciendi studiū negligunt, coram Deo & Angelis eius stare se non cogitant. &c.

Act. 10. *Apoc. 5. & 8.* *Heb. 1.* *Ser. de patientia & consum. seculi.* *1. Cor. 4.*

Et quoniam non modò delectat, sed & plurimum iuuat, ac in reuerentiam deuotionemque beatorum Angelorum piorum animos plurimum mouet accenditque, & alia rursum de illorum erga nos officijs, ex sacris Scripturis & Patribus audire, ex D. Augustino isthæc ad Deum adiiciam verba: Facis Angelos tuos spiritus propter me: quibus mandasti, vt custodiāt me in omnibus viis meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes ciuitatis tuæ nouæ Ierusalem: & montes in circuitu eius vigilantes: & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, nequando rapiat vt leo animas nostras, dum non esset, qui eriperet, ille antiquus Serpens aduersarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens semper circūit quærens quem deuoret. Hi sunt ciues bea-

Aug. L. Soliloquior. c. 27. Ps. 103. *Ps. 90.* *Isa. 2.* *Ps. 124.* *Luc. 2.* *Ps. 7 & 9.* *Apoc. 12.* *1. Petr. 5.*

tæ ciuitatis supernæ Ierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vt eos liberēt ab inimicis suis, & custodiant in omnibus viis suis: confortent quęque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nempe conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras restaurari expectant. Ideoque magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuę benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. &c.

Gal. 4. He. 1. Apoc. 5. & 8.

Quod verò audimus, Angelos ad Deum referre nostros gemitus, vt ab eodem nobis propitiationem impetrent, satis apertè docet illos nobis bene precari coram communi omnium Patre & Creatore: ac iccirco vtile & salubre esse, nos eorum patrocinium & auxilium inuocare. Hoc ipsum sapientissimus & antiquissimus Auctor pręstat his verbis; Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, omniumque iustorum, & per illū qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, vt pro me Deo supplicare dignemini, vt de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari. &c.] At quoniam istud dogma plurimis Scripturis,

Meditat. c. 40.

Lib.9.c.23. exemplis, & Veterum testimoniis comprobauimus aduersus Hugnosticam Theomachiam: finem huic tractatui ac homiliæ imponemus, Deo gratias quantas possumus exoluentes, quòd tantos custodes, patronosque salutis concesserit.

HOMILIA DECIMA.

I. *Affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.*



Em existimatis, Auditores, stupore & admiratione dignam, quomodo Satan, hostis Dei & omniũ sanctorum, & sẽpiternis inferorum tormentis adiudicatus, potuerit vnà cum beatis Angelis in conspectum Dei venire, eidem assistere, & de rebus beati Iob instituere colloquium. Nonne de illo
Luc.10. Christus dixit: *Videbam Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo?* Scimus autem fulgur semel lapsum, non redire in aëra. Et Ioannes
Apoc.12. etiam scripsit: *Proiectus est (de cælo) Draco ille ma-*
Isa. 14. *gnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, & angeli eius cum illo missi sunt. Neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.* Quomodo igitur accedere potuit? Inter

beatiſſimos Angelos tam infelix & miſerrima beſtia ſtare? Hoc quod hîc refertur, miſcere cum Deo colloquium? Non libenti animo, ſpontaneaque voluntate Deum ſuum agnoſcit Dominum? Aut vltro ſuarum cogitationum, & actionum rationem reddit ei, bonorum Angelorum inſtar?

Reſponſio in promptu eſt. Non dicitur Satan veniſſe in cælum, aut in eo reſediſſe, ex quo ſemel inde proiectus eſt. Sed vbicunque terrarum aut locorum fuerit, velit, nolit, coram Deo eſt propter infinitam maieſtatem, & immenſitatē illius Deitatis, ſapientiæ, potentiæ, pręſentiam. Polychronius: Satan aſſiſtere Deo dicitur, quia Deus locis omnibus adeſt, vitium coarguens, & virtutem pręmio afficiens. Ait enim: *Cælum mihi ſedes eſt, terra ſcabellum pedum meorum*. Et Salamon. *Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos*. Auguſtinus non rarò immenſitatem iſtam Dei miratus ait: Tu vbique totus es, & nuſquam locorum.] Et rurſum: Credo Deum ſine ſitu vbique præſentem: ſine loco, vbique totum: ſine extenſione, omnia implentem.] Rurſumque: Immenſitas diuinæ magnitudinis tuæ iſta eſt, vt intelligamus te, intra omnia, ſed non incluſum: extra omnia, ſed non excluſum.] Adſuit igitur, adeſt, & perpetuò aderit Satanas ante Deum, quando nec iſte, nec alij diaboli, nec homicidæ, nec falſi teſtes, nec detractores, nec accuſatores fratrum, nec maligni, nec tyranni, nec

In Cathena.
Iſa. 66.
Prou. 1.
L. 6. *confeſſ.* c. 3.
L. Medit. c. 12.
Ibidem. c. 30.

vlli impij, effugere possunt conspectum, manumq; Dei omnipotentis. Venit Satanas ante Deum, quia eius superbia, eius malitia, eius fraudes, artes, immanitates, erga totum genus humanum odia, insidiæ, iræ contra Iob virum innocentem & iustum præsertim, iniquissima consilia & studia ei notissima sunt. *Et non vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Ergo ter quaterque miseri sunt, qui humanos tantùm verẽtur oculos: horum tantùm timore reuocantur à peccatis. In oculis Dei semper versamur, velimus, nolimus, ait B. Ephræm. Qui etiam (vt à Græcis anonymis in vita eius refertur) istud semel & iterum exemplis comprobauit. Nam cum prope hospitiolum eius meretrix habitaret, & sanctum virum ad stuprum sollicitaret: ille finxit se consentire, modò in vrbe media id fieret. Illa respondit: Erubescendum conspectum hominum. Dixit ei Ephræm: Si homines erubescimus, multomagis Deum erubescere simul & timere oportebit, qui nouit occulta hominum, veniet iudicaturus mundum & redditurus vnicuiq; secundum opera sua. Hæc audiens meretrix, compuncta, & conuersa est. Alia rursus accedens, ad turpem commixtionem eundem pertrahere conabatur, cui vir sanctus dixit: Sequere me. Cùm autem deuenissent ad magnam frequentiam hominum dixit ad eam: Faciamus vt cupis. Illa respondit Quomodo poterimus istud hîc agere in tanta hominum præsentia? Nonne nos pudet? Et ait

Heb. 4.

L. de vita spiritali. c. 34.

Vita S. Ephrẽ pag. 13.

ad illam. Si homines erubeſcis, quantomagis erubeſcere oportet Dei abſcondita tenebrarũ redarguentem? &c. Atque vtinam, iterum autem vtinam, omnes qui de ſcortatione vel adulterio ſollicitantur, huiuſmodi ſancta recordatione voluptates ſuas compeſcerent.

Quærit verò Diuus Gregorius, An Satanas Deum in ſua gloria & maieſtate tum viderit, ſicut eum intuentur beati Angeli? Reſpondet, Nequaquã quoniam, vt ſcriptum eſt, ſoli *mundo corde ipſum videbunt*. Satanæ autem cor plenum eſt ſuperbia, ambitu, contumacia, inuidia, malitia, Dei & hominum odio, & omni iniquitate. Ait autem Iſaias: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*. Fuit ergo, eſt, & erit coram Deo, tanquam cęcus ante ſolem: reus ante Iudicem: ſeruus perduelis ante dominum: tortor cruentus ante Magiſtratum: & reprobi, atque ſuppliciis ęternis adiudicandi, ante ſupremum Iudicem: quando dicet illis; *Ite maledicti in ignẽ æternum*. Cùm loquetur eiſdem in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. &c. Omni ergo ſtudio & diligentia caueamus Satanica illa peccata & ſcelera, ne cum illo beatifica illa Dei viſione, in æternum deſtituamur. Enimuero ſanctorum patrum Auguſtini & Chryſoſtomi iudicio, omnium infernalium pœnarum grauiſſima eſt iſtiuſmodi priuatio.

Matth. 5. *Iſa.* 26. *Matth.* 25. *Pſ.* 2. *Manualis. ca.* 15. *Hom.* 24. *in Matth.*

Notant etiam poſt Baſilium, alij patres Græci, nomina quibus cacodæmones in ſacris literis nuncupantur, eſſe pri-

dignatus ſit cum teterrimo cacodæmone, quandoquidem viri Principes & Magiſtratus colloquia non miſceant cum faſcinoroſis, furibus, ſacrilegis, impuris furciferis. Chriſtus loquentem dæmonem increpans, dixit: *Tace; & obmuteſce ſpiritus immunde.* Alios increpans non ſinebat loqui. Quinetiam Paulus & Syllas, vera prædicanti Pythoniſſæ, ſilentium impoſuerunt. Reſpondeo; iſtiuſmodi ſpirituum colloquia; Dei cum Angelis, aut Angelorum cum Deo, aut Angelorum ad alios bonos vel malos Angelos; merè ſpiritalia ſunt: nobis adhuc mortalibus incomprehenſibilia, niſi humano more noſtro deſcriberentur, ac exponerentur. Talia ſunt iſta ſanctiſſimæ Trinitatis perſonarum colloquia: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Venite, deſcendamus, & videamus, & cetera.* Ex quibus Iuſtinus Martyr pluralitatem & diſtinctionem perſonarum in Deo credendam & profitendam eſſe, aduerſus Iudæos, fortiſſimè contendit. Iſtiuſmodi fuerunt etiam colloquia & contentiones Michaelis & Satanæ apud B. Zachariam & Iudam: & ſancti Abrahæ ſpiritus cum perditi Epulonis ſpiritu, pro vt à B. Luca recitantur. Quantas ergo gratias Spiritui ſancto debemus, quòd tam benignè ad captum noſtrum ſeſe demittat?

Mar. 4. *Luc. 4.* *Act. 16.* Gen. 3. Gen. 4. Gen. 11. *Dialog. cum Tryphone.* *Zach. 3.* *Iud. 5. 9.* *Luc. 16.*

Quo igitur pacto Deus Satanam interro-

gauit, *Vnde venis*? Aut iste respondit illi: *Circuiui terram, & perambulaui eam*? Non more hominum, aut voce articulata, sicut homo colloquitur homini, cùm ei voluntates atque desideria sua patefacit. Nequaquam ergo verbis, sed factis ac iudiciis suis Deus à Satana quærit, *Vnde veniat*, dum malitiam, scelera, fraudes, aduersus humanum genus odium & rabiem eius increpat, arguit, & vniuersas eius artes malas notissimas sibi esse declarat. Interrogat ergo velut d. Non me latent cogitationes, desideria, & conatus tui contra homines ô Satan. Venis à lapsu Adæ, à cæde Abelis, à desperatione Cain, à tyrannide gygantum, vniuersæ carnis corruptione, turris Babel constructione, Sodomæorum infandis sceleribus, Cam irrisione, Lot incæstu, Ismaelitarum, & Idumæorum idololatria. & cetera. Ego Iudex tuus & vltor, in his te sceleribus deprehendo & condamno. Sed age, tu ipse te accusa, te prode, iniquitatem tuam manifestes velim. & cetera.

Sic namque Deus occultis iudiciis suis coarguit, increpat, damnatque omnium nostrum peccata, tam interna, quàm externa tam spiritalia quàm corporea: vt ipsi eadem agnoscamus, de illis erubescamus, conteramur, confiteamur, & relinquamus, ne nos in perpetuum interitum præcipitent.
Gen. 3. Idcirco Adamum interrogauit: *Vbi es*? Et

Heuam, *Quare hoc fecisti?* Et Cain, *Vbi est Abel frater tuus?* Et cuique nostrum minatur per Psalmistam *Arguam te, & statuam ante te faciem tuam.* Et per Apostolum vniuersis prædicat: *Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, &c.* Festinemus ergo seria maturaque pœnitentia illa delere, ne nobis cũ tremore & horrore coram Deo ab hoste exprobrentur, sicque de æterna salute periculum faciamus. O beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata! & cetera. Gen. 4. Ps. 49. Rom. 1. Ps. 31.

Non dixit ad beatos Angelos, *Vnde venitis*, in ipso enim atque in eius voluntate atque ordinationibus & eunt, & veniunt, & omnia perficiunt, & cuncta secundum voluntatem eius operantur, iuxta hoc quod dictum est: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Ex quibus damnabilis refutatur Hugnosticorum verè Satanica maledicentia, qui cum suo Caluino non verentur illos accusare *vanitatis, stultitiæ, mendacij, & multorum aliorum criminũ.* Hos profectò cunctis peccatis eximit Christus Dominus, ac perfectæ erga Patrem suum obauditionis satis laudat, quando precari nos præcipit, vt Fiat voluntas eius à nobis in terra, sicut perfectè fit in cælo à beatis Angelis. Ps. 102. Ser. 16. in Iob. Matth. 6. Luc. 11.

Sed respondentem Domino Satanam nunc audiamus: *Circuiui terram* (inquit ipse; *& perambulaui eam.* Chaldæus exponit, *A.*

vagatione in terra ad capiendum in seruitutem filios hominum, & à minando in terra. Vnde magis elucet tyrannis Satanæ. Græci : *Circumiens terram , & deambulans in ea quæ sub cælo , adsum.* Digna certè Satanæ responsio. Comepellitur quidem suas confiteri miserias, fraudes, perpetuos labores , ac irrequietam conditionem : sed nunquam superbissimus cacodæmon suas agnoscit, aut vltrò confitetur culpas. Ex quo me in ira tua cælis eiecisti, nullam vnquam pacem, nullam quietem habui. Noluisti me regnare in cælo: ideo terram, totumque inferiorem istum mundum incessanter perambulo, vt in hoc regnem. Homines abstraho à cultu tuo, vt me colant atque timeant : quod iam ex magna parte, velis nolis , obtineo. Rex sum super omnes filios superbiæ, auaritiæ, luxuriæ , gulæ, homicidij. Meis tentationibus & suasionibus malunt obedire, quàm tuis mandatis aut legibus. Ecce vbique, erecta sunt mihi , quantuncunque renitaris & prohibeas, templa, idola, sacrificia in Gentibus. Hæc omnia inferiora mea sunt , & cui volo, do ea. Princeps sum huius mundi : imò & deus huius sæculi. Mihi seruiunt Nembrothi, Pharaones, Reges, Imperatores, Duces, Nobiles, Milites, Magistratus, Rustici, Viri, Fæminæ, dum peccatis suis incumbunt. &c.

Iob. 41. *Gen. 3.* *Matth. 4.* *Io. 12.* *1. Cor. 4.*

Magniloquio atque arrogantia vteris ô miserrime diabole, (scribit Origenes)

elatione quoque atque iactantia : vt ita appareat quod omnes magniloqui, iactanticuli, arrogantes, ac ſuperbi tuæ nequitiæ ſint diſcipuli, & apud te didicerint ea loqui, quæ Deo ſunt contraria.] Diſcipulus itaque Satanæ Pharao, dicens: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.* Diſcipulus Rex Aſſyriorum, dicens ciuibus Ieroſolymorum per nuncios ſuos; *Ne fiduciam vobis tribuat Ezechias ſuper Dominum, dicens, Dominus liberabit nos, & cetera.* Diſcipulus Nabuchodonoſor, dicens, ſe omnem terram ſubiecturum eſſe imperio ſuo: vt ſolus diceretur Deus. *Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt.* Diſcipulus Nicanor dux Syrorum, qui audiens à Iudæis, Deum cæli præcepiſſe ſeruãdum Sabbatum, d. *Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotia Regis impleri.* Diſcipuli omnes Tyranni, Hæreſiarchæ, Theomachi, aduerſus Deum, Verbum, ac Eccleſiam eius ſuas artes iactitantes. *Deus autem ſuperbis reſiſtit. Nolite ergo loqui ſublimia gloriantes, & cetera.* Itaque non alta ſapiamus, ſed humilibus conſentiamus; & de nobis moderatè ſentiamus, atque loquamur.

Exod. 5.
4. *Reg.* 18.
Iudith. 1. 3. 5. & 6.
Macha. 15.
2. *Petr.* 1.
1. *Reg.* 2.

Attendamus etiam Satanæ & omnium dæmonum obſtinatam, ideoque inexpiabilem eſſe ſuperbiam, malitiam, & culpam: à quibus nunquam reſipiſcere poſſunt. Propria namque malitia, non cuiuſquam alienæ ſuaſione de-

linquunt, immobiliter peccatis adhærent, & iam ad extremos peccandi fines peruenerunt.
2. Petr. Ideo Angelis peccantibus Deus non pepercit.
Heb. 2. Nec Christus Angelos, sed semen hominis tantùm apprehendit redimendum. Ideo iure
L. de carne Christi. Tertullianus ait: Nullum mandatum de salute angelorum (malorum) suscepit Christus à Patre. Quod autem non repromisit, Christus administrare non potuit.] O quantum ergo tuæ pietati & misericordiæ debemus, summe Deus, qui pro toties iteratis & repetitis peccatis, non in perpetuum abiicis nos: sed patienter expectas ad pœnitentiam! Cum D.
L. Medit. c. 2. Augustino confidenter dicam: Licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Nullum spernis, neminem perhorrescis, nisi qui te amens exhorruerit. Miserationes
Ps. 144. eius, super omnia opera eius. Misericordiam
Ps. 88. tuam ne auferas à nobis. Ne proiicias nos à faciè tua, &c.

Aduertamus etiam Carissimi, vel hoc eheu! nimium verum esse, quòd Satan, licet pa-
Io. 8. ter mendacij, iactat, plures suis suggestionibus & tentationibus obsequi, quàm diuinis legibus. Atquè sic nos peccatis efficere, vt Princeps inferorum Dei maiestatem blasphemet, insurgat in eum, & aduersus eum glorietur. Si probro datur peruersis Iudæis, quòd per illos sanctum nomen Dei inter Gentes blasphemaretur, quanta supplicia debentur impiis

Christianis, quòd etiam à Diabolis infametur? Gloriosissimæ famæ eius detrahatur. *Isa. 52.* *Rom. 2.*

Verba porrò Satanæ, nobis profectò terrorem & horrorem incutere debent. Nam verè circuit omnem terram quæ sub cælo est, non carnalibus vestigiis, sed spiritalibus seductionibus. Non per temporum spatia, *Origenes.* sed subitò, celeriter, omnia quæ sub cælo sunt peragrat, omnia quæ in aëre sunt peruolat. Subitò ab oriente ad occasum transeundo, & à meridiano ad aquilonem permeat, omnia quæ in his fiunt & dicuntur, videns & audiens. Si enim venti aëris regiones ac prouincias subitò perflant atque transeunt, multo amplius nequissimi dæmones, vniuersa peragrant, & in omni perturbatione præsentes sunt. Subitò in omni prælio & pugna, in omni sanguine & homicidio, & furto, & adulterio adsunt omnia perturbantes, succendentes, miscentes, & quærentes quos deuorent. Nunquam lassantur, dormiunt nunquam, nunquam à tentationibus cessant. Nullibi desunt, sed omnibus locis atque temporibus nobis insidiantur. De his quoque adfirmat Tertullianus: Dæmones momento vbique sunt. *Apologet. c. 22.* Totus orbis illis locus vnus est. Quid vbique geratur tam facilè sciunt, quàm enuntiant. Velocitas diuinitas creditur quia substantia ignoratur. Subscribit & Lactan-

tius his verbis: Spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, erroribus complent. Hactenus illi. Non quòd Satan naturâ sit immensus: sed quòd vbique suos habeat satellites, vbique extendat laqueos, vbique habeat organa sua ad fallendum, ad seducendum & perdendum miseros paratissima. Eiectus ab aliquo, assumit alios septem nequiores, vt reuertatur ad locum, de quo exiuit. Quin & legio dæmonum hominem obsessit aliquando. Habet præsto omnes impios, latrones sacrilegos, blasphemos, meretrices, lenones, opes, honores, falsos testes, corruptos iudices: carnem denique nostram militantem aduersus spiritum. Nullis parcit, omnes conatur deiicere. Expetiuit cribrare Apostolos, Christum etiam tertiò adorsus est. Qui iure monet, præcipitque vniuersis: *Videte, vigilate, & orate.*

L.2 c.15.

Luc. 11.
Matth. 8.

Luc. 22.
Matth. 4.

Concioni finem imponam, si animis attenderitis duorum sanctiss. & antiquiss. patrum piis istis de laqueis & fraudibus Satanæ adhortationibus. Prior est sanctiss. Pater Ephræm Syrus, scribens: Malignus & superbus spiritus, vt in cunctis dominetur, singulis per vias suas laqueos tendit: Sapienti, per sapientiam: forti, per fortitudinem: diuiti, per diuitias, &c. in cunctis seminat zizania.] Posterior est magnus Aurelius Augustinus in hæc


Tractatu de euers. superbiæ.

verba prorumpens: Antiquus ille draco, qui cauda ſua traxit tertiam partem ſtellarum cęli, Soliloq.c.16. tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & 17. & omnes vias noſtras variis repleuit decipulis Apoc. 12. & 13. ad capiendas animas noſtras. Laqueos poſuit in diuitiis, laqueos in paupertate. Laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno & in vigilia, in verbo & in opere, & in omni vita noſtra. Sed tu Domine, *Libera nos de laqueo venantium, & à verbo aſpero*, vt confiteamur tibi dicentes. Benedictus Dominus, qui Pſ.19. non dedit nos in captionem dentibus eorum: anima noſtra erepta eſt ſicut paſſer de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Fiat, Fiat. Pſ. 123.

HOMILIA VNDECIMA.

8. *Dicit Dominus ad eum: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, &*
9. *recedens à malo? Cui reſpondens Sa-*
10. *tan, ait: Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamq; ſubſtan-*

tiã per circuitum, operibus manuum benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra.



Portet planè vitam, virtutem, bonaque Sanctorum virorum opera, Deo omnipotenti gratiſſima & receptiſſima eſſe, quando non ſolùm omni gloria & honore eadem coronat in cælis: verùm, & illa idem ipſe prædicat, de iiſque gloriatur coram electis, & Angelis ſuis, tam bonis quàm malis. Etenim in poſtremo iudicio, quo omnes tam probi quàm reprobi aderunt, clariſſima voce auctores bonorum operum laudans, & ad cæleſtem glo-
Matth. 25. riam inuitans, dicet eis: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.* Et vnumquemque in conſortium gloriæ ſuæ iam recipiens, dicit ei:
Matth. 24. *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti*
Luc. 2. *fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Et ne quis de iſta liberalitate & Diuina in homines beneuolentia ſua dubitet, voluit eam palam conteſtatam eſſe, etiam ſub initium ſæculi huius, per hanc beati Iob hiſtoriam, in qua velut oculis & auribus noſtris percipimus, eundem Dominum Deum noſtrum, etiam coram Satana, de huius ſerui ſui pietate & integritate gloriantem. Quandoquidem (ait ad Diabolum) te omnem terram perluſtraſſe, ac omnia quæ ſub cælis ſunt exploraſſe iactas, quid tibi videtur de

Iob illo nobili viro in terra Huz, in quo ego, vt in seruo bono, fideli, ac peculiari ministro, magnificè glorior? An non aduertisti, quàm sit eximiis virtutibus ornatus, ita vt vix alius quispiam in regione illa, aut omnino in vniuersa terra par illi possit inueniri? Nimirum homo totus simplex & rectus, in quo nihil simulatum aut fictum: Deum viuum, vnum & trinum colens ex toto cordis affectu, & ab omni malo, quo Diuina possit offendi maiestas, studiosissimè recedens. Ecquid tibi placent tantæ istę in homine gentili virtutes? Nunquid dum illas in eo aduertis, non distringeris inuidia? Non splendidè te mentiri pudet, quod vniuersi, me reiecto ac neglecto, te timeant, colant, adorent? Ille, ille meus seruus est, non tuus, non mundi, non carnis, non voluptatum, non Mammonæ. Hic, hic me Regem suum agnoscit, non te. Ille simplex, tu fraudulentus: ille humilis & modestus, tu superbus: ille rectus, tu obliquus & tortuosus: ille castissimo me colit amore, tu aspernaris: ille recedit à malo, tu huic intentissimus es. Ego, ego hunc non tantùm amo, sed & diligo, laudo, benedico. De illo nunc etiam coram te exulto, triumpho, glorior. &c.

Ex his autem mecũ obseruate, Carissimi, quã bonum, vtile, ac gloriosum sit, veræ pietati, id est, fidei, spei, caritati in Deum & proximũ operam dare, Deum timere, amare, vereri, recedere à malo, & bonis operibus abundare; De⁹ enim istiusmodi cõuersatione delectatur,

has virtutes ipſemet in hominibus laudat, probat, præmiatur quantumuis ringant & differantur meritorum bonorũ operum oſores. *Merces veſtra*, inquit Deus per Filium ſuum, *copioſa eſt in cælis. Pater, qui videt in abſcõdito, reddet tibi.* Etiam ſi tantum calicem aquæ frigidæ in nomine Domini dederis, non perdes mercedem tuam. Et Apoſtolus ait: *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Et Sapiens: *Miſericordia Dei faciet vnicuiq; locum ſecundum meritum operum ſuorum.* Ergo dum tẽpus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Bonum facientes non defficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.

Matth. 5. & 6.

Matth. 10.

Heb. 13.

Eccli. 16.

Gal. 6.

Mecum quoque reputate animo, quantus eſt hic, qui etiam à Deo, teſtimonium innocentiæ, pietatis, integritatiſque habuerit? Vnde verò tantas laudes meruit? An à ſola fide in Chriſtum venturum? Tametſi enim iſta fuerit inſignis, vt ex ſequentibus apertè colligitur, vbi ad Saluatorem ſuſpirat: ab hac tamen vnica non laudatur à Deo, ſed & à candore & rectitudine animi, à timore filiali, à ſpe firma, fuga mali, conſequenterq; à patientia, & bonis illis operibus, quæ capitibus 30. & 31. referuntur. Nam ſi fides non habeat opera, ait Apoſtolus, mortua eſt in ſemetipſa. Et Abraham pater noſter, ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum. Et Rahab meretrix, nonne ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios, & alia via eiiciens? Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine

Iob. 19.

Iac. 2.

Gen. 22.

Ioſue. 2.

operibus mortua eſt. Quomodo igitur ſola aut iuſtificaret, aut ſaluaret hominem? Abhorrendum iſtud Pſeudoapoſtolorum, Simonis magi, veterum ac recentium Gnoſticorum commentum.

Aduertite etiam Deum omnipotentem, non ſolùm de Iob, tanquam de puero & ſeruo ſuo gloriari; nam & alibi de pluribus aliis filiis hominum ſibi obtemperantibus & ſyncerè ſeruientibus exultans, dicit: *Miſi ad vos ſeruos meos Prophetas.* Et de Moyſe dicit ad Aaron: *Non ſicut famulus meus Moyſes in tota domo mea fidelis.* Et poſt paululum: *Quomodo non timuiſti loqui de famulo meo Moyſe?* Abraham, Iſaac, Iacob non tantùm ſerui, ſed & amici Dei ſæpe nuncupantur. Dauid pro magno ducit honore, *Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, Apoſtolis dicit Chriſtus: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Quinimo de omnibus piis ait: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, &c.* Quid hoc maius? quid excellentius; quid nobilius, vt quis Regis cæleſtis ac Dei ſummi frater, filius, nedum ſeruus dicatur & ſit? Ne dubites igitur, ô quiſquis ſimplicitatis, æquitatis, atque pietatis beati Iob imitator fueris, quantunuis in hoc mundo abiectus & contemptibilis, te nihilominus coram ſummo ac vero Deo ſimili gloria & honore ferè compenſandum. Certa ergo, vt bonus miles Chriſti Ieſu. Sic curre, vt comprehendas. &c.

Ierem. 7. *Numer. 12.* *Pſ. 115.* *Io. 15.* *Pſ. 21.* *Heb. 2.*

Niſi (ait Deus) meus ſeruus ſanctus eſſet, ac dignus, qui à me amaretur & laudaretur,

non vtique inuideres illi. Non es ita zelātus Cain, non Cham, non Gygantes, non Nembroth, non Babelis ædificatores, non Esau, non Ismahel. Non zelaberis Saul, neque Achitophel, neque Doech, neque vllum ex iis qui peruersam fecerint voluntatem tuam: sed zelatus es à sæculo omnes seruos meos atque cultores, vt Abel, Ioseph, & nunc ipsum Iob, & omnes me syncerè inuocātes. Non Iudam, aut Iudæos zelaberis, sed Petrum, & meos alios Apostolos, &c. In his conspiciamus tam Diaboli, quàm ministrorum & satellitum eius malitiam & summam nequitiā: & ne deficiamus animis, siquando viderimus impios quietè & prosperè agere: nos autem pro virili Deo adhærentes multa & grauia pati in hoc sæculo. Idem enim Satanas de quo hîc sermo, relictis Herode, Pilato, Caipha, & Anna, Christū solū oppugnabat. Hinc Cyprianus: Non impugnat Aduersarius, nisi castra, & milites Christi: hæreticos prostratos, & suos iam factos, cōtemnit. Eos quærit deiicere, quos videt stare.

Luc. 22.

Verùm, tempus est, vt ad respōsionem Satanæ accedamus. *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti, &c.* Inuidia tabescens persistit Satanas in sua impudentia, & non solum Iobum, sed & Deum ipsum calumniatur, q. d. Falleris Omnipotens, falleris iudicio ac existimatione, Iob nō est vir iustus, sed hypocrita & simulatus: non est rectus sed auarus: non timet te, sed amissionē opum suarum. Et si externis quibusdam ceremoniis te collat, quid mirum,

cùm & Cain quem ipſe reprobaſti tibi offerebat holocauſta? Quid etiam magnũ, ſi agniculum vnum immolet tibi, cui ſeptẽ millia contuliſti? Quod ſi me mentiri putes, agedũ, permitte vt tollã greges, armenta, domos, honores, liberos: & videbis quòd os ſuum diducet in cælum, vt contumeliis te afficiat. Audies, quomodo te iniuſtum, crudelem, tyrannũ vociferabitur. Reſpondet, (inquit Origenes) non labiis, neque humano ore locutus: ſed conſiliis iniquis cogitans. Manifeſtat, quæ malitiosè cogitauit. Non fruſtra colit Deum, ſed cum precio, pro mercede. Si ferocioribus atq; immanioribus hominibus tantas conferres diuitias, profectò omnes vno conſenſu tibi ſeruirent, & te colerent, &c.

Perſpiciamus hinc, quanta ſit impudentia & audacia Satanæ, qui Deo non veretur ſeipſum opponere: & ſanctiſſima verba eius falſitatis arguere, vt quod ille adfirmet, iſte perneget; vt homines paulatim abſtrahat à fide, religione, ac obeditione illius. *Aufſert Diabolus verbum Dei à cordibus eorum*, (ait Chriſtus in Euangelio) *ne credentes ſalui fiant:* Matth. 13.
Dormiente patrefamilias, ſuperſeminat zizania, id eſt, errores & vitia. Dixerat Dominus primis parentibus, *In quacunque hora comederitis, morte moriemini:* è contrario dixit Gen. 3.
Satan: *Nequaquam moriemini.* Dixit Chriſtus: Io. 3.
Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Contra per Hugnoſticos dicit Satanas: Paruu-

li fidelium sancti sunt ex vteris matrum, nec
Matth.26. ad salutem indigent baptismo aquæ. Filius Dei
Luc.22. ait de sanctiss. Eucharistia: *Hoc est corpus meum.*
Mar.14. *Hic est enim sanguis meus, &c.* his se opponens
1.Cor.11. per hæreticos Diabolus inquit: Nō est corpus, non est sanguis eius, sed sola figura; solum signum absentis. An non ergo Satan sibi semper similis? Contere Domine IESV, contere istos
Rom.16. Satanas sub pedibus Ecclesiæ sponsæ tuæ: Istiusmodi hostes tuos aut conuerte, aut subuerte.

Cernamus deinde, opus diabolicum esse, piorum virorum famam lacerare, iis detrahere, & studiosos eorum conatus atque labores in malam partem rapere ac interpretari, vt hîc facit Satanas. Sic olim per Ægyptios detraxit
Exod. 4. Mosi & Aaroni legatis Dei, quòd populum ad defectionē sollicitarent, cùm eum vocarēt ad Dei cultum. Per Dathan, Core, & Abironem eisdem imposuit quòd tyrannidem exer-
Num.16. cerent in populum Dei. Sic & Iosepho, Dauidi, Eliæ, Nabot, Susannæ, impia obiecta sunt à satellitibus diaboli crimina. Christum, & Apostolos, variis criminibus confictis vexarunt & diffamarunt Iudæi. Primis Christianis (vt est apud Iustinum, Athenagoram, Tertullianum, Arnobium, & Eusebium) imposita sunt ab Ethnicis Infanticidia, Anthropophagiæ, promiscui concubitus, & totius mundi incommoda. Ab hæreticis verò, idololatria, Bacchi & Cereris adoratio, Antichristi cultus, defectio generalis à Christo, deprauatio & suppressio sacrorum Bibliorum, &c.
tam

tam audacter, quã impudenter & impiè obijciuntur. Atque hæc ex officina veteris istius Satanæ, qui beatum Iob traducit coram Deo, palam oriuntur & prodeunt.

At verò Satanæ verba diligentiùs expendamus: *Nonne tu vallasti eum per circulum? Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra?* Velit nollit Aduersarius, innocentiam & felicitatem beati Iob iterum prædicat, dum nihil ei præter fauorem Dei nunc obiiciat. Imò & ipsum Deum laudat inuitus, vt omnium bonorum dispensatorem, seruorumque suorum curam habentem. Nonne (inquiens) vt muro ahæneo, igneo, ac impenetrabili vallo, per vigilem perpetuamque Angelorum tuorum præsentiam, ita eum cinxisti & circundasti, vt ad eum nullus mihi patuerit accessus? Et quod ad facultates eius attinet, tu domos, pecora, greges, seruos, & liberos eius sic vallasti, & vniuersam substantiam eius ita velut in manu tua custodisti, vt ne auriculam vnam imò nec pilum quidem ex ouibus aut camelis eius extrahere potuerim. O quoties ei nocere peroptaui! Quoties tentaui? quoties lædere, & perdere conatus sum? O si me hactenus non impediuisses, iamdudum de illo actum esset.

Ergo Satanas vel inuitus agnoscit confiteturque diuinam custodiam, & plusquam paternam erga vnumquemque nostrum prouidentiam, qua nos, nostraque omnia defendit atque conseruat. Idcirco nulli prodito-

res, nulli ſicarij, nulli venefici, nulli magi, nulli diaboli, niſi occulto, iuſto tamen ſemper iudicio ſuo, nocere valent, niſi permiſerit. Confundit interea iſta confeſſione ſua Diabolus miſerabiles Atheos & Libertinos, qui omnia tribuunt fato, naturæ, vel conſiliis aut ſtudiis hominum. Contra verò, pij Dei ſummam beneuolentiam circa ſe cognoſcunt, venerantur, laudant, confitentur. Cum Prophetis dicunt: *Diligam te Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, liberator meus, Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. Niſi Dominus ædificauerit domum, niſi cuſtodierit ciuitatem, &c.* Dicamus itaque cum magno patre Auguſtino: In toto tempore, totum me ſimul & ſemper conſideras, ac ſi nihil aliud conſiderare habeas. Sic ſuper cuſtodiam meã ſtas, ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis. Quocunque iero, tu me Domine, non deſeris, niſi prior ego te deſeram.

Pſ.17. Pſ.26. Pſ.124.

Soliloquiorũ. c.14.

Sic enim quondam vallauit Abraham, ne Vr, i. ignis, Chaldæorum ei noceret. Vallauit Iacob, ne Laban, ne Eſau aliquod adferret ei detrimentum. Vallauit Eliſæum igneo exercitu, ne caperent eum Syri. Vallauit tres pueros, ne flammis abſumerentur. Vallauit Ieroſolymam, & ab exercitu Sannacherib potenter defendit. Vallauit quatuor Angelis Machabæum, ne ab Ethnicorum armis læderetur. Vallat nos continuò, ne à Diabolo ſuffocemur, quoties peccando in poteſtatem eius

nos ipſos tradimus.

Præterea, non tantùm malitiam ſuam ſuperioribus verbis oſtentat, ſed & infirmitatem & impotentiam propriam fatetur Diabolus, qui nihil nec corporibus, nec animis, nec facultatibus hominum nocere poteſt, niſi à Deo ſolutus atque permiſſus. Auguſtinus aptiſſimè comparat eum cum cane catena ligato, qui latrare quidem poteſt, mordere verò non poteſt, ni propiùs acceſſereris. Tertullianus, huic Iobi loco ſubiicit: quòd tentandi Apoſtolos facultatem poſtulauit. Sed nec in gregem porcorum legio dæmonum quicquam habuit poteſtatis, niſi quod à Domino impetrauit. Concludit autem: In poteſtate. Et beatus Hieronymus ait: Debilis eſt hoſtis, qui vincere non poteſt, niſi voluntatẽ. Cum magno igitur Antonio, Hilarione, Paulo, & cæteris ſanctis Patribus deridendi ac deſpiciendi ſunt à nobis, omnes diaboli conatus, nec formidanda vniuerſa illius ſpectra. Nam feruenti oratione, inuocatione Domini IESV, Euchariſtiæ vſu, Crucis pia conſignatione, fortiſſimis exorciſmis Satanas facilè profligatur. Ait enim Dei Filius: *Dæmones eiicite. In nomine meo dæmonia eiicient*: quod ab Apoſtolis, & ſucceſſoribus factitatum refertur. Et nos licet grauiſſimi peccatores, & Apoſtolicis donis indigniſſimi, Eccleſiaſticorum tamen Sacramentorum, precum, & Exorciſmorum miniſterio, diuerſis locis &

L. de fuga in perſ. Luc. 22. Matth. 8.

Athan. Hieron. Palladius. Metaphraſt. Theod. Epiph. Auguſt. Luc. 20. Matth. 9. Mar. 16.

temporibus; hominem, qui se Satanæ vēdiderat, & diem quo illum sibi asportaret, signaret, ab eius manibus eripuimus. Alios duos fascinationibus eius dementatos, sanæ menti restituimus. Duos ligaturis, ab vsu legitimi Matrimonij sui præpeditos, soluimus. Puellā vnam, tres coniugio copulatas, sed Satanicis furoribus agitatas, desperantes, & ad laqueum currētes in salutis viam reduximus, &c. Quid? Nonne opera Dei manifestare, illi gloriosum est? Num alios aduersus Satanæ insidias, artes, furores, animare vtile? Sed ad eius confessionem redeundum.

Tu (inquit) *vallasti eum, ac domum eius, ac vniuersam substantiam eius per circuitum.* Non hanc curam solis demandasti angelis, quasi nihil ad te pertineat, vel te indigna sit, sed & tu ipse vallum & sepes fuisti, & sicut sepes hortum à pecoribus deffendit, ita & tu illum ex omni parte muniuisti. Nec simpliciter eum defendis, sed in circuitu: ita vt quacunque parte irruere in illum tentauerim, eundem infestare conatus sim, nihil omnino potuerim. Pios igitur non solùm offendere nequit Satā, sed & accessus ad eos denegatur. Ait namque Deus: *Ego ero murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius.* Et post paululum: *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ciues itaque ciuitatis Dei, id est, veros Ecclesiæ filios, neque foris neque domi lædere poterit hostis infestissimus. Nam contra omnia externa erit nobis murus igneus, defensorque in-

Zach. 2.

dubitatus, qui omnia poteſt. Et ideo Dauid orat: *Cuſtodi me Domine, vt pupillam oculi.* Et apud Iſaiam teſtatur ſe futurum loco fluuiorum & riuorum latiſſimè patentium, quos neque naues, neque trieres tranſire valeant. Neque ſuos tantùm defendit Deus, ſed nihil tam exiguum ac paruum habent, quod non ſartum tectum ſeruet atque cuſtodiat. Adeò vt etiam capillos capitis ſuorum numeratos habeat, & quantum decet. Quinetiam cuſtodit oſſa ſeruorum. Ad hæc, non vulgariter benedicit eos, ſed operibus manuum eorum benedicit, adeò vt quidquid agant, feliciter cedat, atque ſic omnia eis cooperantur in bonum, etiam quæ aduerſa videntur. Et vt promiſit qui non mentitur Deus, Benedicti ſunt in ciuitate, in agro, in fructibus ventris, terræ, & iumentorum ſuorum, &c.

Pſ. 16. *Iſa. 23. & 43.* *Matth. 10.* *Luc. 12.* *Pſ. 33.* *Rom. 8.* *Deut. 28.*

Adiiciens autem Satanas: *Operibus manuum eius benedixiſti & poſſeſsio eius creuit in terra*, etiã compulſus agnoſcit & fatetur inanes eſſe omnes labores & conatus hominum, niſi Deus benedixerit. Deinde prouentus frugum, & incrementa, fructuſque bonorum temporalium, veluti agrorum, vitium, arborum, ouium, armentorum, eiuſdem quoque Diuinæ benedictionis effectus eſſe. Quod tamẽ, eheu! pauci vt deceret, recognoſcunt, aut gratias agunt: maiore illorum parte hæc ſuis vigiliis, ſtudiis, & induſtriæ tribuente.

Gen. 1. *2. Cor. 1.* *Pſal. 103.*

Quid porrò iſtis Satanæ calumniis Deus optimo iure reſpondere, eumdemque proprio

HOMILIA DVODECIMA.

11. *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan:*
12. *Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam.*



Vemadmodum vniuersi boni & beati Angeli pro amore & reuerentia communis Creatoris, nos velut fratres & futuros conciues summo amore cōplectuntur, & salutem nostrā proviribus procurant: ita è contrario, omnes reprobi & maligni Spiritus ineffabili persequuntur odio, & infatigabili labore quærunt, vt noceant, & secum rapiant in sempiternam perditionem. De bonis ac beatis sine vlla exceptione dicit Apostolus: *Omnes sunt administratorij spiritus, &c.* Ergo & Angeli & Archangeli, & Throni, id est, tres hierarchiæ, nouem ordines beatorum spirituum prosperitati & saluti nostræ inuigilāt atque deseruiunt. Nam & Seraphin horum præstantissimi, Trisagion
Heb. 1.
Isa. 6.

concinunt vt ſuo nos exemplo ad laudẽ Creatoris incitent: vnuſq; eorum purgat labia Iſaię, & ad prophetandum coaptat. Quando paſtoribus nunciauerunt natum Saluatorem mundi, præ gaudioque cantauerunt, *Gloria in excelſis, &c.* palam oſtenderunt quanta caritate & alacritate nobis inſeruiant, & de ſalute totius generis humani lætentur. Hoc omnium clariſſimè & certiſſimè docet Chriſtus, dicens: *Gaudium eſt Angelis Dei in cælo, &c.*

Apoc. 4.

Luc. 2.

Quantum verò è regione, Satanas ipſe, cum vniuerſis cacodæmonibus ſuis, nobis inuideat, nos habeat odio, in omnibus & ſemper nocere percupiat, Deus luculentiſſimè explicatum, nobiſque ſignificatum eſſe voluit, vel hac vnica beati Iob hiſtoria. *Circuiui* (inquit Satan) *terram, &c.* Nunquam ceſſaui, nec ceſſabo vnquam à procuranda perditione hominum. Die noctéque, terra & mari, domibus & agris, campis & nemoribus, omnibus locis tam ſacris quàm profanis, ſeu per me, ſeu per ſatellites meos adſum eis, vt noceam. Et nunc adſum tibi, vt ſinas me Iobum iſtum (de cuius innocentia tãtopere gloriaris,) pro mea libidine tractare, & ad tuam Maieſtatem blaſphemandam & maledicendam prouocare. Itaque, *extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, &c.* Mitte manum tuam, quæ nũc illum circundat, quæ nunc protegit, quæ nunc ſic obumbrat, vt nullatenus mihi ad illum pateat acceſſus. Mitte manũ tuam ad interficiendum, ad delẽdum, ad deſolandum, ad perdendũ

Luc. 15.

omnes facultates eius. Aut si per temetipsum, vel per tuos Angelos, quos vocas bonos, id nolueris facere, habenas mihi laxa, concede, ac permitte me in illum exercere vires meas, atque seruire: tumque videbis clarissimè latentem in eius pectore hypocrisim, audies ex eius ore tetras blasphemias resonantes, cernes illum in cælum, adeoque in Maiestatem tuam, in potestatem tuam, in iustitiam tuam, in sapientiam, in iudicium, in bonitatem, in omnes perfectiones tuas, probra maledictaque iacientem.

Hæc perpendentes, Amici, sollicitè animabus nostris attendamus & caueamus. Nam idem ipse Satanas etiam nunc viuit, nunc viget, nunc circuit terram: eundem iniquitatis liuorem, etiam nunc habet circa nos, atque res nostras, quem & tunc habuit atque exercuit circa Iob. Hoc ipsum etiam nunc facit, & vsque ad consummationem sæculi, omnes homines occultum accusans ad Deum, & pro verbo, & pro opere. Laqueos & tendiculas ponit, scandala multiplicat, molestias & tribulationes ingerit, bella suscitat, &c. Maximè contra iustos & sanctos. Iccirco personat Tuba Euangelij: *Est nobis colluctatio aduersus Principatus, & Potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ, in cælestibus. Propterea, accipite armaturam Dei. & cetera.* Et ipse peruigil Pastor cunctarum ouium Christi, gregem admonet: *Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens,*

Origen.

Eph.6.

1.Petr.5.

circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Et clarissimus veteris Testamenti Prophetes, in visione conspexit Belluam istam bellum facientem aduersus sanctos, & præualentem eis: adeò vt cogitationibus suis turbaretur. Et noui testamenti nobilissimus Vates, refert se audiuisse vocem de cælo: *Væ terra, & mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam. & cetera.* Toto ergo pectore & animo clamemus ad Patrem nostrum, qui est in cælis: *Libera nos à malo, & maligno. Domine, ad adiuuandum nos festina. De ore leonis libera nos, Domine. Erue à framea Deus animas nostras. & cetera.*

Dan. 7.

Apoc. 12.

Matth. 6.

Ps. 21. & 69.

Extende manum tuam, inquit, *& tange omnia quæ possidet*, id est, auffer ouium greges, tolle iuga boüm, camelos perde, asinas prædatoribus & latronibus trade, filios & filias opprimendos mihi relinque, hostem te paululum simula: & mendax habear, maleque dispeream, ni publicè, impudenterque tuam prouidentiam abneget, cultumque tuum derelinquat. Noui ego, noui pro certo qualis quantusque sit in animis hominum liberorum amor, quantus opum affectus, quantum possessionum temporalium desiderium, & quanta dum amittuntur, tristitia, &c. Et reuera plurimi fuerunt, sunt, & erunt inter homines, qui ob amissos honores, deperditas facultates, vel amissos liberos, mox in verba blasphema prorumpunt, deficiunt à Deo, & seipsos Diabolo præ desperatione

dedunt. Saul amiſſa victoria, & diſſipato per Philiſtæos exercitu, proprio ſeipſum confodit gladio. Architophel, quòd non admiſſum eſſet ſuum ab Abſalomo conſilium, ſpontaneo laqueo gulam ſibi fregit. Græci referunt quendam Theophilum ſe ſe Diabolo dedidiſſe, & proprio ſanguine munita ſyngrapha vendidiſſe, vt amiſſum Eccleſiaſticum beneficium & officium recuperaret. Ita *qui cupiunt diuites fieri*, ait Apoſtolus, *incidunt in laqueos, & tentationes diaboli.*

1. Reg. vlt. 2. Reg. 1. Tim. 5.

Cedit etiam iſta Satanæ petitio,& ad ignominiam ſuam,& ad laudem Dei. Nihil enim audet ille,nihil poteſt in ſeruos Dei, niſi Deo permittente. Vniuerſa igitur & ſuperiora & inferiora, Diuino reguntur arbitrio, & non niſi eius nutu res iſtæ ſeu aduerſæ, ſeu ſecundæ contingunt. *Reſpicite*, ait Dominus, *volatilia cæli, Pater cæleſtis paſcit illa. Conſiderate lilia agri, &c.* Et Pſaltes diuinæ prouidentiæ tribuit, quæ naturalia maximè putantur, vt quod fontes fluant in conuallibus, creſcat fœnum iumentis, pulli coruorum à parentibu· deſerti viuant, catuli leonum quærant à Deo eſcam ſibi. & cetera.

Matth. 6. Pſ. 130. 104. 106.

Impudens quoque ac immanis eſt hæc petitio, nimirum, vt vir iuſtus & innocens affligatur, patientiam ſuam perdat, & ad contumelias in Deum compellatur. Pari malitia petiit vt in perniciem Achabi mentiretur per

3. Reg.

circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Et clarissimus veteris Testamenti Pro-
Dan. 7. phetes, in visione conspexit Belluam istam bellum facientem aduersus sanctos, & præualentem eis: adeò vt cogitationibus suis turbaretur. Et noui testamenti nobilissimus Vates, refert se audiuisse vocem de cælo: *Væ terra,*
Apoc. 12. *& mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam. & cetera.* Toto ergo pectore & animo clamemus ad Patrem nostrum, qui est in
Matth. 6. cælis: *Libera nos à malo, & maligno. Domine, ad adiuuandum nos festina. De ore leonis libera nos, Domine. Erue à framea Deus animas nostras. & ce-*
Ps. 21. & 69. *tera.*

Extende manum tuam, inquit, *& tange omnia quæ possidet,* id est, auffer ouium greges, tolle iuga boüm, camelos perde, asinas prædatoribus & latronibus trade, filios & filias opprimendos mihi relinque, hostem te paululum simula: & mendax habear, maleque dispeream, ni publicè, impudenterque tuam prouidentiam abneget, cultumque tuum derelinquat. Noui ego, noui pro certo qualis quantusque sit in animis hominum liberorum amor, quantus opum affectus, quantum possessionum temporalium desiderium, & quanta dum amittuntur, tristitia, &c. Et reuera plurimi fuerunt, sunt, & erunt inter homines, qui ob amissos honores, deperditas facultates, vel amissos liberos, mox in verba blasphema prorumpunt, deficiunt à Deo, & seipsos Diabolo præ desperatione

dedunt. Saul amissa victoria, & dissipato per Philistæos exercitu, proprio seipsum confodit gladio. Architophel, quòd non admissum esset suum ab Absalomo consilium, spontaneo laqueo gulam sibi fregit. Græci referunt quendam Theophilum se se Diabolo dedidisse, & proprio sanguine munita syngrapha vendidisse, vt amissum Ecclesiasticum beneficium & officium recuperaret. Ita *qui cupiunt diuites fieri*, ait Apostolus, *incidunt in laqueos, & tentationes diaboli.*

1. Reg. vlt.
2. Reg.
1. Tim. 5.

Cedit etiam ista Satanæ petitio, & ad ignominiam suam, & ad laudem Dei. Nihil enim audet ille, nihil potest in seruos Dei, nisi Deo permittente. Vniuersa igitur & superiora & inferiora, Diuino reguntur arbitrio, & non nisi eius nutu res istæ seu aduersæ, seu secundæ contingunt. *Respicite*, ait Dominus, *volatilia cæli, Pater cælestis pascit illa. Considerate lilia agri, &c.* Et Psaltes diuinæ prouidentiæ tribuit, quæ naturalia maximè putantur, vt quod fontes fluant in conuallibus, crescat fœnum iumentis, pulli coruorum à parentibus deserti viuant, catuli leonum quærant à Deo escam sibi. & cetera.

Matth. 6.
Ps. 130. 104. 106.

Impudens quoque ac immanis est hæc petitio, nimirum, vt vir iustus & innocens affligatur, patientiam suam perdat, & ad contumelias in Deum compellatur. Pari malitia petiit vt in perniciem Achabi mentiretur per

3. Reg.

ora omnium prophetarum eius; quod propter illius peccata, mox obtinuit. Expetiuit
Luc. 22. quoque cribrare Apostolos, sicut triticum. Satanæ crudelitatem imitantur, quotquot in aulis Principum degunt, & ab iis postulant & impetrant dona, quæ in detrimentum vergunt miserabilium populorum. Corui sunt ad cadauera hiantes.

Satan rursum pro suo more mentitur egregiè, promittens sanctum virum Iob, illico defecturum à Deo, vt facultates amitteret. Ita &
Luc. 22. frustrà B. Petrum omni fide in perpetuum detinere conatus est: & Paulum ab Euangelij
2. Cor. 12. prædicatione præpedire studuit. Mendax enim
Gen. 3. & fallax fuit ab initio, Diuinam scientiam & æqualitatem promittens homini, propudio-
Iob. 8. sam verò ignorantiam, & duplicem mortem inferens. Assuetus est (ait B. Irenæus) ad sedu-
Lib. 5. c. 23. & 24. ctionem mentiri aduersus Deum. Et sicut in principio mentitus est, ita & in fine mentiebatur, dicens: *Hæc omnia mihi tradita sunt, & cui volo, do ea.*] Infelices filij hominum,
Matth. 4. qui huic credunt, huic se committunt, vt vel ditescant, vel incommoda refugiant. Contrà verò, miserabiles semper reddit Magos suos tandemque illos pro mercede, vel suspendio, vel submersione, vel Magistratus iusta sententia, tollit de medio; & secum in tartarum rapit.

At de his hactenus: Cum tempus est vt illa expendamus, quæ Deus responderit, & altissimo, (iusto tamen) consilio suo Satanæ conces-

ſerit. *Ecce* (inquit) *vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Permittit Satanæ in confuſionem eius quod contra iuſtum virum petit: ſed quoniam inſatiabilis eſt illius furor & rabies, donec hominem totum deglubat, pręſcribitur ei lex, vltra quam in eum ſæuire non liceat. Origenes conſilium Dei his aperit: Quia non poteſt aliter iniquitas tua ſedari, niſi ſic, Ecce omnia quæ habet, dedi in manum tuam. Nam ſi non dedero, diſcedens gloriaberis, & plaudes quaſi victor diſceſſeris, quaſi ego hoc certamen non permiſerim difiſus de Iobi ſerui mei conſtantia & virtute. Ergo ne de his glorieris, ô Diabole, *Ecce omnia quæ habet, dedi in manum tuam.* Iam tibi permitto vniuerſa quæ in domo, quæ extra domum, omnem pecuniam & veſtem, omnes opes & labores, greges & fruges. Non impedio quin in omnes ſeruos, in omnes filios & filias eius furas, inſanias, baccheris. Contra hæc omnia omnem effundas rabiem tuam, per me licet. Occide, lacera, combure. Perfice malignum tuum liuorem. Imple maledictum odium tuum. Crudelitatem tuam exſatia. Sitim ſanguinis humani tuam in ſuos reſtingue.

Admirandum ſanè conſilium, & incomprehenſibile iudicium Dei, quòd tam citò Satanam iniuſtiſſima & crudeliſſima petentem exaudiat: Sanctos verò iuſta & æquiſſima petentes frequenter non exaudit. Iſraelitas ſub cap-

tiuitate Ægyptiorum, Chaldæorum, Græcorum gementes, & ad eum suspirantes, non nisi post annos plurimos liberauit.
Psal. 21. Christus post Dauidem conqueritur: *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies, &c.*
Exposit. 2. in Ps. 21. Per hoc simile respondet B. Augustinus: Sub medicamento positus vreris, secaris, clamas, non audit Medicus ad voluntatem: sed audit ad sanitatem. Ad vtilitatem non est exau-
2. Cor. 11. ditus Paulus: ad damnationem exauditus est
Iob. 1. Matth. 8. diabolus. Petit Iob ad tentandum, & concessum est. Dæmones petierunt ire in porcos, & exaudiuntur: & Apostolus non exauditur. Sed illi exaudiuntur ad damnationem: Apostolus non exauditur ad salutem.] Eadem rursum pertractat Tractu 6. in 1. Ep. B. Ioannis, & alibi nō rarò. Itaq; illico non exaudiri à Domino est semper argumentum iræ, sed aliquando clemētiæ atque salutis, (solus enim nouit quid verè paruulis suis expediat:) sicut è contrario, exaudiri, signum iracundiæ & reprobationis.
Num. 16. Carnes sibi dari petierunt Hebræi: sed *esca eo-*
Ps. 77. *rum adhuc erant in ore ipsorum, & ira Dei ascen-*
1. Reg 8. *dit super eos.* Petierunt Regem: Dominus conqueritur se ab eis propterea derelictum & ab-
Rom. 8. iectum. *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Ergo vt mereamur assequi quod petimus, rogemus vt faciat nos, quæ placita ei sunt ab eo
Ambros. postulare. Preces suggerat quas ipse audire & exaudire dignetur.

Sed quas ob res, virum tam sanctum & iustum Satanicis relinquit Deus diuexandum.

furoribus? Eandem versant quæstionem duo præcellētes patres Hieronymus & Augustinus, inquirentes. Cur multi trimuli, & suggentes vbera, corripiuntur à dæmone: & senes vegeti, impij, securi, & incolumes, Deum impunè blasphemant? Respondent, istud pertinere ad occulta illa Dei iudicia, de quibus dicitur: *Existimabam vt cognoscerē hoc, labor est ante me. Incōprehensibilia sunt iudicia eius.* Hinc, vt conuincamur omnes de peccato originali, quo infecti concipimur & nascimur, eiusmodi pœnis & miseriis subiecti. Inde, vt odiū ac rabiem Diaboli aduersus genus humanum agnoscentes, à peccatis sedulò caueamus, & Deo seruatori nostro semper adhæreamus.

Epist. ad Paulam, de obitu Blesillæ. L. 21. *ciuit.* c. 14. *Ps.* 91. *Rom.* 9.

Quantum verò ad Iobi persequutiones speciatim attinet, Satanæ potestati facultates eius concessit Dominus (vt ex B. Clemente, Tertulliano, ac Origene colligitur) primò ad maximam eiusdem Cacodæmonis confusionem ac ignominiam. Sic enim retusa fuit eius inanis gloriatio, manifestata calumnia, apertum mendacium, & vniuerso mundo demonstrata grandis imbecillitas, qui cùm spiritus sit peruigil, & mille-artifex, vnico terrenoque homuncioni pręualere non potuit, aut ad blasphemādum adducere nūquā potuerit. Quis ergo illū timebit? Imò, quis vniuersos conatus eius, adiutore Deo, nō aspernabitur? Viriliter ergo resistamus ei, & fugiet à nobis. Secūdò, ad iusti viri probādā & experiēdā fidem & spē in Deū, & maiori in cęlis hono-

L. 4. *recognit.* L. *de fuga in pers.* *Lib.* 1 *in Iob.* *Iacob.* 4.

re & gloria coronandam. Ita namque dixit Raphael ad Tobiam: *Quia acceptus erat Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Et B. Iacobus ait: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Non ergo deficiamus animis, neque fatigemur, cùm à Deo corripimur. Quasi aurum in fornace probat electos Dominus. Tertiò, voluit Dominus in eo splẽdidissimum patientiæ toti mundo exemplar atque speculum erigere, atque tollerantiæ in cunctis rebus aduersis. Ita enim de eo & de Tobiæ tribulationibus dicit Scriptura: *Hanc tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* Superiores rationes paucis istis verbis comprehendit Tertullianus: Nihil Satanæ in seruos Dei licebit, nisi permiserit Dominus, vt aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob.] Idem rursum in alio loco exclamat: O felicissimum illum, qui omnem patientiæ speciem, aduersus omnem Diaboli vim expunxit! &c.] Duplicem permissionis causam istam designat B. Cyprianus: Potestas (ait) dupliciter aduersum nos datur, vel ad pœnam, cùm delinquimus: vel ad gloriam, cùm probamur, sicut de Iob factum videmus.]

Tob. 12. *Heb. 12.* *Sap. 3.* *Tobiæ. 2.* *L. de fuga. c. 2.* *L. de patientia. c. 14.* *L. de orat. dominica.*

In his quoque videmus, Deum solummodo permisisse Satanę, latronibus, raptorib⁹, homicidis,

cidis, alijſque miniſtris eius, vt in beatum Iob deſæuirent: non autem præcepiſſe. Sicque omnium, quæ committuntur malorum & peccatorum, Satanam authorem eſſe, non Deum, vt impiè cum ſuis manipularibus ſtatuit & blaſphemat Caluinus. Ait enim Dominus: *Cuncta quæ habet in manu tua ſunt*, quæ ſimplicem permiſſionem ſonant: non præceptum, velut nuper ex Scriptura, Tertulliano,& B. Cypriano audiuimus. Quomodo verò Deus author eſſet peccatorum, cùm ea tātopere auerſetur, prohibeat, & horrendis plectat ſupplicijs? Confundetur cum Diabolo? Sibi ipſi contrarius eſſet? Iudicaret orbem terræ in æquitate? Abſit, abſit, vt opera Satanæ, impiæque voluntatis, & voluptatis humanæ, fonti omnium bonorum adſcribamus: Deum optimum maximum, noſtrarum accuſemus iniquitatum, vt nos iuſtificemus. Impietatem iſtam ſatis diffuſè confutauimus in Theomachiam, ideo hîc latiùs non perſequemur. *L.2.c.7.8.9.*

Sed quid ſibi vult, *Tantùm in eum ne extendas manum tuam?* Duntaxat petiſti in ea quæ poſſidet inuadere, non in ipſum: caue igitur ne in eum extendas manum tuam; ne quidem pilum aut de veſte, aut de capite illius attingas. *Cur non tangam?* Quia ſeruatur ad ſecundam luctationem, certamen quoque & conſtantiam, atque tolerantiæ approbationem. Exclamat Origenes: O bonitas tua Rex! O virtus atque magnificētia tua Æterne! Quàm

magnam consolationem tribuis ijs, qui ad te confugerint, vt nullam potestatem habeat aduersarius, nisi vbi fuerit permissus?] Docet item hic locus, tentationes suos habere terminos: nec afflictiones piorum posse vltra illos progredi. Et vt mare suis limitibus circunscriptum est, ita omnes tentationes & tribulationes Sanctorum, quæ per Mare & Aquas non rarò significantur, suos habent fines, vltra quos progredi non licet. Deus non relinquet virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant ad iniquitatem manus suas. Fidelis non sinit nos tentari, supra id quod possumus. Nouit quid valeant humeri, quid ferre recusent. Hæc scientes Carissimi, sollicitè atque deuotè ad Deum cófugiamus, instantissimè atque syncerissimè in orationibus Deum inuocemus, vt auertat à nobis Maligni insidias, eripiat nos de crudedissimis eius incursionibus, & non permittat nos tentari supra id, quod possumus sustinere. Fiat, fiat.

Iob. 38. *Psal. 124.* *1. Cor. 10.*


HOMIL. TERTIADECIMA.

Egressus est Satan à facie Domini.

13. *Cùm autem quadam die filij & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primoge-*

14. *niti, Nuncius venit ad Iob, qui di-*

ceret: Boues arabant, & asinæ pas-
15. *cebantur iuxta eos: & irruerunt*
Sabæi, tuleruntque omnia, & pue-
ros percusserunt gladio, & euasi ego
solus, vt nunciarem tibi.



Icut omnes Angeli tã boni quàm mali, natura sua spiritali & immortali, humanã nostram, mortalem & imbecillã omnino superant, ita etiã in rebus agendis mirabili celeritate, efficacitate, fortitudine, atque virtute, infirmitatẽ nostram præcedunt. Nulla vis humana generali motu terrã potest concutere: Angelus descendit de cælo, *& ecce terræmotus factus est magnus.* *Matth. 28.* Et tam magnus, vt referentibus Eusebio & *In Chron.* Plinio, duodecim in Asia vrbes eo prostratæ *L. 2. c. 86.* corruerint. Angelus vna nocte dedit internecioni *Exod. 12.* vniuersa primogenita Ægypti. Vnus Angelus vna nocte *4. Reg 19.* deleuit exercitum centũ octoginta & quinque millium hominum. Excussit *Dan. 3.* flammam ignis de fornace Babylonica; incendentes ignem ipsos cõbussit, & illæsos tres Hebræos in medio seruauit. Vnus Angelus, *Dan. 14.* solo capillo apprehensum Habacuc, è Ierosolymis, transtulit momento in Babylonem, & mox in locum pristinũ restituit, &c. Quæ vires humanæ isthæc aut similia præstabunt vnquã? An non ergo planè mirabilis, stupendaque vis angelorũ seu bonorum seu malorum

Quid ergo putamus Satanam inter Diabolos principem magnum, quot voluit aliorum malignorum ſpirituum legionibus ſtipatum, accepta in omnes facultates beati Iob à Deo poteſtate, aduerſum deſignaſſe? Dicitur namque, *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Adfirmant Theologi, remanſiſſe in eo & alijs, etiam poſt tranſgreſſionem, naturalia, id eſt, vires naturales, vt potè intellectus, voluntatis, & executiuæ virtutis, integra. Auguſtinus denique ſcribit. Omnem terrenã creaturam, virtuti ſpiritali & Angelicæ, ſi permittatur ſibi, ad nutum ſubiectam eſſe. *Egreſſus eſt*, inquit Scriptura, *Satan à facie Domini.* Non locali modo, quoniam Deus vbique eſt, faciem aut oculos eius Satan & omnes impij fugere poſſunt. *Nam oculi Domini in omni loco contemplãtur bonos & malos.* Sed ſicut ſeruus functurus miniſterio, conſcio Domino, à facie illius ad opus accedit, ita & Satan certior factus Deum ſibi poteſtatem inuadẽdi facultates beati Iob, conceſſiſſe, accingitur operi ſuo. Egreſſus eſt cum vniuerſa ira ſua, cum vniuerſa inuidia, rabie, & nocendi cupiditate ſua. Egreſſus eſt vt cruentus lictor, vt ſanguinis auidus carnifex, vt leo rapiens & rugiens è ſpelunca ſua. Nihil ergo niſi crudele, ſæuum, horrendum, planeque tragicum à Satana ſpectandum. Quatuor igitur facinora vno die peragit, quibus ſibi promittit hominem Dei ad impatientiam, blaſphemias, & deſperationem impul-

Iob. 41.

Dionyſ.

L. 3. de Trinit.

Prou. 15.

ſurum: ſimulque omnem fidem, ſpem, & gratiam ex animo eius deleturum. Primò Sabęos, deinde, Chaldęos in aciem educit; qui occiſis ſeruis, cuncta abigant armenta; tertiò cæleſtes ignes in greges paſtoreſq; ouium detorquet: quartò horrendam excitat tempeſtatem, qua vniuerſos liberos eius opprimit. De his ſigillatim dicendum.

Initio autem, obſeruanda eſt Diuina bonitas & clementia, aduerſus peruerſam Satanæ malitiam, in ſeruanda circunſtantia temporis. *Cùm quadam die*, ait Moyſes, *filij eius comederent*. Notant Hebræi fuiſſe diem ſolemnem, in quo gaudium verſum eſt in luctum. Chaldæus legit: *Et factum eſt initio dierum hebdomadæ*. Quibus conſentit ſatis, quòd dicũtur fuiſſe *in domo primogeniti*, cuius erat initium facere conuiuiorum. Cùm itaque Dominus viri ſancti Liberorum vitam tollendam è medio permiſiſſet Satanæ, id fieri voluit primo die hebdomadæ, quo erant recens ſanctificati, expiati, & emundati à Patre. Benedictus Deus, & pater Domini noſtri, qui non permittit ſuos tum à morte opprimi, & perire, cùm ſunt peccatis commaculati: ſed locum, tempus, remediumque concedit pœnitentiæ, priuſquam illos in iudicium euocet. Non ſiuit Dauidem mori, eo anno quo adulterij, proditionis, ac homicidij reus erat: non Adamum & Heuam, eo die quo peccarunt: non Petrum, non Thomam, non Paulum, non Magdalenam, non Latronem, non innumerabiles alios, cùm

peccatorum vinculis actu essent irretiti, sicque in perditionis statu: sed mirabili patientia ad pœnitentiam illos priùs adduxit. *Dissimulat peccata hominum propter pænitentiam. Patienter agit propter electos, nolens aliquem perire.* Rogemus ergo supplices: A subitanea & improuisa morte mala libera nos, Domine.

Rom. 2. Sap. 11. 2. Petr. 3.

Contrà verò, Diabolus malignitate sua, hunc diem elegit, vt tanto fieret dolor acrior sancti Iob, audita liberorum morte, quanto tunc erat de illis securior, nihil suspicans mali, imò cuncta prosperè de Deo sibi repromittens. Nitebatur quoque eum ad has Atheorum blasphemias impellere: *Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius? Quid nobis prodest, si orauerimus illum? Omnia æquè eueniunt iusto & impio; sacrificanti, & sacrificia contemnenti.* Si est Deus, & si est scientia in excelso? Nihil namque mihi nunc prosunt eleemosynæ, nihil preces, nihil bona opera, nihil sacrificia, nihil studiosa liberorum educatio, &c. Huiusmodi enim horrendas cogitationes, aliquando & verba, Satanas immittit in corda & ora hominum eorum, qui terrenis rebus plus æquo sunt addicti: à quibus tamen, velut ab ipso inferorum gurgite cunctis est abhorrendum.

Malach. 3. Iob. 21. Eccl. 9. Ps. 72.

Cùm itaque & ipsi Agasones suis asinis pascendis operam darent, & Agricolæ colendis agris inuigilarent, simulque (vt multum est verisimile) gratias agerent Deo, de tam bono ac pio Hero, qui eos hesterna die vnà cum liberis proprijs, illos sanctificarat, & sacrorum

fecerat participes: tunc Satan grauissimas super eos & sancti Viri facultates induxit calamitates & miserias. Nam malitia vrgente, nocendique rabie illum incendente, impijssimus ille secum animo volutabat: Citò peragendũ negotium meum. Quid scio si Deus iste, amator hominum, concessam mihi aduersum Iob facultatem reuocet? Vires meas impediat? Michaelem suum, perpetuum mihi aduersarium, ad seruandas Iobi possessiones immittat? Ille enim ait aliquando, Pœnitet me fecisse hominem. Propter decem iustos ciuitates amplissimas & populosissimas seruasset. Propter vnũ Lot, pepercit cunctis ciuibus Segor. Quoties ad vnius Mosis preces, flagella sua ab Ægyptijs & Hebræis reuocauit? Quid si beati Angeli pro Iobi liberis & famulis intercedant? Nunc, nũc ergo, rem meã aggrediar. Hoc ipse die pro viribus efficiã, quod corã Omnipotente iactaui, videlicet, vt homo iste impatientia victus, ab ipso deficiat, illum improbitatis accuset, ac petulantissima lingua cõsectatur, &c. In quib⁹ perpendendũ quàm accerrimũ & vigilẽ hostẽ habeamus. Eodem enim die, quo creatus est Adã, ipsum ad peccatũ induxit. Christũ baptisatum, & expulsum in desertũ à Spiritu, trino impetu adortus est. Dormiente cũ seruis suis Patrefamilias, tritico superseminauit zizania. Quoties cheu! in vtrãq; aurem dormiẽtes nos, vel ludẽtes, vel ridẽtes, vel comedẽtes, & nihil aduersi cogitãtes, vel per seipsum, vel per emissarios suos crudeliter oppriméret, nisi diuina angelicaq; custodia muniremur?

Gen. 6. 18. 19.
Exod. 4. 5. 6. 7.
Gen. 3.
Matth. 4.
Matth. 13.

Filij & filiæ Iob comedebant & bibebant in domo fratris sui primogeniti. Nemo certè eorum putasset, hoc vnanimitatis & caritatis fraternæ vltimum esse inter eos conuiuium; nemo sibi illa die & hora de hoc sæculo commigrãdum: nemo huic vitę finem tunc ponendum. Optimo igitur iure post descriptam humanæ huius vitæ multiplicem miseriam, exclamat B. Augustinus: Et nunc super hæc omnia; magna miseria, quia cùm nihil sit certius morte, ignorat tamen homo finem suum. Nescit enim quando, vel vbi, vel quomodo moriatur: & tamen certum est, quod eum mori oporteat.] Sapiens quoque ait: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo, sic homines in tempore malo.* Perpetuas igitur seruemus excubias, ne dormientes & incautos pessundet hostis.

Soliloquiorum, c. 2.

Eccl. 9.

Sed qui sunt isti infausti Nuncij, qui venerunt ad Iob, tam dira miseraque denunciantes? Origenes, Chrysostomus, Olympiodorusque suspicantur, cunctis verè seruis Iob de medio sublatis, Dæmones fuisse, à Satana, specie hominis tectos, sollicitatos, immissosque fuisse: quod non vanis coniecturis comprobant. Prima est, continuus & arte compositus horum aduentus. Secunda, odiosa, & exaggerata nunciandi ratio. Tertia, Satanæ nocendi rabies, qua nec vlli seruorum parcere voluit. Chrysostomi verba sunt ista: Vt quid putas, Dilecte, homo non erat, qui hæc Iob narrabat, sed ipse Diabolus, hominis in speciem

In Catena.

Hom. 1. de patientia Iob.

trāsformatus? *Ventus* (inquit) *venit à regione deserti.* Si homo eras, intra domum fueras: quomodo quæ extra facta ſunt, vidiſti? Si autem ſpiritus eras, homo non eras, ſed in hominis effigiem transformatus.] Et poſtea: Ipſe mali operator, ſemetipſum malorum nuncium præbet. Ipſe iumenta percutit, atque idem percuſſionem annunciat.] Quid ni credas, Diabolum formam alicuius ſeruorum Iob aſſumpſiſſe, qui & per ſerpentem olim loquutus eſt? Qui & ſemetipſum transformare poteſt in Angelum lucis? Quoties ſanctis Patribus, Anachoritis præſertim illudere conatus eſt, nunc ſpecie Solis aut Stellæ; mox paruuli, fæminæ, gladiatoris, lupi, leonis: quinimo, & boni Angeli, & ipſius Chriſti? Sed & beatus Ephræm Syrus prædicit, nouiſſimum illum Antichriſtum, Dæmones aſſumpta hominum forma, ad vniuerſos terræ fines miſſurum, qui cunctis prædicent, magnum iam Regem cum gloria apparuiſſe, omneſque ad occurrendum ei, viſendumque eius decorem inuitent.] Sed & nos à paucis annis multorum vtriuſque ſexus animos in Dei timore & amore confortauimus, quos in ſpecie nigerrimorum hominum, tam equitum, quàm peditum, in deſperationem propè induxerat. Oremus, vt Dominus conterat hunc Satanam ſub pedibus noſtris.

Ho. 3. de pat. Iob. *Gen. 3. 2. Cor. 4.* *Sulpitius, Palladius, Hieron. Metaph.* *Tractatu de conſ. ſæculi, & de Antichriſto.* *Rom. 16.*

Nunc attendamus, quid primus iſte perſonatus ſeruus ac nuncius dixerit beato Iob: *Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & ir-*

ruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, &c. Dicendum in primis, qui isti Sabæi: hinc, quo duce venerunt viri bellicosi aduersus simplices & inermes agricolas: indeque, quot & quanta facinora designarint. Sabæi ergo populi sunt felicis Arabiæ, ditissimi syluarum fertilitate odorifera, quorũ metropolis est Saba, quam Strabo Meriabam vocat. His proxima est (inquit) felicissima Sabęorũ terra, quę maxima natio est. Homines propter maximã fructuum copiam, otiosi, segnesque viuunt. Hos Iosephus à Saba Chus filio, qui à Cham ortus fuit, dictos affirmat Sabæos. Strabo rursus inquit, Sabæos naturâ molles & imbelles. Quod epitheton, & Maro eis tribuit, canẽs; *India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,* Origenis & Chrysostomi interpretes legũt, Prędones & Prędatores, significãtes eos qui in captiuitatem abducunt. Videtę ergo, & horrete peruersum ingeniũ Diaboli, qui gentẽ effœminatã & imbellẽ sic in iram acuit, & furere fecit, vt nullis, quantumuis innocẽtibus ac inermibus agricolis, parcat, nec iusto viro vnicum relinquat asellum. Sic & Cainum incitauit, vt innocentissimũ fratrem Abelem, nulla prouocatus iniuria, crudeliter trucidaret. Persuasit fratribus Ioseph, vt hunc innoxium perderent. Iudæ, vt pijssimũ magistrum & Dominum nostrũ proderet. Et Sabæis istis innocentes agricolas ad vnum omnes perimeret. Nihil ergo crudelius Satana, cunctorum immanium barbarorum hominum patre.

Lib. 6.
Plinius L. 6. c. 8.
L. 2. Ant.
2. Georg.
Gen. 4.
Gen. 33
Matth. 26.

Quid itaque simulatus hic seruus ac nuncius? Venit ad Iob, ait Origenes, conscissus, laceratus, compilatus, contusus, plangens & vociferans, atque vniuersa quæ sunt miserabilia luctu demonstrans, ita à maligno edoctus, vt ipso potius miserabili suo planctu, in Dei reprehensionem Iobi mentem concitaret.] Miserabili atque lacrymabili voce dixit ei: O te omnium mortalium miserrimum Iob; miserrimosque omnes qui seruiunt tibi: tuamque amplexantur religionẽ! Cùm essemus in agris tuis laborãtes, vt messem copiosam colligeres: asinæque ex quibus quotãuis tot fœtus habes, iuxta nos pascerentur: ecce Sabæi quos nunquã læsisti, quique nihil de tua solliciti sunt religione, omnes boues & asinas abegerunt: quinetiam vniuersos agricolas & agasones tuos cruentis gladijs disciderunt & occiderunt. Vix vnus euasi, vt enunciarem tibi. En misera sors conseruorum meorum. En merces seruitij tui. Ecce amissas facultates, vnde vitam agebas, & quam fouebas familiam. Vnde verò postea victitabis? Aut quis tibi à cætero volet inseruire? Si mihi fidem non adhibes, exi in agros, & cõspice sanguinẽ effusum, mẽbra lacera, & hinc inde disiecta in escam vulturum, canum, luporum, & vulpium terræ misera eorũ cadauera, &c. Sic omnia comparata fuerunt ad affligendum animũ viri iusti. Nam (vt de amissis mille bobus, & asinis taceam) seruos suos, quasi proximos, fratres, conseruos, & filios suos diligebat: ac iccirco grauissimam afflictionem, ex 1. in Iob.

eorum indigniſſima cæde percepit. Sunt namq; ſanctiſſima & grauiſſima Dei omnipotentis in fauorem Seruorum oracula, veluti:
Eccli. 33. *Si est tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: & quaſi fratrem, ſic eum tracta.* Et in lege, vult Deus
Exod. 20. eos diebus ſabbatorum à laboribus quieſcere, vt eum liberiùs colant, & ſaluti ſuę conſulant;
Leuit. 19. Rurſumq; districtè præcipit, vt Heri ſeruis
Deut. 24. ſuis mercedem pro laboribus iuſtam rependant, aliàs vindictam in cælum clamabit. Ibi-
Exod. 21. dem: percutiens ſeruum ad necem, reus mor-
Exod. 22. tis dicitur. Seruus quoq; Hebræus anno ſeptimo liber egrediebatur. Sed & in nouo Teſtamento, in gratiam illorum ſcribitur ab Apoſtolo: *Domini, quod iuſtum eſt, præſtate Seruis, quoniã & ipſi Dominũ habetis in cælo.* Rurſumque:
Coloſſ. 4. Gal. 3. *In Chriſto non eſt ſeruus, nec liber, &c.*

Sed quo duce, bellum tam atrox in ſancti Iob facultates famuloſque geritur? Satana pro certo incitante, imperante, ac ducente, Sabæi aduerſus Iuſtũ arma capeſſunt, irruunt, rapiũt, prædãtur, occidunt. Idem inquã Satanas, ſub cuius ſignis militãt omnes latrones, ſacrilegi, raptores, homicidæ, & iniuſta cientes bella.
Gen. 10. Idem rurſum, qui Nemrod reddidit tam robuſtum venatorem corã Domino, id eſt, tantã exercere in homines ætatis ſuæ tyrannidẽ, vt, nec Deũ reueritus fuerit. Idẽ, qui Pharaones incitauit filios Iſrael ſupra quadringentos
Exod. 1. annos tam crudeliter opprimere, vt & paruulos eorum in ipſo partu necari iuberent. Idem qui Nabuchodonoſori, Holoferni, Sen-

nacheribo, Antiocho, Alexandro, Pompeio, Cæſari, ac reliquis impijs tyrannis perſuaſit infeſtis exercitibus vt liberos homines libidini ſuæ ſubijcerent, ſpoliarent, miſeraque ſeruitute oppreſſos tenerent. Idem denique qui intrauit in cor Iudæ Iſchariotis, & incitauit eũ, vt pijſſimum Præceptorem traderet Iudæis: hoſque permouit, vt eum omni diritate cruciatum & afflictum in crucem agerent, &c. Animis igitur ſecum recogitent milites, duces, & principes, dum rapinis, gladijs, tormentis, incendijs in populos graſſantur, quo ſuaſore & imperatore iſtud faciant. Non abs re etiam ab Ethnicis dictum: Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequutur. *Io. 13.* *Luc. 22.*

Grauiſſimè autem peccauerunt hi Sabæj, occidendo tot innocentes, ſeruos, agricolas, & agaſones, qui eos nulla in re offenderant, nec de illis vel tantillum cogitabant. Deinde, rapientes ſibi tantas Iobi facultates, in quas nullum ius eis erat. Denique, etiam in pauperes innumeros, qui his bonis nutriebantur. Etenim vel ſola naturæ lege illos didiciſſe oportebat, Non faciendum alijs, quod ſibi fieri nolebant. Peccauerunt & contra iſtas Dei leges: *Non furtum facies, Non concupiſces rem proximi tui.* Et poſtea: *Qui furatus fuerit bouem, quinque boues reſtituet: & qui ouem, quatuor oues.* Sed & ſub Euangelio omne genus furti & rapinæ ſatis damnatur, cum exemplo Zachæi reſtitutio alieni boni, per vim vel fraudẽ rapti ad ſalutem properanti ſatis indicitur. *Exod. 20.* *Exod. 22.* *Luc. 19.*

Paulus quoque prædicat, Neque fures, neq;
1. Cor. 6. raptores regnum Dei petituros. Augustinus
Epist. 17. ad hæc scribit: Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quinetiam addit in alio
Serm. 21. de verb. Aposto-li. loco: Quod inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. Ante hunc quoque Adamantius Origenes
Hom. 3. in Leuit. eorum sententiam confutauerat, qui putant alienas res à se fortuitò repertas & inuentas, suas esse, dicentes: Deus mihi dedit. Discant (inquit) peccatum esse rapinæ si quis inuenta non reddat.


In omnem etiam Legem deliquerunt, tot innocentum cędibus seipsos commaculantes. Si sanguis vnius Abel clamabat ad Deum de
Gen. 4. terra, quantomagis quingentorum agricolarum, & aliquot agasonum? Mox quoque post Diluuium dictum est à Domino: *Qui fuderit*
Gen. 9. *sanguinem humanum fundetur sanguis eius.* Et in
Matth. 26. Euangelio: *Qui gladio percusserit, gladio peribit.*

Hinc denique discimus, opibus terrenis nec superbiendum, nec fidendum esse, cùm illarũ possessio tam fallax sit & incerta. Ergo à psal-
Ps. 61. mista iure docemur: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et à beato Apostolo monetur Timotheus: *Diuitibus huius sæculi præcipe non subli-*
1. Timo. 6. *me sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, &c.* Supplices rogemus eum &c.

HOMIL. QVARTADECIMA.

16. *Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerosque consumpsit, & effugi ego solus vt nunciarem tibi.*

17. *Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerũt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nunciarem tibi.*



Acris Diuinisq; Biblijs refertur, flãmas de cælo in terras aliquoties descendisse: sed nunquã in detrimentũ damnum-ve piorum hominum, præter hunc beati Iob historiæ locum, quo scribitur, septem millia ouium eius, & pastores earum, ijs miserabiliter deflagrasse. Dominus respexit ad Abel, & ad munera eius, id est, externa flãmarum cælestium immissione, (vt est Hebræorũ, & sancti Ephræm Syri constans sententia,) oblationes eius & holocausta absumendo manifestasse, sibi grata & accepta esse. Vnde Apostolus ait: Eum testimonium habuisse, quòd

Gen. 4.

Tractatu de sacerdotio.

Heb. 11.

placerent Deo. In dedicatione templi, coram
2. Paralip. 7. Salomone, ac vniuerſo Iſraele, flammæ cęlitus
3. Reg. 18. delapſæ, conſumpſerunt holocauſta. Ad pre-
4. Reg. 1. ces Eliæ, ignis de cælo nunc conſumit bo-
uem: mox duos Ochoziæ Quinquagenarios
impios. Nehemias inſtaurans templum, im-
petrauit, vt ignis cæleſtis holocauſta, altari
impoſita, palam deuoraret.

2. Mach. 1. Atque hæ quatuor cæleſtium ignium de-
miſſiones nullis Sanctis obfuerunt, imò verò
de Diuina erga illos beneuolentia & gratia,
palã ſunt teſtificata. Nunc totidem addamus,
quæ publica contra impios cæleſtis iræ ac vl-
Gen. 19. tionis fuerunt teſtimonia. Pluit Dominus
ignem & ſulphur in quatuor ciuitates, & ab-
Leuit. 10. ſumpſit omnia, eò quòd peſſimi homines eſ-
3. Reg. 13. ſent. Nadab & Abiu aſſumentes ignem pro-
Apoc. 13. fanum, ab igne diuino perimuntur. Ignis
deſurſum, militum Duces occidit. Antichri-
ſtus ignem faciet deſcendere de cælo, ſed vt
inconſtantes ſeducat & perdat animas.

Mirabile igitur ac ſtupendum eſt, quod nũc
dicitur, ignem è cælo deſcendiſſe, & tactas ſe-
pties mille oues, puerosq́; Iobi viri ſimplicis,
Iob. 31. recti, & timẽtis Deũ, conſumpſiſſe. Quid? Nõ-
ne, velleribus ouiũ ſuarum calefaciebat hume-
ros pauperum? Ecquis vſus earum melior aut
Gen. 4. ſanctior? An non quoque puerorum ac paſto-
rum ouium opus laudabile? Siquidem beatus
Abel paſtor fuerat ouium. Moſes paſcebat
Exod. 4. oues Iethro ſoceri ſui in deſerto. Iacob, Io-
ſeph, Dauid, paſtores fuerunt ouium, & Deo
grati.

grati. An non ergo crudele, barbarum, ac immane fuit, paſtores tam pios ac ſedulos, vnà cum tantis gregibus, cæleſtibus flammis abſumi? Reſpondeo. Si Dei conſilium, quo ſancti huius Viri fidem, ſpem, patientiam probatam, toti orbi manifeſtam, & maiori honore & gloria in cælis coronatam eſſe volebat, fida mente ſpectauerimus; iuſtiſſimum & ſanctiſſimum eſt. Sin verò Satanæ peruerſum & malignum ſtudium nempe vt ille ad-blaſphemandum adigeretur, nihil peius, iniuſtius, damnabilius. Sic itaque veriſſimum & clariſſimum eſſe videmus, quod per Prophetam ſuum ait Dominus: *Non ſunt viæ meæ, viæ veſtræ: neque cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: ſed ſicut exaltantur cæli à terra. &c cetera.* Si tantum diſtant conſilia eius à conſiliis hominum, quantomagis à prauis conſiliis dæmonum? *Iſa. 55.*

Verùm, quid reſponderit beatus Iob priori Nuncio, quidque nunciauerit ei ſecundus iſte, iam diſcutiamus. Cùm itaque tam peculij depredationem atque Narrantis lamentationem, audiſſet Iob, ait Origenes, ne quidquã indignum fecit aut dixit: ſed patienter ſuſtinuit, blandeque reſpondit Quid lamentaris, ô homo? Diuitiarum poſſeſſio ita ſemper eſt vertibilis, vt hodie ſit hîc, craſtina verò alibi, præſertim quia inimici prædati ſunt, iniuſti diripuerunt. Ego vt inimicos acquirerem non geſſi; ſine illos poſſidere hæc cum iniquitate, nobis verò dabit Deus alia ſine pecca- *l.1.in Iob.*

to. Cùm audiret autem nequiſſimus Diabolus liqueſcebat intra ſemetipſum, & dicebat: Inſipienter feci, vt prædones annunciarem, abſolui à Deo hanc culpam. Meipſum circumueni, conuertam nunc ſermonem ad cæleſtia, & in Dei blaſphemiam. Alium ergo Nuncium mittit ad Iob, d. *Ignis de cælo. & cetera.* Non eſt inquit, vt arbitraris, ô Iob, quod ex hominibus ſint tibi inſidiæ, hic incurſus ex Deo eſt, de cælis eſt. *Ignis deſcendit de cælo*, & combuſſit oues, & pueros similiter. Quemadmodum in Sodomam & Gomorrham olim, ita & nunc ab illo qui ſic ignem pluit. Ab hoc ipſo inquam, *ignis deſcendit* in ouium & puerorum tuorum perditionem. Eiuſdem Dei ſuper te ira ſic effuſa eſt, vt nullæ ſuperſint gregum tuorum reliquiæ. *Ignis Dei*, id eſt, ingens, horribilis, adeóque terribilis, vt nihil ei reſiſtere poſſit, nullus effugere valeat. *Ignis à Deo* illo immiſſus, quem ſtudioſè colis, quem times, & à quo omnia bona ſperas. Ille, illę cælum, ignem, aerem, terram, homines, in tuam ruinam concitat. Quid ſupereſt, niſi vt in tuum caput ſua fulgura contorqueat? Ille, ille inquam, ignes ſuos non detorſit in ſyluas, in petras, in montes: Non in Sabæoș latrones, raptores, infideles: ſed rectà oues & paſtores tuos petiuit, deuorauit, conſumpſit. O te miſerum Iob! O miſeros ſocios meos!

Gen. 16.

Hic in primis obſeruandum, magnum & impudens Satanæ mendacium, & notan-

da verè diabolica calumnia. Cùm enim idem ipſe ignem æthereum accendiſſet, decuſſiſſet, occidiſſet: Deo ipſi tribuit, Deum accuſat, Deum omnium malorum authorem confingit, vt pius Iob ab eo deficiat, eundemque maledictis & blaſphemiis inceſſat. Mentiris ô diabole, ignis non à Deo miſſus eſt: ſed tua iniquitate ſuccenſus, innocentes oues & paſtores exuſſit, vt ſanctum virum ad malè dicendum de Deo prouocares. Rectè ergo dicitur *mendax & homicida ab initio, & pater mendacij.* Mentitur adhuc quotidie in ore cunctorum pſeudoprophetarum, pſeudoapoſtolorum, prædicantum, hæreticorum, magorum, ſagarum, falſorum teſtium, impoſtorum: ſicut olim per Serpẽtem, vt obſeruant Irenæus martyr, & poſt hunc B. Auguſtinus.

Io. 8. *Gen. 3.* *3. Reg. 22.* *Præfat. in lib. 4.* *L. 2. de Gen. cõtr. Manich. c. 25. 26. 27.*

Adhæc, etiam obſeruandum omnes cælos, ſtellas, elementa, & metheoricas impreſſiones, ac ſuperiorum corporum influentias, non Diabolorum nutibus; ſed Diuinæ ſubeſſe prouidentiæ ac diſpoſitioni. Illis non poteſt dæmon abuti, aut magi: niſi in quantum permiſerit Dominus iudicio ſuo, occulto quidem, ſemper tamen iuſto. Nequaquam igitur timenda ſunt fulgura, tonitrua, venti, procellæ, tempeſtates, imò nec dæmones: ſed ſolus Deus, qui ſolus vniuerſis rebus præſidet. *Facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem.*

Pſ. 201. *Pſal. 148.*

Ignis, grando, nix, glacies, faciunt verbum eius, fulgura ſæpe percutiunt montem, rupem, arborem: non latronem ſub iis latentem, vt diſcat latro quid ſibi debeatur.
Pſ.104. *Producit ventos de theſauris ſuis.* Satanas quidem multa & horrenda poteſt, vt patet in Magis Pharaonis, in Marco hæretico, in
Exod. 4.5.6. Antichriſto. & cetera. ſed cùm facultatem ac-
Iren.l.1.c.9. ceperit à Domino, velut etiam hoc loco deſ-
Clem.3.recognit. cribitur.
Hippolyt.

Beatus autem Iob, quid reſponderit, & quomodo furoris Satanici ſecundam comminuerit ſagittam, his verbis exponit Origenes: Si eſt verum, quod ignis venerit è cælo & omnes greges meos conſumpſit, gratias illi ago, qui hos in acceptabile ſuſcepit holocauſtum. Nam quod ego per ſingula tempora oblaturus eram, hæc elegit Deus & in vno ſuſcepit holocauſto. Et quis me beatior ſub cælo? Ante paululum iuga boum vniuerſa protinus mihi mactata: nunc greges ouium immolaui: Et hæc
Pſ.33. Deo eligente obtuli. & cetera. *Benedicam igitur*
Pſ.102. *Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Mira certè, veraque patientia, quoniam in grauiſſimis calamitatibus conſtans atque perſeuerans.
Matth.10. *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Nunc è contrario, quàm molles, quamque impatientes ſint filij hominum, cùm vel ad primam, eamque leuem fortunarum iacturam, lamentantur, queruntur

ac sæpe in cælum aperiunt os suum. & cetera.

Sed iam tertium Satanæ impetum propulsantem Iobum intueamur. Secundo igitur Nũcio adhuc loquente, accedit tertius, dicens: *Chaldæi fecerunt tres turmas, &c.* Iam à ianua domus beati viri, lamentabiliter vociferatur anhelans fictus iste seruus, O te omnium hominum pauperrimum & calamitosissimũ Iob, qui tot habeas hostes, quot vicinos. Irruerunt in asinas, boues, & agricolas tuos à dextris Sabæi; descenderunt ignes desuper: vastarunt camelos Chaldæi à sinistris: quotquot infernè sunt dæmones tibi plusquam hostiliter aduersantur: illis fauet Deus: tibi verò repugnat. Quid in posterum facies? Quò te vertes?

Chaldæi porrò Asiæ maioris populi, *Ezech. 12.* apud quos Babylon & Niniue, vel ex sacris Bibliis notissimi, viri fortes, feroces, & *Habac. 1.* bellicosi, à temporibus Abrahæ semper Israelitis fuerunt infesti: Ipsum namque ob vnius veri Dei prædicationem (vt scribit Iosephus) grauiter sunt persequuti. *L. 1. antiquit.* Deinde, Iudæam sæpius vastatam, tributariam sibi fecerunt, sacram Ierosolymam denique expugnatam, vastatam, & templum exustum populo in durissimam seruitutem abacto, desolatam reliquerunt. Horum itaque Maiores, à sancto Iob nulla in re offenso, duce & instigatore Satana, in tres equitum turmas diuisi (vt nullus euadere posset)

tria millia Camelorum illius quibus mercaturam toto oriente exercebat, circumdant, inuoluunt, abripiunt, custodibus vniuersis priùs occisione deletis. Quibus conspicimus, Satanam sub signis suis militantes habere precipuas huius mundi nationes, summosque Monarchas ministros & satellites, & horum viribus abuti & armis, vt orbem totum perturbet, pios autem præsertim ac Dei seruos vexet, spoliet, pessundet. Infelicissima certè conditio.
Isa. 10. Ita Pharaones quadringentis annis Israelem oppresserunt: postea, aliquot Ptolomæi. De Nabuchodonosore potentissimo orientis imperatore dicit Dominus: *Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea.* Attila Gothorum rex, cognominatus est, *Flagellum Dei*: quod cognomen postea quoque Tamburlano magno datum est. Quis negabit Turcam, Persam, Tartarum, Maurum, & quemuis Principem hæreticum, huiusmodi adhuc flagellum esse? Rogemus Deum, vt nobis emendatis istiusmodi flagella & virgas mittat in ignem.

Ne concidat tamen animus cuiusquam, quasi similium Tyrannorum violentia & arte, posset tandem Ecclesia Christi catholica è terris deficere, & populus Deo vero credens & adhærens funditus euerti ac perdi; quandoquidem Christus qui eam collegit & sanctificauit, Spiritus sanctus qui ei præsidet, & Pater qui eam regit & custodit, omnibus

& terræ & inferorum viribus longè fortiores sunt. *Portæ inferi non præualebunt ei. Potestas eius potestas æterna, & regnum quod non corrumpetur. Regni eius non erit finis.* Sennacherib Ierusalem cum 185 infidelibus obsidēs oleum operamque perdidit. Holofernes Bethuliam ad summas quidem angustias, & ad desperationem prope perducens, tandem & caput & exercitum amisit. Decem primi Cæsares totius orientis ac occidentis, quibus imperabant, vires & arma aduersus Christum & Christianos conuerterunt plusquam trecentis annis, vt horum memoriam delerent: sed frustra, Sæpe expugnauerunt eos à iuuente sua, supra dorsum eorum fabricauerunt: sed non potuerunt eis præualere.

Matth. 16. *Dan. 7.* *Luc. 1.* *4. Reg. 16. & 19.* *Iudith. 13 & 14.* *Euseb.* *Niceph.* *Ps. 128.*

In eo quod nuncius tertius persequitur, *inuaserunt camelos, tulerunt eos, & ego fugi solus. & cetera.* obseruandum quoque, verissimum esse vetus prouerbium, quo dicitur vulgo, Nullam calamitatem & aduersitatem vnquam esse solam. Nam cùm Deo visum est, aliquem seriò excitare, exercere, atque probare, is instar præceptoris optimi facit, qui non contentus vno ictu disciplinæ, tertio, quarto, & quinto discipulum percutit, vt ex animo melioribus studiis inuigilet. Rursus, vt in mari fluctus alium fluctum trudit, & secundus tertium, tertius quoque quartum impellit, & sic ordine tunduntur latera nauium: sic iustum & pium

hominem exercet, probatque, vt excitatus à somno & stupore suo, hunc mundum & omnia quæ in eo sunt serio despiciat, & feruentiùs suspiret, adspiret, & anhelet ad
Ps. 22. bona cælestia. *Virga tua & baculus tuus*, aiebat Dauid, *ipsa me consolata sunt. Bonum*
Ps. 118. *mihi, quia humiliasti me, & cetera.* Permittit itaque altissimo consilio suo Deus vt non solis bobus, ac ouibus spolietur hic Iustus: sed vt etiam camelis, seruis, imò & filijs & filiabus priuetur, vt nihil in mundo supersit ei, in quo habeat fiduciam.

Enimuerò, ea est veræ tentationis natura & probationis Diuinæ conditio, vt nihil spei, nihil consolationis, nihil auxilij in rebus humanis relinquat, vniuersa carnis asyla ex oculis abstrahat: vt ad solum Deum oculos suos, mentem, spemq; homo conuertat atq; defigat. Abripit Dominus à piis seruis suis quod ante donauerat, ne assuescant potius in dona, quàm in donatorem confidere. Abrahæ donatus erat filius vnicus & dilectis-
Gen. 22. simus: iubet Deus vt immoletur, non quia
Heb. 11. odore immolati hominis gaudeat; sed vt Abrahæ fides & obedientia probaretur, & in exemplum omnium publicaretur: & spem suam non in dato, sed in datore collocaret. Israëlitis egredientibus de Ægypto, aufertur omne auxilium humanum, periculũ omni ex parte obiicitur, à fronte horrisonum
Exod. 12. 13. 14. mare, à tergo hostis ferus & immanis erat,

à dextris & à sinistris montes inaccessi. Quid superest, nisi vt Moses eorum dux tota nocte suspiret ad Dominum? Sic piissimus Rex Iosaphat, ab hostibus plurimis & fortissimis obsessus clamat ad Deum: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Ne glorietur igitur sapiens in sapientia, non fortis in fortitudine, sed qui gloriatur, in hoc glorietur, nosse me, ait Dominus. Ablatis bobus poterat Iob confidere in gregibus ouium: his ablatis, quòd per camelos acceptum damnum resarciret: sed & hos permisit Dominus auferri, &c. vt discat in eum solum confidere & gloriari.

2. Paral. 20.
Ierem. 9.
1. Cor. 7.

Origenes, tres turmas, quas tria cornua Chaldæorum appellat, existimat potius ex cacodæmonibus in hominum formas transformatis, conflatas fuisse, quàm ex veris hominibus; & aliquot mysteria per istas nobis significari. Primum, quòd tres præcipuas virtutes ab eo suffurari & prædari nitebantur. Nimirum Fidem, quam ad Dei cultum habebat: hinc Spem æternæ liberationis & cælestis refrigerij: inde, Caritatem in Deum ac proximum, qua nihil est maius, nihil ad iustitiam & salutem magis necessarium. Hinc, tria cornua fecerunt, quia cum eo iam tertio congrediebantur: semel quando boues rapuerunt & asinas: iterum, cùm oues & pastores ignibus absumpserunt: nunc verò camelos adducentes. Adhuc tria cornua fecerunt hi, qui ab Adamo ad diluuium, ab hoc vsque ad Chri-

L. 1. in Iob.

ſtum, & deinde vſque in finem & reſurrectionem, aduerſus legem, Prophetas, & Apoſtolos dimicauerunt. Aduerſus legem ſanè per idololatriam iniquorum: aduerſus veros prophetas, per pſeudoprophetas: item aduerſus Apoſtolos per falſos apoſtolos ac hæreticos.

Atque his tribus cornibus aduerſus Iob, & omnes Dei ſeruos, nequiſſimus Satan dimicauit prioribus temporibus: nouiſſimis autem aduerſus Eccleſiam non tantum tribus, ſed innumeris ſectarum, hæreſeon, & ſchiſmatum, inceſſanter dimicat. Sed quemadmodum tūc confuſione ſuperatus nihil præualuit aduerſus Iob, ſic & nunc multis modis non præualens
2. Tim. 2. verè credentibus, reuocatur cōfuſus. Firmum
Matth. 16. enim Dei firmamentum ſtabit, aduerſus Ec-
Luc. 22. cleſiam, portæ inferorum, id eſt, diuerſæ ſectæ atque hæreſes infidelium, quæ ad portas inferorum deducunt ſuos ſectatores, nunquā præualebunt. Iſti ſunt ianuæ mortis, & viæ inferni: Iſti ſunt qui à veritate plurimos auertunt: Iſti ſunt miniſtri maligni diaboli, trāſ-
1. Tim. 4. formati atque nuncij in quibus nihil veritatis.
2. Cor. 11. Iſti ſunt cæci & duces cæcorum. Iſti ſunt nu-
2. Petr. 2. bes ſine aqua, quæ à ventis circunferuntur,
Iud. v. 12. arbores infructuoſæ, fluctus feri maris, ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum, &c. Iſtos fugiamus, & infidelitatem, atque errorem qui in eis eſt, velut flammam ignis declinemus, ne cum illis flammæ inextinguibili, in die furoris Domini mancipemur. Da nobis Domine, veræ fidei, ſpei

& caritatis augmentum, &c.

HOMILIA QVINTA DECIMA.

18. *Adhuc loquebatur ille, & ecce a-*
lius intrauit, & dixit: Filiis tuis, &
filiabus vescẽtibus & bibẽtibus vi-
num in domo fratris sui primogeni-
19. *ti, repentè ventus vehemens irruit*
à regione deserti, & cõcussit quatuor
angulos domus, quæ corruens op-
pressit liberos tuos, & mortui sunt:
& effugi ego solus vt nunciarem
tibi.

TAntum est Satanæ ac omnium ministrorum & satellitum eius in vniuersos homines odium, & tanta in eos quos semel (Deo permittente) vexandos susceperint, crudelitas atque rabies, vt nulla vnquam eorum calamitate vel afflictione satientur. Primum exemplum à Saüle, primo Hebræorum Rege desumamus, qui propter peccata sua, inuasus à spiritu Dei malo 1. Reg. 18. 28. 29.

(vt Scriptura loquitur) furit audacia, & ſcelus anhelans Dauidem ſanctiſſimum vatem Dei, & optimè tam de ſeipſo quàm de toto Iſraele meritum, ſemel & iterum niſus eſt lancea perfodere cum pariete. Sed neque eum agitare Satanas deſiit, donec & Pythoniſſam conſuleret, & ſeipſum proprio mucrone deſperãs tranſuerberaret. Aliud exemplum capiamus ex libro Tobiæ. Aſmodæus, id eſt, vaſtator &
Tob. 3. 6. 8. apoſtata, dæmonium peſſimum, accepta in primum virum Saræ filiæ Raguelis poteſtate, in eam familiam tãta ſæuitia & immanitate poſtea graſſatus eſt, vt non ſolùm primum, ſed & ſecundum, & tertium, & quartum, & quintum, & ſextum, adhuc autem & ſeptimum eius virum, prima nuptiarum nocte crudeliter
Tob. 8. occidit, tantumdem de iuniore Tobia, (qui ci octauo ordine datus eſt maritus) facturus, niſi à ſancto Raphaële angelo prohibitus fuiſſet. In Euangelio quoque ſcribitur, dæmonem à ſe poſſeſſum hominem miſerum reddidiſſe amentem, mutum, ſurdum, & cæcum: adeò
Matth. 8. vt Chriſtus in huius curatione, quatuor ſimul miracula ediderit. Sed præ cæteris horrendum tyrannidis Satanicæ ſpectaculum habemus in illo miſerrimo, quem non ſinebat Diabolus
Mar. 5. in domibus habitare, ſed in montibus, aut ſe-
Luc. 8. pulchris mortuorum, & lapidibus ſeipſum concidere, vincula & compedes comminuere, tranſeunteſque perimere faciebat. Et mu-
Matth. 15. lier Chananæa non iniuria conqueritur, quòd
Mar. 7. filia ſua malè miſereq; à dæmonio vexaretur,

Atque hæc quidem mira Satanicę inhumanitatis & insatiabilis crudelitatis exempla: sed ferocitas & sæuitia, qua in Iobi facultates bacchatus est, reliqua omnia longè lateque exsuperat. Non enim satis ei fuit iustum illum coram Deo accusasse, bobus & asinis spoliasse, greges ouium vnà cum pastoribus ignibus cælestibus absumpsisse, denique camelos per Caldæos abegisse, & seruos ferè omnes occisione occidisse: nisi & carissimos eius liberos vniuersos dira morte necaret, penitus deleret. Omnes quidem Dæmones pariter aduersum Iob dimicabant, omnes contra stabāt & pugnabant, solus autem Satan, qui est iniquitate maximus, præsens Iob erat (inquit Origenes) sollicitè obseruās, quando blasphemiæ sermonem ex iusti illius ore potuisset audire. Et quantomagis torquebatur Iob, corde lamentabilia nuncia subinde audiendo, tanto plus cruciabatur Diabolus, ea quæ desiderabat, ab eo non audiendo.] Nam secum cogitabat. Quis ego? Quis verò iste Iob? Ego angelus, ego princeps inferorum & tenebrarum. Ego rex super omnes filios superbiæ. Ego princeps huius mundi, & deus huius sæculi. Ego tertiam partem angelorum seduxi. Et non potero istum vermiculum terræ prosternere? Solusne inuitus à me gloriabitur? Agedum, in liberos eius omnem malitiam & rabiem meam explebo. Et si primum, secundum, & tertium impetum meum fregerit: non poterit certè huic quarto & nouissimo resistere. Stat qui-

L. 1 in Iob.

Eph. 6.
Iob. 41.
Io. 12.
2. Cor. 4.
Apoc. 12.

dem adhuc inuictus, adhuc permanet in innocentia sua, adhuc in Deum credit, sperat, eundemque confitetur, inuocat, adorat. Boues & oues ablatos sacrificium reputat, perditos camelos & internecione deletos seruos fert patienter; miserabilem omnium filiorum & filiarum mortem (confido) æquo animo ferre non poterit. Ventos igitur omnes nunc nunc concitabo, & horribili tempestate domū in qua epulantur, tanta procella concutiā, in eorum capita à fundamentis euertam, vt nullus omnino fugæ locus alicui supersit. Hæc cùm tractat nequissimus, atque apud semetipsum loquitur, confestim ea adimpleuit. Dictū, factum puta. Et ne respiraret, adest simulatus Nuncius, qui omnia tragicè narrat, & artificiosissimè exaggerat. Vix ergo finem dicendi tertius faciebat, & iste lamentabili voce clamat: O Iob, peristi miser, omnia conclamata sunt. Horresco referens, vox facibus hæret. *Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum, &c.*

In his primum aduertite, Carissimi, quantæ sunt vires Diaboli, qui suæ potestati permissus, potest cruenta ciere bella, prædones excitare & homicidas, ignes cælestes demittere, fulgura, tempestates, atque ventorum procel-
Exod. 5. 6. las in domos & turres decutere, subuertere, &
7. 8. 9. incolas miserandum in modum lacerare & op-
Ps. 77. primere. An non planè horribiles decem plagæ Ægyptiorū, & omnes immissæ per angelos
Matth. 8. malos? Quid, quod permissi intrare in greges

porcorum, vt Christum Gerasenis exosum redderent, illos omnes præcipites dederunt in mare? Vt intrauit in cor Iudæ Ischariotis, vsq; eo induxit illum, vt piissimum præceptorem Deum hominem traderet, desperaret, spontaneo laqueo miseram vitam finiret. Neque ista dixerim, vt eum timeamus, nihil omnino potest, nisi permissus: sed vt Deum amemus & inuocemus, vt nos ab insidiis & tyrannide illius liberet & seruet toto mentis affectu frequenterque dicētes, Libera nos à malo. Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.

Io. 13.
Luc. 22.
Matth. 26.
Act. 1.
Matth. 6.

Considerate quoque varias fraudes eiusdem Satanæ. Ne vlla consolatione iam conceptas animo angustias ac ægritudines soletur Iob importunus hostis quartum submittit nuncium, qui nuncianti mala, iubiungat pessima. In modum vehementium aquarum irruentium, diuersis miseriis Iusti animam inundare & asorbere nequissimus properabat. *Filij tui & filiæ*, id est, decem illi liberi tui, inquit, quos genuisti, educasti, docuisti, Filij pro quibus laborasti, vigilasti, toties sacrificasti: Filij tui, quos sperabas tot bonorum futuros hæredes. Filij, à quibus expectabas in senectute foueri, & mortuum sepeliri. Filij & filiæ tuæ omnes, ne excepto quidem vnico, non honesta vel naturali quadam morte sed horrenda, infami & violenta finem vitæ acceperunt. Domus autem primogeniti, est eis sepulchrum: conuiuium, mors: sanguis eorum mixtus cum vino: carnes, cum epulis: mem-

bra lacera,cum trignis & trabibus:capita cum cemento & lapidibus permixta & disiecta. Procella venti non irruit ab ortu vel occasu, vt assolet, sed à regione deserti, vnde non solebat; quatuor simul domus partes complexa, concussa, & funditus in filios tuos euersa est. Et hæc eadem tempestas alienas aliorum ædes ne attigit quidem, sed intactas reliquit, vt domum primogeniti tui, in qua alij omnes cum sororibus læti edebant & bibebant, euerteret, & vniuersos opprimeret.

An non plurimi huius ætatis viri, similibus nunciis & calamitatibus afflicti, prosternerentur, deficerent animis, blasphemarent? In has contumeliosas voces erumpererent: Quid contra Deum feci, vt in hunc modum me affligat? Si iustus est, quare in me innocentem tot aduersorum tela contorquet? Cur non potius in istos vel in alios impios isthæc immittit? Si est omnipotens, omnisciens, bonus & clemens, cur non seruos suos à tantis seruat incōmodis? Quomodo coporib⁹ & animis nos saluabit in cælis, quos in terris tam duriter excruciat? Quare non simul parentes perimit tollitque cum liberis? Minore profectò de caussa Saul seipsū occidit gladio. Achitophel seipsum suspendit. Referunt Ethnici Catonem Vticensem, Portiam, Lucretiam, Hannibalem, innumeros alios propriis manibus vitam sibi eripuisse, ob casus nec tam aduersos, nec tam graues. Atque hæc quidem impij ac reprobi faciunt. Pij autem agnoscunt se vel pro-
pter

1.Reg. 31.

pter peccatum originis ſolum, dignos eſſe vtraque morte, nedum iſtis mundi & carnis afflictionibus. Quanto magis pro tot tantiſq; delictis venialibus, & læthalibus, quibus ſempiterna & infernalia debentur ſupplicia. Quid eſt homo compoſitus Deo? Reſpondet Auguſtinus; Cadauer putridum, eſca vermium vas fœtidum, cibus ignium.] Poteritne vas figuli cum ſuo factore diſputando quærere, *Quid me feciſti ſic?* Præſtat ergo demiſſo capite & animo, cum Pſalte in omnibus aduerſis dicere: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo*. Et cum aliis: *Omnia quæ feciſti nobis, in vero iudicio feciſti, quia peccauimus tibi.* Denique exemplar nobis in beato Iob propoſitum imitari, dicendo: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum. Etiam ſi occiderit me, ſperabo in eum. &c.*

Iob. 9. *Soliloq.c.2.* *Rom. 9.* Pſ.118. Pſ. 142. *Dan.3.&9.*

Cur addidit etiam, filias mortuas eſſe? Filiæ (ait) caſtæ, mundæ, ſobriæ: & reipſa prudentes virgines, quas in tempore nuptiarum glorioſis coronis redimire ſperabas, & à quibus honeſtos generos ac nepotes expectabas; illæ, illæ inquam, eadem cum fratribus ruina oppreſſæ iacent. Hæc autem adiecit nequiſſimus, vt non tantùm patris, ſed ſimul etiam matris (ſolent autem matres quodam teneriore affectu in amorem ſui ſexus filiarum inclinari) animũ in clamores, muliebres eiulatus, voceſque blaſphemas incitaret. Attẽdite etiam quod non dicat ſimpliciter, *Mortui*

sunt, ſed cuncta numerat, omnia denotat, & filios, & filias, & cibum, & potum, & domum, & fratrem, & filium primogenitum, quo magis affligat animam Iuſti, & lancinet cor eius, ad quem verba facit. Si ſolos filios nominaſſet, & filias non æſtimaſſet, quod in ſuperſtitibus filiabus ſe pater conſolaturus eſſet. Cæteraque omnia ſigillatim denunciat, vt magis animam ſancti viri perturbet, & ad cõtumelioſas in Deum voces impellat. Perpendite ergo quàm in tentando mortales vafer, veterator & malitioſus ſit hic hoſtis noſter: & ab eius inſidiis ſollicitè cauete. An non tẽtans Heuam imò & Chriſtum, amicum ſe eorum, & bonorum authorem ſimulabat? Dicebat e-

Gen. 3. nim: *Eritis ſicut dij. Hæc omnia tibi dabo, &c.*

Matth. 4. Multos etiam nunc turpiter fallit pollicitis honoribus, voluptatibus, pecuniis & opibus, &c. Nihil autem penitus boni expe-

L. 5. c. 22. & 23. ctandum eſſe à Diabolo multis contendit beatus martyr Irenæus, quoniam mendax eſt & homicida ab initio, in veritate non ſtetit, aſſuetus eſt ad ſeductionem hominum, non eſt creator, non largitor bonorum: ſed omnium miſerrima & damnatiſſima creatura.

Doloſè autem ſimul & malitioſè ſtudet imponere ſanctiſſimo Deo noſtro, quòd videlicet ventum ipſe immiſerit, domum euerterit, & liberos beati Iob oppreſſerit & occiderit: cùm tamen horum malorum inuentor & author idem ipſe Satanas fuerit. *Tetigit* (inquit)

quatuor angulos domus, & cecidit super filios tuos, & mortui sunt. Quis ergo, ait, est mortis eorum reus, ô Iob? Nonne qui ventum produxit, & adduxit? Aut quis ouium tuarum combustor, & pastorum incendiarius, nisi qui ignem de cælo misit? Et tu adhuc illum honoras, inuocas, adoras, miser! Os tuum potius in cælum aperi, teipsum de acceptis ab eo damnis tam magnis, pro viribus vlcisce. Lacesse iniuriis, contumeliis affice, & quando nihil deterius potes, conspue in cælum, quod est thronus eius. Teipsum in despectum eius interime. Huiusmodi pro certo errant Satanæ iacula, quibus cor sancti viri perfodere; tales arietes & machinæ, quibus istam turrim quatere, diruere & prosternere nitebatur. Sic enim consilium satanæ sequuti, fecerunt Iudas proditor, vterque Herodes, Annas, Caiphas, Pilatus, Iulianus, Diocletianus, Maximinus, & aliquot alii virtute Christi desperati, fractique tyranni. *Matth. 26. Eusebius, Nicephor.*

In iis verò, quibus nititur Satan Deum suspectum reddere, & traducere, quasi peccatorum & omnium malorum authorem ac reum esse, hoc sæculo ægregium discipulũ habuit Ioannem Caluinum, & eiusdem blasphemiæ assertores, prædicantes & ministros eius. Hi enim & scriptis & concionibus suis eosdem atheismos seminant, adfirmant, acerimè propugnant, veluti propriis eo-

rum ſcriptis euicimus, ſimul & copioſè refutauimus, Theomachiæ libro 2. cap.8.9.10.11. 12. Sola namque Dei permiſſione, ſola conceſſione, Satanæ impetrauit, fecit, patrauit malignitas & inſatiabilis nocendi rabies.

Hic rurſum aduertite ex mortibus filiorum ſancti Iob, mortis hominum conditiones atque circunſtantias nobis occultas & incertas eſſe. Nihil certè morte certius eſt, ait beatus Auguſtinus, ignorat tamẽ homo finem ſuum. Neſcit enim quando, vel vbi, vel quomodo morietur, & tamen certum eſt quod eum mori oporteat.] Abel quidem in iuuentute, Adam in extrema ſenectute mortuus eſt. Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Simeon pleni obierunt dierum: Chriſtus, Præcurſor, Iacobus, Stephanus, in ætatis ſuæ flore ſublati ſunt: Innocentes vix nati, ab Herodis ſatellitibus trucidati ſunt: Petrus, Paulus, Ioannes, magnam attigerunt ſenectam. Chriſtus igitur ſalubriter vniuerſos admonet, & vtinam monenti obtemperaremus omnes: *Videte, orate, vigilate. Neſcitis enim quando tempus ſit. An ſerò, an mane, an in galli cantu Dominus venturus ſit.* Spectent iuuenes, liberos beati Iob in iuuentute abſumptos. Rectè beatus Hieronymus: Iuuenes mori poſſunt, ſenes diu viuere non poſſunt. Et nobilis poëta: Alba liguſtra cadũt, vaccinia nigra leguntur.

Soliloq. c.2.

Mar. 13.
Matth. 24.

His addo quod beatus Ephrem ſcribit: Torquentur quidem homines in inueſtigãda cauſa, Cur alij celerius hinc euocentur, alij verò

Serm. de morte.

in longius tempus vt hac calamitosa vita affligantur, reseruentur. Actum tamen agunt, nec vnquam huius rei causam indagare possunt. Itaque par est, in omnibus nos eius benignitatem adorare, nec ægrè ferre: imò recordari vocis illius præclarissimæ quam magnus ille Athleta Domini protulit, cùm circa mensam, vno temporis momento, decem liberos deletos atque contritos cerneret: *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* Hoc nobis in exemplum proponamus.

Nec silentio prætereundum, plurimos etiam in conuiuiis, & symposiis genio indulgentes, inopinantes rapi: sicut & illi nihil tale cogitantes, oppressi sunt. Sacra referunt Amnonem in conuiuio Absalomi trucidatum fuisse: & Simeonem summum Iudæorum sacerdotem & ducem, inter pocula fraude Ptolemæi infidi generis sui, vnà cum filiis suis, nefariè peremptum. Holofernes vino sopitus & sepultus, & à beata Iudith capite imminutus est: & Baltassar inter conuiuas & ebriosos, ebrius ipse, sententiam mortis accepit. Et Christus de priore mundo ait: *Edebant, bibebant, nubebant, quando superuenit diluuium, & oppreßit eos.* Deinde monet: *Attendite vobis, ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superueniat in vos dies illa. Tanquam laqueus enim superueniet, &c.*

2. Reg. 13.
1. Machab. 16.
Iudith. 13.
Dan. 5.
Luc. 17.
Luc. 21.

Denique, Filiorum Iob fulmine, fulgureque cælesti morientium exemplo, notandum, tam ex sacris, quàm ex humanis historiis in

promptu esse colligere, permultos tempestatibus ignibusque desuper irruentibus, vitam miseram finiisse: sed illos vt plurimum viros fuisse impios & reprobos. In Sodomæos & eorum conterminos, Dominus pluit ignem & sulphur: sed nefanda eorum scelera de cælis

Gen. 19. reposcebant vindictam. Nadab & Abiud filij Aaronis, offerentes ignem alienum Domi-

Leuit. 10. no, ignis Dei deuorauit. Duos Ochoziæ quinquagenarios, vnà cum cohortibus suis ad

4. Reg. 1. vocem Eliæ, quem irridebant, cælestes absumpserunt flammæ. Et vt humanas historias perstringamus, Hostilius Rex Carus, & Ana-

Valer. Plin. Virgil. Ouid. Zonar. Homer. Sigebert. Naucler. stasius, Romani imperatores, fulminibus percussi, viuere desierunt. Æsculapius medicus, Zoroaster Philosophus, Salmonæus Elidis rex, fulminatus, detrusus est ad inferos. Gigantes quoque fulminibus necatos vbique canunt poëtæ, Olympium pseudoepiscopum Arianum, sacrosanctam Trinitatem diuinarum personarum irridentem, & blasphemantem, tribus tonitrui ictibus percussum & contritum fuisse, narrat Sigebertus. &c.

Verùm, omnes supradicti fuerunt coram Deo iniqui & reprobi, sicque iusta eius vltione percussi. Filij autem sancti Iob hesterna etiam die sanctificati, pij, iusti, & Deo grati erant. Fateor; sed quemadmodnm pater non propter peccata sua fuit afflictus, sed vt probaretur, atque in exemplum patientiæ huic mundo relinqueretur: ita & de liberorum eius nece, piè & religiosè sentiendum. Nihil enim

dubitant Origenes ac Chrysostomus, illorum animas in loco pacis & consolationis, in alio sæculo, cum aliorum iustorum spiritibus receptas fuisse. Non est igitur de violenta, inopinataque piorum quorundam morte temerè iudicandum vel pronunciandum: sed diuino iudicio omnia relinquenda. Rectè etenim scripsit Seneca: Nihil refert, an febris, an ferrum tollat. Et beatus Augustinus: Mala mors putanda non est, quam vita bona præcesserit. Nihil malam facit mortem, nisi malum quod sequitur mortem.] Accedit, quòd Abel, Isaias Ieremias, præcursor Christi, Apostoli omnes, horumque beati discipuli Clemens, Ignatius, Dionysius, Polycarpus, Timotheus, Potinus, Irenæus, (de quorum æterna salute nihil ambigitur) non dulci aut tranquilla morte, sed grauissimis ærumnis & tormentis repleta, mundum istum reliquerunt. Oremus itaque, &c.

Seneca.

L. 1. de ciuitate Dei.

HOMILIA SEXTADECIMA.

20. *Tunc surrexit Iob, scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in*
21. *terram, adorauit, & dixit: Nu-*

dus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit
22. *nomen Domini benedictũ. In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.*



VAnto amore ac studio liberis suis afficiuntur parentes, vt eos seruent, educant, ditent, dignitatibus & honoribus augeant, tãto grauiore tristitia & mœrore cruciantur atque tabescunt, cùm vel ignominia, vel aduersitate laborare, vident vel repentina, turpive morte illos sibi aufferri conspiciunt. Recordantur quippe eos esse caro de carne sua, os de ossibus suis: viuæ imagines suæ, in quibus post etiam mortem ipsi quoque viuant; sperant superstites, ab his in senecta foueri, & post mortem iusta sibi persolui, ideoq; ineffabili quodam affectu naturæ, non possunt non grauiter affligi & discrutiari, dum opprimuntur. Huius rei clarissima patent exẽpla etiam in sanctissimis Dei Prophetis & Patriarchis. Vetus traditio Hæbræorum est Adamum & Heuam sepultum Abelem, eum

30.annis luxisse,atque continuisse. Iacob visa Gen. 37.
Ioseph prędilecti filij sui tunica infecta sanguine,putans eum à fera deuoratum,scidit vestes, cecidit in terram,nec vnquam potuit ab aliis consolari. Dauid audiens Absalomum bello mortuum,clamabat: *Quis det mihi, vt ego moriar pro te,fili mj Absalom?* Heli ad se delata duorum filiorum nece,cecidit deorsum,& fracta ceruice,mortuus est. Nota sunt suspiria, lamentaq; Annæ matris iunioris Tobiæ,cùm ille ad præscriptum diem non rediret.

3. Reg. 18.
1. Reg. 4.
Tob.9. 10.

Et Iob quamquam patiētissimum atq; tolerantissimum,similes naturæ passiones sensisse, imò & longè acerbiores ac vehementiores portasse, hic locus satis ostendit. Audiens quidem boues,asinas,oues,camelos, cum custodibus periisse,nihil tale faciebat. Vbi verò liberos omnes extinctos accepit, seruata interim animi constantia & tranquillitate, caros sibi liberos & factis,& verbis,declarauit: *Surrexit,* inquit Moyses, *& scidit vestimenta sua, & tonso capite,corruens in terram adorauit.* An non sunt hæc signa verè grauiterque afflicti & commoti hominis? Quod si hęc perfunctoriè theatriceque tātùm fecisset, nequaquam profectò Deus de illo testificatus fuisset, quod esset *vir simplex,rectus,timens Dei, & recedens à malo.* Sed neque fuisset homo patibili indutus carne, sed ferrum,lapis,aut lignum;nec veræ patientię ac virtutis exemplar,sed velut communi naturæ sensu carens stipes & truncus.

Ne putemus itaque sanctos Martyres,Apo-

stolos, Prophetas, qualis hic Iob, alterius quàm nos fuisse naturæ, aut insensibiles in plagis, in flagellis, in gladiis, in crucibus, in flammis, in morte. Hoc enim esset illis ignominiosum, nec præmiis cælestibus atque coronis dignum coram Deo. Quinimo & Christus Sāctus Sanctorum, grauissimos sensit dolores in carne sua, tantasque in animo suo ægritudines, vt his satisfecerit Diuinæ iustitiæ pro peccatis totius mundi: simulque non semel apud Patrem sit grauissimè conquestus, etiam multis palam effusis lacrymis. *Tristis est*, inquit, *anima mea vsque ad mortem. Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et Paulus de eodem scribit: *In diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui posset eum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Multis itaque & Christi, & Apostolorum eius verbis & exemplis meritò reprobatur à beato Augustino, Stoicorum ἀπάθεια, seu impatibilitas, quippe quæ in carne adhuc mortali haberi non potest; seruatur verò cùm hoc corpus nostrum induerit immortalitatem. Ambrosius quoque docet, Sanctos illos non fuisse præstantioris naturæ, quàm nos: sed maioris obseruationis ac virtutis.

Math. 26. *Heb. 5.* L 14 *ciuit. c.* 9. 1. *Cor.* 15. *L. de Ioseph. c.* 1.

Iob itaque ostensurus, quàm graui dolore atque tristitia de tot tantisque calamitatibus affectus esset, *Primò scidit vestimenta sua*; videlicet pro more totius orientis,

in grauiſſimis doloribus. Hoc autem ſigno indicabant pectus ſibi diſrumpi & cor velut lacerari præ dolore. Iephte videns filiam ſibi vnicam occurrerè, ſcidit veſtem, quòd eam immolarurus erat. Sic & Ioſue cæſum populum Dei fugatumquè à viris Hai, ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram Domino. Similiter Dauid, & omnes viri, qui erant cum eo in Siceleg, audita morte Saulis & Ionathæ, cladeque peſſima Iſraelis, veſtes lacerauerunt, fleuerunt, & ieiunauerunt. Quinetiam præcepit Dauid Ioab & militibus ſuis: *Scindite veſtimenta, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner*. Ezechias quoque auditis blaſphemiis Aſſyriorum, veſtes lacerauit. Sed ante hos omnes beatus patriarcha Iacob, putans Ioſeph à fera laceratum, *ſciſſis veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.*

Iudic. 11. Ioſue 7. 2. Reg. 1. 2. Reg. 3. 4 Reg. 19. Gen. 37.

Secundò, ſanctus vir capillos, quos promiſſos & bene longos gerere, tunc erat honoris, grauitatis, poteſtatis, & libertatis inſigne, totundit & abiecit à ſe, vt quaſi iam humilis, afflictus & miſerabilis ſeruus haberetur. Abſalom quondam in multo capilitio gloriabatur. Dauid legatos ſuos ab Ammonitis ſemibarba raſos, iuſſit non redire ad ſe, donec pilli rediiſſent. Caluitium porrò & detonſionem inter Hebræos argumentum fuiſſe mœroris & triſtitiæ clariſſimè patet; in Eſdra dicente:

2. Reg. 14. 2. Reg. 10. 1. Eſd. 9.

Scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & ſedi mærens. Et de vaſtatis Moabitis dicit Iſaias: *In cunctis capitibus caluitium, & omnis barba radetur.* Certè Apoſtolus Hebræus ex Hebræis, ſcripſit: *Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.* Hoc enim aliàs fuit muliebre, atque ſeruile. Vnde vetus prouerbium: Seruus es, & comã habes? Apud B. Hieronymum Comatuli & calamiſtrati iuuenes ſemper malè audiunt.

Iſa. 15.

1. Cor. 2.

Tertiò corruit in terram, pro ingeniti triſtitia, ſimulque pro humilitate, coram Deo ſe ſe demittens quantum poteſt, vt Maieſtatem eius adoret, puluerem ſe & cinerem agnoſcens. Non enim latebat eum primo homini dictum à Domino: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sanctus quoque Abraham dicit, *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluus & cinis?* Idemque Iob poſtea dicit: *Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris cutis mea aruit.* Et Sapiens ſuperbo & arroganti homini dicit: *Quid ſuperbis, terra & cinis?* Huiuſmodi verò fuiſſe adorantium & inuocantium ritum, vel ex Chriſto euidenter apparet: qui Patrem in horto deprecaturus poſuit genua, & procidit in faciem ſuam dicens: *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Petrus quoque procidens ad pedes Ieſu, dicit: *Exi à me, quia ego peccator ſum.* Et Magi procidentes adorarunt Chriſtũ. Similiter & homo plenus lepra, videns Ieſum, & procidens in faciem, rogauit eum, vt curaretur. Ideoque non tantùm

Gen. 3.

Gen. 18.

Iob. 7.

Eccli. 10.

Matth. 26.

Luc. 5.

Ibidem.

hîc dicitur de beato Iob, *Corruit in terram*, sed, *adorauit, dicens: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Atq; hęc dolorisatq; tristitiæ sũmæ beati Iob manifesta testimonia.

Ingentem enim illam fuisse nemo negabit, qui eum & hominem mortalem, non stupidũ vel lapidem, vel Angelum; & seruorum liberorumque amantem; insuper damnorũ eius grauitatem & multitudinem iusta ratione ponderabit. Præterea, attonitum illum reddere poterat, quod non humano more, ignis in oues suas & pastores, deinde ventorum procella in liberos desęuiissent. Hinc enim non homines tantùm, sed & Deum ipsum aduersari sibi cogitarę poterat. Et hoc ipsum est, quod Diabolus tot fraudibus, tantisque molitionibus eidem persuadere quærebat: nimirum vt Iob cogitaret se à Deo despectum, derelictum, oblitum, vel odio habitum, & ab omni spe recuperandæ gratię eius, penitus excisum, atque sic eundem conuiciis afficeret, blasphemarẹt, desperaret.

E contrario verò, beatus vir magna fide & spe animum suum sustentat, erigit, consolatur: & ad diuinæ potentiæ, bonitatis & clementiæ contemplationem confugit: simulque totius humanæ sortis paupertatem, abiectionem, & miseriam agnoscit, dicens: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. & cetera.* Mira certè hominis huius prudentia. Veræ philosophię regulam tenuit, ait beatus Gregorius,

L. 2. moraliũ. quando inter extrema, se mira æquitate seruauit: nec flagella spernens, nec Deum blasphemans. Impendit liberis & seruis luctum, Deo dilectionem & adorationem. Pro seruanda patientia tempus commemorat, quo nihil habuit.] Maxima certè patientia, quoniam omnium calamitatum suarum videtur oblitus, vt de communi omnium hominum misera conditione philosophetur, dicẽs: Quis, qualis-ve fui ab initio, quando egressus sum ex

Plinius lib. 7. vtero? Pusio contemptibilis, nudus vt vermis, rerum omnium ignarus, cunctis ornamentis & opibus destitutus. Nec iniuria, cum quibus-

Innocentius tertius. lib. de contempt. mundi. dam aliis conqueri potuisset, quòd natura homini tristior nouerca sit, quàm melior parens, quandoquidem istum alienis velat opibus: cæteris verò animantibus varia tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumas, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam, arboresque, cortice interdum gemino à caloribus & frigoribus tutatur. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus simul & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ

Sap. 7. principio. *Nemo ex Regibus habuit aliud natiuitatis initium* Ergo quæcunque alia recedunt postea, aduentitia sunt, externa sunt, dona Dei sunt: quæ sine cuiusquam iniuria auferre, & quomodocunque voluerit, tollere potest. Quantuncunque isthæc possideamus, attamen vel in fine vitæ huius velimus, noli-

mus, sunt relinquenda. Agedum ergo, (aiebat intra se) oues, asinæ, boues, cameli, serui, liberi, non mei fuerunt; sed Dei, qui mihi ad tempus concesserat. Si sua igitur à me repetiit, (nihil enim eorum à meipso habui, nihil in hunc mundum mecum attuli) nulla me affecit iniuria. Si serui, filij, filięque morte perierunt: at, non periit mihi Dominus Deus meus omnipotentissimus atque clementissimus. Quandiu ergo Deum mihi propitium tenuero, summum bonum, in quo sunt omnia bona, possidebo. &c.

Quantarum, quæso vos, Fratres, virtutum scholam hîc nobis beatus Iob aperit? An non in primis veræ, Christianæque patientiæ in cunctis aduersis. Quis Philosophorum, Poëtarũ, Oratorum huius sæculi, breuius, aut efficacius istud præstare potuisset? Apud hos enim (ait Cyprianus martyr) tam falsa patientia est, quàm falsa sapientia.] Non est quod Græcia suo Xenophonte glorietur, qui contentus fuit in multo minore euentu, coronam è capite deponere. Vel quòd Roma, Horatium Puluillum nobis opponat, qui audito filij obitu, sacrificans, calamitatem priuatã dissimulauit. Taceant & de suo Æmilio Paullo, Pericle, & Anaxagora, qui liberorum neces forti animo tulerunt. Neque enim impietas nostræ pietati conferri meretur: fortissimus Iob præuenit omnia gesta, factaque Philosophorum. Minus est quod illi finxerunt, quàm quod iste gessit. Ita

L. de bono patientiæ.

Valerius lib. 5. c. 10.

Ambros.

Lib. de patiẽtia, c. 1. & 2.

propoſita Dei rebus eſt Patientia (inquit Tertullianus) vt nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare, extraneus à patientia poſſit. Nobis autem exercendæ patientiæ authoritatem, viua ac cęleſtis diſciplinę diuina diſpoſitio delegat, Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum. Lucem ſuper iuſtos & iniuſtos ſpargit: elementorũ ſeruitia dignis & indignis patitur occurrere: ſuſtinet ingratiſſimas nationes: opera manuum ſuarũ adorantes, & familiam ipſius perſequentes tollerat, adeò vt ſua ſibi patiẽtia detrahat. Plures enim Dominum non credunt, quia ſęculo iratum tam diu neſciunt.] Adducit continuò, Chriſti naſcentis, in terra conuerſãtis, varia patientis & morientis exempla; quibus addit & veterum Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum: qui in patientia ſua poſſederunt animas ſuas, & nunc æternæ beatitatis coronas ferunt in cælis.

Eadem extãt apud Cyprianum. l. de bono patientiæ.

Diſcimus quoque in hac B. Iob beatiſſima ſchola, multum conducere ad humiliationẽ & patientiam noſtram exercendam, originis atq; finis noſtri ſeria recogitatio: quod etiam nobis cũ Ethnicis cõmune eſt, ac efficax cõtra ſuperbiã & impatientiam, remediũ. Nec dubitandũ quin hac ratione, diuinam ſcientiã ambienti, & ſuperbienti Adamo dictum ſit à Domino: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quid enim leuius, quid abiectius puluere, quem pedibus calcamus? Qui vel minimo vẽto diſſipatur in auras, ac penitus euaneſcit? Vnde & Pſaltes dicit,

Gen. 3.

Impios

Impios futuros tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Et in alio Psalmo de cunctis animantibus ait: *Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Nudus egressus sum de vtero, scribit Chrysostomus. Non venisti cum gloria, non ergo adipisci desideres. Nudus inquam, non pecunijs tantùm, sed etiam gloria, & bona opinione in hanc introductus es vitam.] Et beatus martyr Cyprianus, non solùm ex ijs Iob verbis, omnes ad humilitatem & moderationem animi exhortatur; sed & illis hæc testimonia addijcit: *Aspiciam super humilem ac quietum. Beati mites, quoniam, &c. Qui se humiliauerit, exaltabitur. Noli altum sapere. Humiles spiritu saluabit, &c.*

Psal. 1.
Psal. 103.
Hom 33 in Epist. ad Hebræos.
L. de mortalit. Et lib. testim.
Isa. 66.
Math 5.
Luc. 18.
Rom. 11.
Psal. 33.

Eximiæ quoque fidei vox est: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est.* Non enim immoratur in causis secũdis, id est, Sabæorum, Chaldæorum, Satanæ malitia; non eis exprobrat, non maledicit, non imprecatur: sed fide & animo conscendit vsq; ad diuinam voluntatem, quæ id fieri permisit, consilio quidem occulto, attamen iusto. Sensus est. Non meæ erant propriè facultates, non mei liberi: sed potius Dei summi omnium bonorum authoris. Nec enim liberos, sine benedictione illius gignere, aut seruos habere, potuissem. Quomodo in vtero vxoris ipse corpora non finxi, non animam creaui aut contuli: sed mundi creator, qui primi hominis formauit natiuitatem. Facultates om- 2 Mach. 7.

nes, Diuinæ benedictiones fuerũt. Nihil omnino feciſſent homines, nihil Diaboli, niſi Deus permiſiſſet. Nihil permiſit, niſi iuſtè ad meam probationem, vtilitatem, & ſalutem. Hîc ſtabo & conquieſcam. Hîc omnium inquiſitionum & diſputationum ſolutionem finemque conſtituam. Ille, ille vt optimus parens, me filium ac ſeruum ſuum viſitat, erudit, caſtigat. Et meipſum, & omnia mea, eidem offero, ſacro, dico. Illum, illum optimum, maximum, ac omnium bonorum fontem vberrimum nunquam offendam, nunquã irritabo, nunquam blaſphemabo: ſed adorabo, colam, & ſuppliciter inuocabo.

Hæc porrò non tantùm propter Iob ſcripta ſunt, ſed omniũ maximè propter nos, vt miſerias noſtras agnoſcentes, in donis Dei tẽporalibus non fidamus, ſed in Datore, ac eius iudicijs nos, noſtraque vniuerſa, cum omni fide, ſpe, humilitate, atque patientia ſubijciamus.
Pſal. 37. Dicamus ei ex animo: *Ego in flagella paratus*
Matth. 26. *ſum. Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Hîc vre, hîc
Gregor. ſeca, vt in æternum parcas. Non theſaurize-
Matth. 6. mus in terra, ſed in cælo, &c.

Addit beatus vir: *Sit nomen Domini benedictũ.* Nomen, id eſt, gloria, fama, maieſtas eius, ab omnibus agnoſcatur, laudetur, benedicatur. Sentio fraudes Satanæ aduerſarij eius, & perpetui inimici noſtri. Superioribus calamitatibus me ad illud blaſphemandum impellere nititur: ſed non faciam, non faciam, nunquã tantũ nefas perpetrabo. Etiam ſi Omnipotens ille occiderit me, ſperabo in eum. Et nos quo-

que in terris, in prosperis, in aduersis, hunc imitemur, vt cum eo coronemur. Cum Dauide dicamus: *Benedicam Dominum in omni tempore. Benedic anima Dominum, & omnia quæ intra me sunt, &c. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuisci, &c.* Iob. 13.

Sed quid? (dicet Curiosulus) num cadauera liberorum suorum tam miserè lacerata neglexit Pater? Num sepulturæ, tam religiosus Parens tradidit? Num & pro salute animarum quædam fecit sacra? Ad vtrumque respondet Chrysostomus. Cogita quis erat ille maceriã effodiens, & nunc quidem lapidem, nunc filij membrum retrahens, & manum vidẽs adhuc phialam tenẽtem, dexteramque alterã recumbentẽ cyatho. Et ipsam corpore corruptã filiã, capite dissipato, nasoq; contrito, oculis extinctis, cerebro disperso, vulnerumque varietate non permittente faciei desideratæ formam nosse, Confusi estis hæc audientes, & lacrymas funditis. Cogitate igitur quis ille erat hęc videns.] Atque hæc Chrysostomus describens beatum Iob liberorũ dispersa, cum lignis & lapidib⁹ lacerata, & hinc inde dissipata ad sepeliendum colligentẽ liberorum membra. Idem rursus agens de eodem beatissimo viro, ait: Iob fleuit ille quidem, sed quod satis erat patrem liberorum amantem, & mortuos curantẽ.] Addit paulò post: Iobi liberos patris victima purgauit: quid dubites è nobis quoq; si pro dormiẽtibus offeramus, solatij quiddã illis accessurũ? Idem rursus, prout citatur in Catena: Hom. 5. de pati. Iob. Hom. 41. in 1. Cor. c. 15. In c.1 Iob.


Fer opem ijs qui migrant è vita, neque eorum memoriam intermittas. Nam ſi Iobi liberos, ſpiritus hoſtia expiabat, dubitare-ne ipſe poteris, nobis pro ijs, qui deceſſerunt, offerentibus ſolatij nihil illis ipſis adferri?] Sanctorum ergo Patrum ſententia & interpretatione, Iob curauit membra liberorum colligi & ſepeliri: & animas ſacrificijs ſpiritalibus (quandoquidem corporeis exutus bonis.)

Concluſio igitur huius primi capitis, ac prioris Actus tragicomœdiæ eſt: *In ijs non peccauit Iob, &c.* Strenuũ militem ſuum hoc encomio coronat Spiritus ſanctus. Licet tot, tantiſque modis tentatus fuerit iſte vir Dei, tam firmus tamen ſtetit, ne vel minimum peccaret. Nec corde, nec ore; vel in Deum, vel in proximum offendit. Ergo falſum ac impium eſt, quod autumant hæretici, *Iuſtum in omni bono opere peccare.* Et verum, quod ait Apoſtolus: *Qui non offendit in lingua, hic perfectus eſt vir.* Supplices te rogamus, omnipotens & miſericors Deus, &c. Iac. 2.

HOMILIA DECIMA SEPTIMA.

1. *Factum eſt autem cùm quadem die veniſſent filij Dei, & ſtarent coram Domino, veniſſet autem Satan inter eos, & ſtaret in conſpectu*

2. *eius, vt diceret Dominus ad Satan:*
Vnde venis? Qui respondens ait:
Circuiui terram & perambulaui
3. *eam. Et dixit Dominus ad Satan:*
Nunquid considerasti seruum meũ
Iob, quòd non sit ei similis in terra,
vir simplex, & rectus, ac timens
Deum, & recedens à malo, & ad-
huc retinens innocentiam? Tu au-
tem commouisti me aduersus eum,
vt affligerem eum frustra.



Eata illa requies & consolatio, gaudinm quoq; plenum & sempiternum, quod pro fidei, spei, caritatis, & patientiæ præmio, donaturus est Dominus Deus seruis suis, nunquam eis super terram, aut in hac vita reddetur: sed tunc solummodo cùm exuti corporibus istis mortalibus, in cælis peruenerint, viderintque Deum facie ad faciem, sicuti est. Istud Christus Dei filius satis adfirmat, dicens beatos esse, qui persecutionem hîc patiuntur, quoniam merces eorum copiosa est in cælis. Rursum, dicens Apostolis, quòd mittent eos in hunc mudum, sicut oues in medio luporũ, quibus cum continuò periclitantur, nũquam

Matth. 5.
Matth. 10.

Io. 12. securæ. Iterum totius populi sui statum com-
Apoc. 12. parat cum muliere parturiente, quæ grauissi-
mis anxietatibus & doloribus laborat. Deniq;
clarissimè loquitur, & calamitates suorum
Io. 16. prædicit: *In mundo pressuram habebitis. Eritis
odio hominibus propter nomen meum.* Promissum
Isa. 25. quidem est, *Absterget Deus omnem lacrymam ab
Apoc. 21. oculis sanctorum, &c*: sed post gloriosam resur-
rectionem id tantùm præstabit, & non hîc
quandiu peregrinamur à Domino.

Illustrissimum huius rei exemplum cunctis propositum est in beato Iob, cui nullas inducias concedit importunus hostis, ex quo facultas in eum data est à Domino. Post boues ablatos, camelos tollit: illico, absumens oues; seruos necat, liberos omnes miserabiliter & crudeliter opprimit, ædes denique funditus subuertit. Nec sic tamen quiescit omni diritate ac immanitate teterrimus Satanas: sed à Deo potestatem iterum exposcit, vt rursum in eũ sæuiat, & corpus eius discruciet. In quo meditandum initio, quàm insatiabili crudelitate atque rabie in homines feratur Diabolus. Hinc horrenda in Scripturis ei tribuuntur nomina, serpentis antiqui, draconis, leonis rugientis, Behemot, Beelzebub, Astaroth, Appolion, Abbadon, Satan, &c. quæ omnia quàm crudelis & importunus, quantoque studio à nobis cauendus sit, satis admonent.
Matt. 4. Qui dominum nostrum IESVM, totius mundi creatorem & iudicem semel, iterum, & tertiò impetere non est veritus, quomodo nobis

peccatoribus parcet? Semel expulsus à nobis, subinde & frequenter recurrit, quos si incautos inuenerit, assumit septem nequiores se, d. *Reuertar vnde exiui, & fiunt nouissima hominis peiora prioribus*. Quid? An non à septem dęmonibus liberata Magdalena, in eam priùs introierant? Alius etiam à legione, id est, sex millibus, septingentis, & triginta duobus, malignis spiritibus obsessus fuit & possessus? Et nõ pudet hominũ vulgus, proh superûm ac inferûm fidem! subiratũ, diabolis se deuouere? Diabolos passim boare atque reboare? Circuit ille mare & aridam, quærens quem deuoret, & vos miserrimos vltrò sibi oblatos non rapiet tandem aliquando? Superi meliora velint.

Matth. 9.
Luc. 11.
Mar 16.
Matth. 8.
Luc. 8.
Mar. 5.

Iterum ergo Dei thronus, iterum bonorum Angelorum ad illum accessus, iterum cum eis Satan, & huius cum Deo colloquium habitũ describitur. Quęrit porrò B. Athanasius: Cùm ex cælo Diabolus prolapsus sit, quomodo hîc scriptum sit, quòd steterit in medio beatorum Angelorum? Respondet. Non dicit scriptura, quod in cælis Diabolus venerit. Manifestum igitur est, quòd in terra. Etenim vbicunq; sunt Angeli, astant Deo. Verùm, sciendũ est, quòd per sanctum aliquem Angelum diabolo Deus est loquutus, quemadmodũ etiam Reges per hominẽ aliquẽ intermediũ suũ alloquũtur aduersarium.] Altera quoq; suboritur Quæstio. Cùm Deus sit omnino spiritus, Angeli incorporei, Diabolus quoq; expers materiæ & corporis, cur per formas visibiles, speciesque

Quæst. 8. ad Ant.

Isa. 6. corporeas tam hîc, quàm alibi non rarò describuntur? Isaias enim scribit se vidisse Dominum sedentem solium excelsum & eleuatum: & audisse Seraphinos laudem ei concinentes. *Dan. 7.* Et Daniel ait: *Throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit; vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.* *Apoc. 1.* Ioanni quoque apparuit in medio septem cãdelabrorum aureorum filius hominis, vestitus podere, præcinctus ad mammillas zona aurea, cuius capilli erant candidi, & oculi vt flamma ignis, &c. An non hæ omnes species aspectabiles, & sensibus humanis subiectæ formæ hæque rerum cælestium & diuinarum imagines?

L. celestis hierar. *L. de imag.* Huic quæstioni respondent BB. Dionysius, Damascenus, & Patres Niceni, isthæc fieri propter ignorantiam & imbecillitatem humanam, nimirum, vt ex rerum visibilium & corporalium contemplatione, animus noster ascendat ad quandam rerum spiritalium & inuisibilium notitiam & comprehensionem. *Rom. 1.* *Inuisibilia enim Dei*, ait Apostolus, *à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas.* *Sap. 13.* Et Sapiens scribit: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit & Creator videri.* Idcirco sacrarum tam Christi, quàm beatorum Angelorum imaginum vsum, velut vtilem & religiosum in Ecclesia seruatum fuisse volunt. *Epist. ad Sirenum Massil. Ep.* Hinc magnus Gregorius vocat eas Libros idiotarum & simplicium, vt qui literas nes-

ciunt, ſaltem in picturis videndo legant, quæ in codicibus non valent. Eiſdem rationibus, Moyſes, Deo iubente fieri curauit imagines Cherubinorum obumbrantes propitiatorium. Item, ſerpentis ænei de ligno pendentis. Et Salomon vela, aulæa, oſtia, parietes, adeoque ipſum templi pauimentum iconibus repleuit. Dauid domi habuit Theraphim id eſt, ſtatuas, ſimillimum verò eſt ſanctorum Patriarcharum, non falſorum deorum. Sed & Rabbi Kimhi ex cap. 2. Numer. colligit, in quatuor vexillis quatuor præcipuarum copiarum Hebræorum, depictas fuiſſe imagines quatuor animalium, quas memorat Scriptura, videlicet, Hominis, Leonis, Bouis, & Aquilæ. Ex quibus alius quoq; Magiſter in Iſraël Anonymus, diſertè & cōſtanter contendit, Imagines, quæ in tēplis Chriſtianorū ſunt, non eſſe per legem Dei prohibitas: ſed vtiles, tum ad excitandam rerum geſtarum memoriam, tum ad cultum Dei exercendum, ſicut Iſraëlitæ Deum benedictum colebant & inuocabant proſtrati ante Arcam ſanctitatis & Cherubim; pro vt etiam refertur & probatur à Paulo Fagio, homine hæretico, ne quis à me fictum putet. Atque hæc ex veteri Teſtamento, aduerſus Iconomaſtiges, vt animaduertant ſe excæcatis Iudæis deteriores eſſe rerum ſacrarum æſtimatores, & conuertantur, ne pereant. De imaginum vſu ex nouo Teſtamento, & Patribus, in alijs locis diſſeruimus. Ad colloquium Dei cum ipſo Diabolo iam

Exod. 25. *Numer 21.* *Io. 3.* *3. Reg. 9. & 7.* *1. Reg. 19.* *Ezech. 1.* *Apoc. 4.* *Hebræi.* *Annotat. in cap. 4. Deuter.* *In Theomachia Annot. in lib. 1. Irenæi.*

accedamus.

Dixit Dominus ei: *Vnde venis Satan?* Prudẽter iudicat B. Gregorius Deũ his verbis increpare & exprobrare Satanæ imbecillitatem suam, q. d. Ecce ab vno, & carne fragili induto homine vinceris, qui te contra me authorem omnium erigere conaris? Et insultans ei d. Vbi vires tuæ? Vbi rabies? Vbi gloriatio & superbia tua? Cur te victum & pudefactum dissimulas? Iobi quidem oues & boues rapuisti, vt nihil haberet, vnde mihi sacrificaret : sed audi sacrificia laudis, gratiarum actionis, cordis contriti & humiliati, quæ mihi ex toto pectore litat. Tu seruos & liberos omnes occidisti: sed horum corpora in pace & spe resurrectionis requiescunt : animæ cum spiritibus bea-
Luc. 16. torum Patriarcharum locum quietis & consolationis acceperunt. Accusasti eum, quòd esset hypocrita & blasphemus : en vides è contrario, quò adhuc permanet in innocentia sua. Audis, videsque bonos Angelos constanter referentes, admirantes, & laudantes eiusdem fidem, spem, caritatem, patientiam, constantiam, & in cunctis virtutibus perseuerantiam? An non ergo frustra accusasti, lacerasti, occidisti, rapuisti? &c. His autem conspicimus Deũ, vnà cum beatis Angelis suis spectatorem esse certaminũ atque laborum seruorum suorum : nec id solùm, sed & patientiæ atque perseuerantiæ eorum præconem, atque am-
Matth. 25. plissimum remuneratorem. Quem ergo
Luc. 12. non inflammaret ad quamuis pro fide &

pietate suscipiendam, & alacriter sustinendam dimicationem? Ideo Tertullianus Martyres tam viros quàm fæminas animaturus ad sacra certamina, scribebat: Bonum agonem subituræ estis, in quo Agonothetes (qui præmijs instruit ad certamen) Deus viuus est: Xystarches (loci certaminis præses) Spiritus sanctus: corona æternitatis: brauium (præmium quod victoribus datur) angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in sæcula sæculorum. Cyprianus quoque, aliquot Epistolis hortabatur illos, vt animosè & fortiter agones subirent, quòd Deum de cælis haberent inspectorem, Angelos testes, coronasque immortales paratas.

L. ad Martyras. c. 3.

Epist. 9. 16. 56. 77. 81.

Grauissima quoque ironia irridet Deus & damnat, non solius Satanæ, sed & impiorum omnium, tam aduersus semetipsum, quàm seruos suos, susceptos conatus; tanquam inutiles & frustraneos. Sicut quondã improperauit Adæ temeritatẽ suam, d. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Et de cunctis reprobis canit Psaltes: *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Quod & per Salomonem comminatur: *Ego autem in interitu vestro ridebo.* Æterna profectò irrisione & dãnatione digna sunt Pharaonis, Antiochi, Neronis, Domitiani, Diocletiani, & similium Tyrannorum, aduersus Dei seruos, & Christianam Ecclesiam suscepta bella. Verè frustra commouit eos Satan. Plurimis tormentis, exercitatos & probatos Sanctos in cælũ trans-

Gen. 4.

Psal. 2.

Prou. 1.

L. de fuga in persec. miserunt: sibi verò nunquam finienda acquisierunt supplicia. Persequutio martyres facit, In vita Malchi. inquit Tertullianus: hæresis apostatas. Et B. Hieronymus: Persequutionibus creuit Ecclesia, martyrijs coronata est.

Satanæ responsum expendamus. *Circuiui* Ser. asetico. *terram, & perambulaui eam.* Beatus Ephrem Syrus legit: Postquã peragraui eam, quę sub cęlo, & obambulaui vniuersam, adsum: sicque le- L. 2. in Iob. gunt Græci penè omnes. De quo responso sic Origenes rhetoricatur: Adsum is, qui peccatis congaudeo, qui impietatibus lętor, qui iniquitatibus iucundor, qui omni iniustitia, omnibus impudicitijs & malis delector. Adsum, qui spem nõ habeo, qui salutem non expecto, qui misericordiam non sustineo, qui refrigerij non sum memor.] Hîc nullã cernis peccatorũ contritionem, nullam audis cõfessionem, nullam percipis omnino pœnitentiam: contrà verò, impudentissimam gloriationem & iactantiam. Sic impij ac reprobi peccata malunt reticere, quàm confiteri: de ijsque gloriari, quàm erubescere ad salutem: quod certissimum reprobæ mentis signum est. *Lætantur,* Prou. 2. ait Sapiens, *cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum viæ peruersæ sunt & infames gressus eorum.* Et de Israelitis in ca- Isa. 3. ptiuitatem abducendis conqueritur Deus: *Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Sequitur Diuina in eos male- Psal. 51. dictio: *Væ animæ eorum.* Hos per Psaltem increpat Spiritus sanctus dicens: *Quid gloria-*

ris in malitia, qui potens es in iniquitate? Gloriolas suas iactans Goliath: *Ego exprobraui agminibus Israel*, breui capite imminutus, esca datus est auibus cæli: Atque hæc impij. Pij autem è diuerso, cùm aut fragilitate aut Diaboli tentatione delinquunt, mox redeũt ad cor, ingemiscunt, conteruntur animis, fatentur se peccasse, tundunt dolore pectora, properant ad pœnitentiam. Sic enim fecerunt Dauid, Ezechias, Manasses, Magdalena, Petrus, Publicanus, Latro, &c. 1.Reg.17.

Insinuatur etiam hîc Satanæ bene magna impudentia, qui etiam victus gloriatur de vagatione, & venatione super terram, hoc est, de multiplici fraude, & tyrannide sua, quibus incautos decipit, & perdit. In quibus imitantur illum falsi Prophetæ, hæresiarchæ, seductores omnes, tanquam illius Ministri. De illis conqueritur Dominus; *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Sicut nec Dominus Satanam mittit per orbem vt seducat & perdat, tamen hunc peruagatur, quærens quem deuoret. Impudentiam quoque pseudoprophetarum his verbis arguit: *Dicunt pax, pax, & non est pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. Et populo ab his seducto exprobratur: Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere.* Et hoc sæculo conspicimus hæreseôn ministros & satellites, in ore atque oculis Ierem.23. Ierem. 6. Ierem. 3.

omnium de imposturis, mendacijs, & falsitatibus conuictos, in eisdem nihilominus perseuerare; imò tanquam victores, satanica planè impudentia, gloriari. In istis etiam completur, quod de sæculi sui hæreticis scripsit diuus Bernardus: Nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt: nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt. Probatum est, mori magis eligunt, quàm conuerti.] Quid mirum, cùm Pharisæi, Iudas, Iudæi frequenter à Christo de impietatibus conuicti sint, non emendati? Simon, Nicolaus, Ebion, Cerinthus, Manes, Marcion, Arius, alij hæresiarchæ in peccatis suis mortui sint? *Non potest Æthiops mutare pellem*, ait Propheta, *nec Pardus varietates.* Et Sapiens: *Nemo corrigere potest, quem Deus despexerit.* Et apertissimè Paulus: *Impossibile est*, (id est, difficile & rarum) *eos qui semel illuminati sunt. & cetera. Et prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Rogemus itaque cum Dauide: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. & cetera.

Ser. 66. in Cant.

Ierem. 15.

Eccles. 7.

Heb. 6.

Psal. 50.

Quæstionem porrò mouet, eamdemque scitè & prudenter dissoluit peruigil pastor B. Gregorius, Cur dicat Dominus Satanæ: *Tu commouisti me aduersus eum frustra.* Cùm sit Deus iustus & verax, quomodo beatum Iob frustra afflixisse se indicat? Quia

L. 3. Moral. c. 2.

enim iuſtus eſt, fruſtra affligere non potuit. Sed rurſum, quia verax eſt, aliter non potuit dixiſſe, quàm fecit. Cognoſcamus (inquit) beatum Iob & iuxta aliquid fruſtra, & rurſum iuxta aliquid non fruſtra percuſſum. Non fruſtra percutitur, quia auget meritũ, & patientiæ cunctis datur exemplum: & tamen fruſtra percutitur, quia nullum punitur admiſſum. Fruſtra percuſſus eſt cui culpa nulla reciditur: & non fruſtra, cui virtutis meritum cumulatur.] Subnectit & hanc quęſtionem. Sed quid eſt quod dicitur: *Commouiſti me aduerſus eum?* Nunquid Satanæ verbis veritas accenditur, vt in ſubditorum ſuorum cruciatu inſtigetur? Quis hæc de Deo ſenſerit, quæ recto etiam homini indigna perpendit? Sed quia nos ferire niſi commoti neſcimus, ipſa diuina percuſſio Commotio vocatur: & ad noſtra verba, Diuina voce deſcenditur, vt eius factum ab homine vtcunque capiatur.] Hæc ille, quibus apparet, hominum more iſta de Deo dici, quaſi Deus alienis verbis ad aliquid faciendum aut permittendum commoueretur. Eodem modo refertur, eum *dolore cordis intrinſecus tactum dixiſſe, Pœnitet me feciſſe hominem.* Ac velut ingemuiſſe, dicendo: *Heu, conſolabor me ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quæ velut exponens beatus Auguſtinus, *L.* 1. *Confeſſ. c.* 4. *&* *L. Medit. c.* 24. ait: Pœnitet te, & non doles: iraſceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas conſilium.]

Gen. 6.

Iſa. 1.

Origenes & Olympiodorus illud *frustra*, non ad sancti Iob innocentiam referunt: sed ad vana & frustranea studia, moliminaque Satanæ; quibus nihil eorum consequutus est, quæ sperabat. Nec enim Iob blasphemauit, nec verbum vllum impatientis hominis pronunciauit, &c. Obsecramus te Deum omnipotentem, vt, &c.

HOMILIA DECIMA OCTAVA.

4. *Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, cuncta quæ habet homo,*
5. *dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi. Dixit er-*
6. *go Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.*

3. Reg. 21. Psal. 108. Sap. 6. Matth. 4. 13. 25.

INter multa malignorũ spirituũ infausta nomina, Diaboli vocabulum occurrit frequentiùs, tã in nouo quã in veteri

in veteri sũmi Dei cũ hominibus facto Testamẽto. Illud autẽ consequuti sunt à peruerso assiduoq; detrahendi, accusandi, criminãdiq; studio, quo nos, etiã si essemus puri ac innocẽtes, non cessãt corã Deo reos agere ac traducere, vt non ab eo relinquamur & reprobemur. Ipse verò nos tanquam sui iuris effectos, in æterna secum tormenta rapiat dum non erit qui eripiat. Hoc ipsum non solùm Ioannes, sed & beati omnes cælestesque spiritus & declarant, & magnis vocibus de cælo prædicant, gratias quantas possunt maximas Deo reddentes, quòd proiectus esset, *Accusator fratrum, qui accusabat illos ante conspectum Dei die ac nocte.* Istud omnium clarissimè probat & demonstrat hic locus historiæ beati Iob, quo refertur Satan rursum illum accusasse, & ad noua certamina, nouas calamitates, crudelioresque plagas postulasse à Deo. *Pellem pro pelle* inquit, q. d. Iterum iudicio tuo falleris, Altissime, quoniam non pietate Iob te rursum laudat. Calamitates acceptas non fert patienter, sed calidissimè fingit, atque grauioris mali formidine simulat, ne videlicet in carne propria crucietur. Facit instar eorum, qui pellem manuum obiiciunt pro conseruatione capitis & oculorum. Vel qui pallium relinquunt, vt corpus, vitaque seruetur. Pelles ouium, boum, seruorum, liberorum suorum parum curat, non amore tui, sed timore sui. Delicatulus ille adeo cuticulam curat, vt illico blasphematurus sit potentiam, sapientiam,

Luc. 4. 8.
Io. 6.8.13.
Apoc. 12.

iustitiam, æquitatemque tuam, si vel tantillum carnes & ossa illius attigeris. Quòd si per temetipsum id facere nolis, vtere me ministro, permitte vt tangam, & in eum vires meas experiar: tum me veracem comperies.

Primò hîc videmus, Satanam superiùs victũ & confusum, ad nouas conuerti calumnias, quibus sanctum Virum vexet, obruat, perdat. Priùs accusauerat eum hypocriseos & simulationis: nunc patientiam eius extenuat pro viribus. Non video (inquit) patiētiam eius probatam, quando & in gentibus incredulis hos inueniam mores, quæ vt vitam redimãt, ferrũ patiuntur & ignes. Si quis tempestate aliqua in
Ion. 1. mari periclitatur, omnia in pelagus abiicit vt
Act. 27. vitam seruet. Ita Iob oues, boues, camelos, seruos, liberos facilè contemnit, præ cute & vita sua. Quid igitur amplius facit infirmo patiēte ferrum & ignem; aut mercatore quopiam vitæ auaro?

At verò, ô Satan, Gentium quidem iustitia est pellem dare pro pelle: sed Deum verum in aduersis laudare, benedicere, ac eidem gratias agere, non nisi piorum ac electorum est. In aduersis Deo canebat Dauid: des-
1. Reg. perabat verò Saul. Tres pueri Deum lauda-
Dan. 3. uerunt proiecti in fornacē, blasphemauerunt combusti satellites. Latronum alter orabat
Luc. 23. de cruce: alter Saluatori conuiciabatur. Pe-
Matth. 27. trus afflictus cucurrit ad lacrymas: Iudas malæ conscientiæ surdo verbere flagellatus ad spontaneum properat laqueum. Illorum

autem sanctam patientiam & humilitatem imitari studeamus: istorum verò desperatam obstinationem & peruicaciam detestemur.

Nouas criminationes comminiscitur Satanas aduersus beatum Iob. Et veteres Ethnici & tyranni aduersus Christianos, priùs finem viuendi fecerunt, quàm calumniandi. Postquam enim infanticidia, id est, quòd infãtes in sacris mysteriis suis occiderent & vorarent, calumniati sunt: adiecerũt, quòd incestus, & promiscuos concubitus, extinctis priùs luminibus exercerent, ideoq; fratres sese mutuò salutarẽt & reputarent. Somniastis Caput asininum esse deum nostrum, (ait ad illos Tertullianus.) Hanc Cornelius Tacitus mendaciorũ loquacissimus, suspitionem in quinto historiarum, inseruit.] Alij commenti sunt, quòd Solem Deum nostrum veneraremur. Inde orta suspitio, quod ad orientem adoremus, & diem Solis, id est, Dominicam obseruemus.] Subiicit idem Tertullianus: Deos (inquitis) non colitis, & pro Imperatoribus sacrificia non impenditis. Itaque sacrilegij, & Maiestatis rei conuenimur.] Sed illico probat deos falsos fictitiosque fuisse: & Christianos Imperatoribus omnia bona precatos esse. &c.

Tertul. Apologet. c. 2. 7. 16.

Athenag. Arnob. Minutius. Euseb. Nicephor. Apologet. c. 10.

Cogitate etiam Carissimi, quanta sit malitia Satanæ, dum malè interpretatur, quod in Iob optimum erat. Nimirum facultatum amissionem, seruorum atque omnium liberorũ crudelissimã necem, forti & constanti animo ferre; aut stuporem, aut in suos crudelitatẽ, aut

denique nimium carnis suæ amorem & indulgentiam reputare. Ex quo iterum & ministrorum eius mores animaduertite; quibus bona à se non intellecta in malam partem interpretantur. Sic pios conatus Mosis, Eliæ, Ieremiæ, peruersi Aulici seditiones appellabant. Dauidis labores, affectationem regni vocabant. Christi miracula & benefacta, Beelzebulis opera interpretabantur. Ethnici videntes Christianos pœnitentes Sacerdotibus adgeniculari, vt à peccatis absoluerentur, aiebant, illos Genitalia eorum adorare. Manichæi (vt est apud beatum Augustinum,) pro religioso pioque Eucharistiæ cultu, accusabant illos, quòd Bacchum & Cererem adorarent. Vigilantius, Martyrum piam venerationẽ, idololatriam censebat. Quanta quæso vos, quamque pia & sancta impii Hugnostici in Catholicos malè interpretantur? rapiunt in calumniam? Deputant Antichristo & Satanæ, quæ tamen sunt Christi? Ille ergo, ille niquam, impiissimus Satan, qui virtutes & officia beati Iob, pro criminibus & sceleribus quondam habuit, adhuc viuit, adhuc viget, adhuc operatur in filiis & membris suis, & pios Dei seruos traducit. Adhuc mysterium iniquitatis operatur.

Minutius Felix, in Octauio.

L. 10. adu. Faustum.

2. Thess. 2.

Apparet insuper, Satanam non latere, vnicuique hominum ingenitum ac innatum esse magnum quendam carnis ac proprij corporis amorem, & vitæ humanæ affectum: quo fit vt pro illorum salute aduersus his contraria,

magno studio decertemus. *Nemo*, ait Apostolus, *vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam.* Carnis quidem vitia & praua desideria eius mordicanda sunt & coercenda: sed ipsa substantia eius, velut opus atque donum Dei, amanda & fouenda est. Et vitæ quidem seruandæ studium comperimus in sanctis patribus Iacob, Mose, Dauide, Elia, & Prophetis, hostes suos procul studioseque fugientibus. Imò Christus, Petrus, Paulus, Apostoli, Martyres, quantum licuit fugerunt, latuerunt, à morte seipsos subduxerunt. Istis adde & hæc Tertulliani: Nihil Satanæ in seruos Dei viui licebit nisi permiserit Dominus, vt aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob, cui Diabolus nullam potuit tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem, nec in substantiam quidem eius, nisi Dominus dixisset: *Ecce, omnia quæ sunt ei, in manu tua do.* Denique, nec extendit, nisi postea quàm & hoc postulanti Dominus: *Ecce*, dixisset, *trado tibi illum*, &c.]

Eph. 5.

L. de fuga. 2.

Conspiciamus rursum, quàm truculenta & impudens bellua sit Diabolus iste. *Tange* (inquit) *os eius, & carnem eius.* Omni virtute tua percute, tunde, lacera, contere hypocritam istum. Non parcas capiti, non humeris, non pectori, non ventri, non visceribus eius. Sed neque satis est ei carnibus humanis saturari: nisi etiam in ossa & medullas nostras per-

uadat & sæuiat. Sic olim & organa eius tyranni & persequutores Sanctorum, in eos horrenda crudelitate sæuierunt, & velut non & ipsi homines essent, plusquam ferali rabie sunt bacchati. Babylonij namque flammis septemplíciter quam fieri consueuerat, in fornace accensis, tres iuuenes Hebræos tradiderũt. Leonibus fame priùs efferatis, Danielem vorandum dederunt. Isaiam serra medium secuerunt, vt Iudæis exprobrat Iustinus philosophus & martyr. Dionysium, Laurentium, & Vincentium, lento sub craticulis igne, torruerunt. Sub Diocletiano verubus candentibus per pudendas virorum & fæminarum partes adactis, aut Christũ Deũ negare, aut crudeliter mori compulerunt. Horum feritatem imitati tam Arriani quàm Nestoriani hæretici, puellis atq; matronis Catholicis vbera (ni fidem negarent) per arcarũ demissionem & contractionem euulserunt & disciderunt. Nostro sæculo, Elizabetha regina imperante in Anglia, in patibula suspensis Catholicis viris, moxque abscissis funibus, in terram demissis, adhucq; spirantibus, ventres ferro aperiuntur, & eruuntur è pectoribus corda, amputantur virilia, & in ignem proiiciuntur. In Francia, à Hugnosticis viui in terram, capite tenus deffossi sunt Sacerdotes, & sæuitum in eorum capita. Matronæ puluere tormentario impletis pudendis, igneque adhibito, disruptæ. Catholici alij cum imagine Christi crucifixi suspensi, sclopis petiti: alij in ora adactis bombardulis,

Euseb. l. 8.

Dan. 3. 6. 14.

In Dialogo. Metaphrastes. Nicephor. lib. 17.

Vide Theatrum crudelitatis hæreticorum.

plumbo enecati: alij fame confecti: alij viui excoriati: alij pedibus tandiu suspensi donec deficerent, &c. Atque hæc crudelitas & rabies Satanæ, in seruos Dei veri, per ministros & satellites suos, cunctis sæculis perpetuata.

Et hoc quoq; ex postulatione Satanæ notandum, quod etiam si semel, ac iterum illum peccata suadentem repulerimus ac vicerimus, non minori studio atque vigilantia nobis opus esse, vt quartò & quintò redeunti resistamus. Quandiu enim hic viuitur, vincitur quidem, sed non totus conteritur, reditque nonnunquam septem aliorum spirituum nequiorum quàm ipse est stipatus comitatu, & fiunt nouissima peiora prioribus. Nonne septies, imò & octies beatæ Saræ cubile petiuit, vt maritos eius præfocaret? Christum quoque semel, secundò, & tertiò adortus est? Quoties, quotque modis Paulum, Hilarionem, Antonium magnum, aliosq; Sanctos heremitas de sancto vitæ monasticę instituto auertere conatus est? Malignus & superbus spiritus (vt scribit B. Ephræm) vt in cunctis dominetur, singulis per vias suas laqueos tendit, Sapienti per sapientiam, forti per fortitudinem, diuiti per diuitias, &c. Idem Tractatu proximè sequenti, qui est de Morbo linguæ, ait de astutia Diaboli: Cùm hominem circunuenire studet inimicus, in quod vitium procliuior inclinet eius natura cumprimis considerat, vt dum suis ipse gaudet vinculis, ne exsolui quidem velit.] Præclarè quoq; B. Augustinus:

Luc. 11. Matth. 9. Tob 3 & 6. Matth. 4. Hieron. Athanas. Palladius. Tractat. de euersione superbiæ.

Versutus est hostis noster & tortuosus, nec facilè deprehendi possunt circuitus viæ eius,
1. Cor. 10. nisi tu Domine, illumines. Nam nūc hîc, nunc illic, nunc agnum, mox lupum, nunc tenebras, mox lucem in se ostendit. &c.] Hoc tamen nos iure soletur, quòd serio inuocatus Deus, adiutor in opportunitatibus præsto aderit: nec nos sinet tentari supra id quod poterimus. Nouit enim quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Rursum, cùm postulat Cacodæmon, *Tange os eius & carnem eius, & tunc benedicet tibi*, cernimus nequissimum aduersarium frequenter abuti nostra carne, nostro corpore, nostris membris & sensibus, tam externis quā internis, tanquam armis & machinis, quibus nos impetat, vincat, prosternat. Equidem vel corporis voluptatibus, vel blandimentis carnis decipere ac emollire studet animum ad lasciuias, prauasque cupiditates & desideria; vel doloribus & tormentis ad iram, impatientiā, diuinæ bonitatis ac prouidentiæ contemptū
Rom. 7. prouocare. *Ideirco B.* Paulus: *Scio enim quod non habitet in me, hoc est in carne mea bonum.* Et de vniuersis aliis: *Si secundum carnem vixeritis, mo-*
Rom. 8. *riemini. Caro concupiscit aduersus spiritum.* Ideo salubriter monet B. Nazianzenus: Hostē nos
Gal 5.
Orat. 1. internè oppugnare, ac nobismetipsis tanquā armis, in perniciem nostram vti, vt morte nos afficiat.

Quid verò est, requireretis à me, quod blasphemiā in Deum à Iobo extorquere tam per-

tinaciter, tamque animosè contendit? Nam & in primo cõgressu, facultates & liberos eius perdidit, vt ad blasphemiam illum impelleret. Nunc ad eundem scopum & hastam & sagittam illum collimare videmus. *In faciem benedicet tibi*, ait. Id est, palam maledicet, execrabitur, blasphemabit. Gaudet ne eiaculatis in Deum Satanas blasphemiis? Gaudet sanè, quantum nequam ille gaudere potest: cùm illi tribuitur, quod Deitati eius repugnat: vel negatur & detrahitur, quod propriè conuenit. Quod quàm graue ac exitiabile peccatum sit vel ex eo satis liquet, quòd huic primo & magno præcepto aduersatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Et huic alteri: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*: Et quòd blasphemos iussit Deus in lege sua lapidibus obrui. Rursum, quòd Euangelium adfirmet, peccatum blasphemiæ non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quod exponens B. Augustinus scribit: Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. Et B. Hieronymus: Blasphemia veniam non meretur. *Apologia aduersus Ruffinum.* Et alibi: Nihil est horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum. Omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ, leuius est.]

Exod. 10. *Deut* 5. *Luc.* 10. *Matth.* 22. *Leuit.* 24. *Matth.* 12. *Mar.* 3. *Augnst.* *Hieron.* *Com in c.* 18. *Isaia.*

Nec silentio prætermittendum, quàm opinione & iudicio suo falsus & deceptus fuerit Diabolus. Non enim putabat sanctum Iob esse tam constantis & fortis animi, tantaque pre-

ditum patientia, vt sine blasphemiis in Deum, tam acerbos corporis dolores ferre valeret. Iccirco tam audacter quàm impudenter dicit Domino: *Videbis quod in faciem benedicet tibi.* Quasi d. Quocunque supplicio me postea affice, duplica, & multiplica super me gehennas tuas quantum voles, nisi eum ad publica in te maledicta iacienda compulero. Iobi ergo patientia, & in Dei timore & amore perseuerantia, longè maior fuit Satanæ opinione atque sententia. Simili modo Dominus iis, quos ad sacra vocat pro gloria nominis sui aduersus Satanam & mundum certamina, maiorem etiam opinione eorum, confert virtutem, patientiã, & constantiam: vt etiam plurimum se victores euasisse demirentur. Dauid semel desperans se
1. Reg. 23. euadere posse manus Saul, indeque mirabiliter liberatus, præ admiratione canit: *Prodigium*
Ps. 70. *factus sum multis, & tu adiutor fortis.* Quan-
Gen. 32. 33. to tremore & pauore Iacob trepidauit effugere manus Esau fratris sui? Euasit tamen (Dei ope) incolumis? Multos quoque legimus, viribus suis diffisos, in solitudinib9 & cauernis terræ seipsos abdidisse, ne incidentes in manus Persequutorũ, tormentorũ acerbitate & multitudine, ad negandum Christum adigerentur: qui postea deprehẽsi, eadem magno animo superarunt. Hinc B. Augustinus ad Deum: Tu es dulcedo inæstimabilis, per quam contra amara dulcorãtur. Tua enim dulcedo, Stephano lapides torrentis dulcorauit. Tua dulcedo, craticulam beato Laurentio dulcem fecit. Pro tua dul-

Victor. Vticensis. Metaphr. Nicephor. Solloq. c. 22. Art. 7. Ambros. Metaph. August. Art. 5.

cedine, ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andræas seruus ad crucem. Apostolorum principes, hac dulcedine repleti vnus eorũ crucẽ elegit, alter caput supponere non timuit, Bartholomæus propriã pellẽ dedit. Veneni poculũ intrepidus Ioannes potauit. &c.] Sed iam satis de Satanæ postulatione attendamus Domini responsum. *Abdias. Isidorus.*

Illud est: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.* Superiori certamine Iob ad grauius subeundum factus idoneus & virium eius conscius, Dominus iterum Satanæ acquiescit: lege tamen præscripta, ne videlicet animæ eius, aut vitæ, aut denique rationis vsui eius, noceat. Ecce inquit, corpus illius, vt postulas, pelles, ossa, neruos, carnes, medullas, vires humanas, tuæ potestati concedo ac expono, vt ea sicut voles, & quantum voles affligas, excrucies, & rabidam crudelitatem tuam exerceas: ita tamen vt eum non interficias, neque ab eo rationis vsum auferas, quo tecũ pugnet: imò tam fortiter tibi repugnet, vt gloriosissimum de te referat triumphum: tu autem de illius virtute & patientia perpetuam confusionem ac ignominiam. &c.

Superiùs rationes attulimus, cur potestas in Iob data fuerit à Domino: hîc primùm adiiciamus, quòd Chrysostomus ac Olympiodorus notant. Nimirum Deum eidem permisisse vt & in carnes & ossa Iusti sæuiret, ne Satanas iste caperet Deum, quòd cum clementia, in- *In Catena.*

Ps.88. dulgentia, & moderatione vulnus ipse sua manu inflixisset, ac molliùs tetigisset. Nouerat enim Deum esse φιλάνθρωπον, id est, amatorem hominum: eundemque dixisse: *Si dereliquerint legem meam, &c. Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Et de Salomone: *Si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* Id est, sicut homines castigant filios suos, non interficiunt eos. Et alius Propheta: *Cùm iratus fueris, misericordia recordaberis.* Quilibet igitur nostrum dicat cum Ieremia: *Corripe me Domine, in iudicio, & non in furore: ne forte ad nihilum redigas me.*

2.Reg.7. Habacuc. Paraenesi. 30.

Quod autem dicitur, *Animam illius serua.* Hæc expendens B. Ephrem, ait: Fieri non potest, vt qui in veritate Dominum diligunt, Diaboli dominio potestatique subiiciantur. Siquidem Diabolus agitare conatur atq; conuellere, sed euellere radicitus non valet. Quemadmodum & in Iob accidit, qui in manus quidem Tentatoris erat traditus: sed non ausus fuit tentator attingere ipsum propter tutelam Dei; quamuis etiam potestatem à Deo accepisset vtendi eo sicut voluisset, salua tamen anima iusti.] Sunt verò multi qui de hac humana vita, quæ effectus est animæ rationalis, alij autem de eadem ipsa anima rationali & immortali capiunt: & vtrique (quantum iudico) rectè. Primò quidem prohibetur Diabolo, ne Iobum occidat, id profectò per odium facturus, sicut septem viros Saræ, & sicut liberos, seruos-

Io.10.12. & 15.

que eiusdem Iobi:ni Deus prohibuisset. Vita igitur nostra non est in potestate tyrannorum, Sap. 3.
homicidarum, diabolorum: sed solius Dei, qui contulit, & seruat eam quandiu, quantumve expedit. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, &c.* Quoties Moyses, Iacob, Ioseph, Dauid, Elias, Prophetæ, & Apostoli, quæsiti ad necem; & tamen frustra? Christum non potuerunt tenere, & occidere Iudæi, quando nondum venerat hora eius.

Alij, in quibus etiam Rabbi Mose Ægyptius, de spiritu seu anima rationali, vnà cum facultatibus suis, intelligunt, quam *seruare*, id est sanam & integram relinquere, Hostis iubetur. L. 2. in Iob.
Ideo orationem istam Deo tribuit Origenes: Animam non quæsisti, animam ne tetigeris. Carnem & ossa petisti ea contere, & afflige. Terram tibi trado; Corruptionem habeto: terrenum vas confringe vt volueris: thesaurum & preciosissimam margaritam ne tetigeris. Meum plasma est inuiolabile, mea habitatio est incontaminata, Animam eius, quæ ad imaginem meam, quæ est imbuta incorruptibili sapientia, ne tetigeris. &c. Ex quibus, & aliis Gen. 2.
multis apparet, magnam esse coram Deo animarum nostrarum præstantiam atque dignitatem. 2. Mach. 7. Sap. 3. Matth. 12.
Nam immediatè ab illo, & è nihilo & immortales conditæ sunt, sicut Angeli: hinc ad eiusdem imaginem & similitudinem, & fidei, spei, caritatis, gratiæ, & gloriæ cælestis capaces: inde intelligēdi, liberè volēdi, nolēdi, & recordādi virtute præditæ. Iterum, vt has mūdaret à

peccatis,& ab inferis redimeret æternus Dei filius incarnari,crucifigi,& mori voluit. Beatissimos Angelos suos ad earum custodiam & defensionem deputauit. In harum gratiam, septem efficacissima instituit sacramenta. Vt in æternum seruentur Legem dedit, Prophetas misit & Apostolos,suumque Euangelium toto orbe prædicari iussit. Harum denique saluti præ cunctis rebus aliis omnibus studendum & inuigilandum esse præcepit, d. *Primum quærite regnum Dei. Hoc vnum est necessarium. Quid prodest homini,si totum mundum lucretur, animæ verò detrimentum patiatur?* Cùm nihil nobilius,sublimiusque sit Anima,scribit B. Ephræm, eius caussa curramus,satagamus, ac prōpti paratique simus quotidie. Ne in corporis cura vniuersum tempus nostrum insumamus:sed quādocunque corpus esurit, cogita & animam tuam suo hanc cibo necessario refocillari velle. Animam ergo foue,eamque haudquaquam desolatam famelicam-ve relinque.] An non ergo ter quaterque miseri,qui de animarum æterna salute aut parum,aut nihil sunt solliciti? qui fœdis, assiduisque peccatis eas contaminant,perdunt,suppliciis deputant sempiternis? Da ergo quæsumus omnipotens Deus,vt, &c.

Ps. 33. & 90. Iudith. 18. Heb. 2.

Matth. 6. Luc. 10. Matth. 16.

Ser. de compunctione animi.

HOMILIA DECIMA NONA.

7. *Egressus igitur Satan à facie Domini, percußit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad ver-*
8. *ticem eius. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.*

PAtientia, quæ est rerum arduarum atque difficilium voluntaria & diuturna perpessio, non minus ad iustitiam & salutem necessaria est, quàm vlla Theologicarum aut moralium virtutum. Imò verò multos inuenire licet, qui sine propria, personalique fide aut spe, sine vllis propriis operibus bonis, in cælis recepti & beati sunt, vt quatuordecim mille innocentes, quos in odiũ Christi trucidauit Herodes; & qui à mille & quingentis annis, accepto Baptismo, mox in Ecclesia decesserunt: sed non nisi priùs patientia in vteris matrum, in natiuitate, & in morte exercitati atque probati. Hanc Christus à discipulis & sectatoribus postulans, ait: *In patientia vestra poßidebitis animas vestras.* Iterumque dicit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,* *Mar. 16.* *Luc. 21.*

& tollat crucem suam. Et rursus. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Doctor quoque gentium prædicat: *Patientia vobis necessaria est.* Denique hortatur: *Per patientiam curramus omnes ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem* IESVM, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.*

Matth. 24. *Heb. 10.* *Heb. 12.*

Huius porrò virtutis exemplar omnium inter mortales nobilissimum & clarissimum, in B. Iobo nobis propositũ est: cuius in plurimis & grauissimis calamitatibus tanta fuit Patientia, tanta in pietate constantia, vt doctissimi ac eloquẽtissimi Patres fateantur ingenuè, nullis se verbis eam posse pro dignitate laudare & prædicare. Omnium inter mortales nobilissimum exẽplar, ideo istud esse dixerim, eò quòd Tertullianus & Cyprianus, magni certè viri, scriptis suis ostenderint, Deum ipsum præstantissimum summumque tolerantiæ toti mundo exemplum prębere, quando tam patienter fert infideles, ingratos, blasphemos homines, vasa iræ aptata in interitum. Nec modò fert, sed & in hos assiduè beneficus est, *Solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super iustos & iniustos*, & dissimulat peccata eorum ad pœnitentiam, nolens aliquem perire, &c. Mirabilem rursus Patientiæ typum obseruant in Christo, qui patienter tulit pro nobis ingratis hominibus incarnari, nasci, lactari, circuncidi, omnes humanas infirmitates subire, esurire, sitire, ieiunare,

Lib. de patiẽtia. I. de bono patientiæ. *Rom. 9.* *Matth. 6.* *Sap. 11.* *2. Petr. 3.*

iunare, fugere, tētari, tradi, capi, ligari, flagellari, damnari, crucifigi, denique mori cum incredibili patientia, vt suo nos exemplo ad eam virtutem animaret. Sed heu, quàm pauci post te, ô Domine, ait B. Bernardus, ire volunt, cùm tamen ad te peruenire, nemo est qui nolit; quia delectationes in dextera tua vsque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, ac non ita & imitari. Conregnare cupiunt, sed non cumpati. Non curant quęrere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non sequi. *Ser. 21. sup. cant.*

Sed ad patientiam Iobi reuertamur. Accepta à Deo facultate in corpus eius, *egressus est Satan à facie Domini*, cum suo liuore, odio, furore, & rabida nocendi voluntate. *Egressus est*, sine vlla Dei reuerentia, formidine, humanitate, aut commiseratione. *Egressus est*, omni crudelitate fremens & frendens in sanctum hominem Dei. Egressus tanquam leo rugiens è spelunca sua, & tanquam vrsa raptis catulis. Egressus est tanquam famelicus lupus aduersus ouiculam, & tanquam serpens veneno turgidus, vt illud in aliquem effunderet. Egressus est gaudens, qui nunquam ex quo de cælo preceps corruit, gauisus est; Lætus, qui nunquam lætatur, quòd ei liceret pro viribus suis aduersus sanctum Dei seruum sæuire. & cetera. O quàm terribilis & furiosus eius occursus? O qualis furor, & primus impetus?

Hoc etiam loco serio cogitandum, quemad-

modum non solùm vnus Satanas, sed & plusquam sexcenti alij occurrunt, rapiunt, excruciant animas reproborum de horum exeuntes corporibus, suæ tyrannidi relictas & in æternum expositas. Si Hebræi videntes copias Pharaonis insequentes, tanto terrore tremuerunt, vt insurgerent in Mosen: & Iacob timuit Esau cum quadringentis viris occurrentem sibi: Ionas rictum belluæ marinæ: Tobias crocodilum: nonne multomagis talis occursus est timendus & horrendus? Non perfunctoriè ergo, sed imo ex pectore orandum est: *Saluum me fac Domine, ne quando rapiat vt leo animam meam. Dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Deus meus, ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum intende. Non confundar in æternum, in iustitia tua libera me. & cetera.* Idcirco monet Iustinus martyr, sub mortem animas esse seriò commendandas Deo, ne malus genius eisdem noceat, sicuti Dauid & Christus exemplo suo reliquerunt, d. *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum.* Stephanus quoque moriturus clamauit: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Ad hæc scribit B. Ephræm: Venturi sunt Angeli, qui animam à corpore separatam accipiant, sistantque ante tribunal immortalis ac tremendi Iudicis. In illa hora præsentabuntur animæ sua quæ gessit opera. Impellentibus eam Angelis vt exeat è corpore, illa contuebitur sua opera, egredi

Exod. 10.
Gen. 32. & 33.
Tob. 6.
Dialog.
Psal. 39.
Iob. 19.
Act. 7.
Tractatu 2. *de beatitudinib.*

pertimescens. Cùm autem iam emigrare cogetur, dictura est ipsis: Concedite mihi vnius adhuc horæ spatium, donec egrediar. At cuncta opera respondebunt: Tu nos fecisti, tua opera sumus, tecum vnà ad Deum ibimus. &c.]

Hîc quoque obseruat Origenes, illos instar Satanæ, egredi à facie Domini, omnes qui nec Deum nec homines reuerentur, omnes impœnitentes, pertinaces in odio, malitia, aliis quibuscunq; peccatis. Omnes qui cõminatione de inferorum pœnis non terrentur; vt de fratricida Cain dicitur: *Egressus est à facie Domini.* Et de Iona perduelli scribtur: *Fugit à facie Domini.* Adam quoque reus delicti, abscondere se nisus est à facie Domini. Atque hic fructus peccatorum, hæc confusio & perturbatio conscientiæ multorum sibi peccatorum consciæ. Sed quò confugiunt miseri? Ait enim B. Augustinus: Qui te non habet placatum, non euadet iratum.] Et idem alibi. Nemo amittit te, nisi qui dimittit. Et qui dimittit, quò fugit, nisi à te placido ad te iratum?] Contrà verò, pij viri nihil carius habent, quàm faciem Domini intueri, vt Psalmista scribit: *Faciem tuam Domine, requiram. Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et timens omni modo eam amittere, d. *Ne proiicias me à facie tua, &c.*

L. 2. in Iob. *Gen. 4.* *Iona. 1.* *Gen. 4.* *L. Meditat. c. 30.* *L. 4. confess. c. 4.*

Satan porrò egressus, statim ea ipsa die & hora, aduolauit in domum beati Iob, & *percussit eum vlcere pessimo, à planta pe-*

dis, vsque ad verticem eius. Non dicitur quòd multis plagis eum affecerit, aut quòd capite vel humeris, vel aliqua singulari parte eum multauerit: quoniam vnum toto corpore erat vlcus, nulla pars sana vel libera. Vlcus erat pessimum extensiuè, quia per totum corpus effusum: ac intensiuè, quia in eo omnes morbi & dolores comprehensi. Nec tantùm superficiem corporis eius morbus occupabat, sed intimas partes & carnes penetrans, ossa quoque & medullas peruadebat, depascebat, cruciabat. Nullum erat membrum, nullus sensus exterior, qui non inæstimabiliter doleret, atque duriter affligeretur. Ipse verò tabefactis carnibus, & sanie horribiliter è singulis partibus effluente, omnibus horridus, & tanquam à Deo percussus & humiliatus habebatur, & ab omnibus deserebatur. Ille vix seipsum ferens, præ fœtore & imbecillitate, egressus foras, sub dio (exustis forsan ab hoste ædibus) sedit in sterquilinio, quo congerebantur hominum, iumentorumque stercora, ibique sedens ebullientem vndique saniem, testa, (quæ illi ad manum occurrit) è vulneribus radebat, & in fimum abiiciebat. Sic vir sanctus patientia firmatus, ne in tantis quidem doloribus & angustiis, vllam ostendit impatientiæ notam: sed magis magisque seipsum coram Deo humilians, in quiete ac omni demissione resedit. Nec tamen quieuit, quoniam tantum cruciabatur in capite, in oculis, in auribus, in

guture, in ore, in humeris, in pectore & brachiis, in visceribus & femoribus, in tibiis & pedibus, quantum efficere poterat tota vis & rabies Satanæ. Ad hæc, fame, siti, ardore per diem, frigore per noctem: & nullus succurrebat, nemo hominum consolabatur. & cetera.

Atque hæc quidem in genere dicta sint de morbo beati Iobi: nunc quædam in specie de eodem dicamus. Ac primò, attendamus quanto ardore nocendi feruebat Diabolus, qui statim vt concessum est illi, sanctum virum tam atrociter percussit. Nouerat Deum tam misericordem & beneuolum in genus humanum, vt aliquando reuocaret minas & flagella, cùm homines ad eum reuerterentur per pœnitentiam, iuxta illud: *Si pœnitentiam egerit gens, & ego pœnitentiam agam. & cetera.* Ierem. 18.
Comminatus fuerat Achabo, quòd à canibus voraretur: sed hoc pœnitente, dicit Dominus ad Eliam: *Non vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Quinetiam posteris frequenter indulget, in gratiam sanctorum parentum: vt non semel adfirmat habitantibus Ierusalem: *Protegam ciuitatem istam, propter me, & propter Dauid seruum meum.* Qua de re scripsit beatus Chrysostomus: Sæpe quando non est inuentus in præsenti vita iustus, propter defunctorum virtutem, viuentium miseretur Dominus. Dauid qui tot annos ante migrauerat è vi-

3. Reg. 21.
3. & 4. Reg.
Ho. 41. in Gen.

ta, hic author fit salutis his, qui sua se se perdiderant desidia.] Quoties disperdidisset to-
Psal. 105. tum Israelem propter scelera eius, si non Moyses electus eius stetisset in conspectu eius, vt auerteret iram eius? Ad Iobum redeamus.

Attendamus quis percutitur, & à quo percutitur. Percussus est Iob *vir simplex, rectus, recedens à malo*, & qui similem tunc non habebat in terra. Iob dignus qui amaretur & coleretur ab omnibus; nullis malum inferens, cunctis benefaciens. Iob, qui ob vitæ temperantiam non solebat infirmari, non esurire, aut sitire, non incedere nudus, non die vel nocte iacere in sterquilinio. Iob, cuius tormenta referuntur, non audiuntur peccata. Iob, quem etiam Deus ipse coram Angelis suis celebrat in cælis. Iob, qui omnem beneuolentiam & benedictionem expectabat à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Conqueritur ergo:
Cap. 30. *Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.*
Mat. 5. Quid enim aliud vir misericors, à Deo sibi promittere potuisset, quàm misericordiam?
Cap. 16. Ecce verò grauissima flagella. *Ego ille quondam opulentus*, ait, *repente contritus sum; &c.* Sic & Ieremias miserè plangit: *Expectauimus pa-*
Ierem. 8. & 14. *cem, & non est bonum: & tempus curationis, & ecce turbatio.* Oportet ergo grauissimos & acutissimos fuisse hos dolores, de quibus tam amaræ sunt querelæ.

Discant ergo boni & iusti viri, non deficere animis, non desperare de Dei bonitate & misericordia, quasi aut hos despiceret, aut haberet odio, cùm ab ipso corripiuntur. *Quem enim diligit Deus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Ipse etenim ait: *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Istius consilij diuini hanc rationem assignat Paulus: *Dum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Demum, beatus Hieronymus tristitiam amici sui Castrutij leniturus, scribit ad eum, beatos Patriarchas Isaac & Iacob aliquando cæcos fuisse: sanctissimum regem Iosiam Ægyptio mucrone interfectum: Petrum & Paulum summos Apostolos Neronianum gladium cruentasse: Christum sustinuisse ignominiam crucis: Iob virum sanctum & immaculatum plurima & grauissima passum. Denique concludit: Nequaquam eos putandum beatos, qui felicitate huius sęculi & delitiis perfruuntur. Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus.

Heb. 12. *Apoc. 3.* *1. Cor. 11.* *Epist. ad Castrut.*

Ex hoc quoque loco rectè iureque colligit Martinus Delrio vir perdoctus, Auicennam, Galenum, Hippocratem, & Pomponatium, à vero aberrare, dum opinantur, morbos nullos per Dæmones mortalibus inferri posse. Nam Satanas sibi permissus, Iobum percussit vlcere pessimo: seruos, & Liberos eius omni crudelitate peremit: septem viros Saræ horrendum in modum occidit: Saülem, Corinthium

Disquit. Mag. l. 3. § 5.

fornicatorem, Hymenæum & Alexandrum blaſphemos, corporibus diuexauit: Ægyptios grauiſſimis plagis diuexarunt Angeli mali: Satanas decem & octo annis incuruauit fæminam, quam Chriſtus ab infirmitate ſua curauit:
Luc 13. Math. 9. poſſeſſum alium ſurdum effecit & mutũ: quoſdam epilecticos faciunt, alioſque lunaticos. Quibus omnibus ex ſacris clarum & certum efficitur, Malignos ſpiritus omnium penè malorum auctores eſſe.

Secundò, percutitur à Satana, hoſte nimis fero, immani, perfido, violento, truculento, lethifero, & quo non pernicioſior aut crudelior alter: ſi ab amicis, notis, familiaribus inflictum vulnus fuiſſet; aut à cauſa naturali natum vlcus æquiore animo tolerandum quidem; ſed ab hoſte tam infeſto, odioſo, & acerbo percuti, penè intollerabile. Prouerbio enim Hebræo dicitur: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm oſcula blandientis*, &c. Ex quibus videmus Deum aliquando vti opera Dæmonum, vt vel impios plectat & puniat, vti vſus eſt in Ægyptios quãdo miſit decem plagas grauiſſimas *per angelos malos*: & Paulus quoſdam Satanæ tradidit corpore cruciandos: interfecit Aſmodæus ſeptem viros Saræ. Spiritus malus mentitus eſt in ore omnium pſeudoprophetarum regis Achab, &c. Eorundem quoque miniſterio vti, vt Sanctos homines vel probet, vel exerceat. Etenim Paulus nihil dubitat fuiſſe angelum Satanæ, qui eum colaphizabat; id eſt, quodam dolore corporis vehementiſſimo

[Margin notes: Prouer. 27. — Exod. 12. Pſ. 77. 1. Cor. 5. 1. Tim. 1. — 2 Cor. 12.]

affligebat, vt est B. Augustini sententia: aut certè, iuxta B. Hieronymum, acerbus capitis morbus, ne magnitudo reuelationum illum in superbiam extolleret. Ne extolleretur tanquam iuuenis (ait beatus Augustinus) colaphizatur tanquam puer.] Et Glossa moral. Sic permittit Deus aliquando bonum Prælatum vel Doctorem affligi grauiter, non solũ in subditis & temporalibus bonis, sed etiam in propriis personis, quantum ad corpus. Conterat Dominus hunc Satanam sub pedibus nostris. *In Psal. 130. in c. 4 ad Galat.*

Et quantum quidem ad speciẽ attinet morbi Philippus præsbyter, B. Hieronymi discipulus, refert quosdã existimasse elephantiæ morbum fuisse. Idem exponens hæc Iobi verba: *Conuulnerauit lumbos meos, effudit in terrã viscera mea*, dicit: In lũbis vulneratis, & effusis in terrã visceribus, hoc intelligendũ puto, quod non solùm foris toto corpore computruerat: verũ etiã totus intrinsecus putredinis sanie liquescebat, ita vt & ipse Iob diceret: *Halitum meũ exhorruit vxor mea*. Morbo quoq; dysentierico se percussũ esse significat. Chrysostom⁹ quoq; ait, Plagam sancti viri non aliud fuisse, quàm fœdam quandam totius corporis corruptionẽ. Origenes paulò latiùs morbũ exponit, d. Percussit Satan Iob plaga sæuissima, lamentabili, vrenti, affligenti, flagranti, incendenti, omne supplicium in se habente, & putredinem, & vermes, & ossium diuisionem, & neruorũ fatigationem, membrorum debilitationẽ, ac totius carnalis compaginis passionem atque do- *Philippus. Iob. 16. Iob. 19. Chrysost. Origen.*

lorem. Nam ſicut nullũ membrorũ corporis prætermiſit malignus illæſum: ſic identidem nullum dereliquit ſupplicium, neque pœnam, neque dolorem, quem huic plagæ non cõmiſcuiſſet. Propterea autem vna plaga memoratur, quia totum corpus iuſti illius, & omnia mẽbra eius vno contexit vulnere, atq; ad vnũ conuertit dolorem.] Ex quibus ſemper colligendum aque meditandum, Patientiam illius fuiſſe maximam, ac ineffabilem.

Catena. Accedit, quod notant Origenes, Chryſoſtomus, Græci omnes, Iobum eiectum extra ciuitatem; fortaſſe, velut hominem peſtiferum, leproſum, à Deo percuſſum, eidem inuiſum, ac cunctorum ludibrio expoſitum: & ne alij ab eo inficerentur. Quod quàm graue & amarum viro honeſto & pio fuerit, ſatis indicant ſequẽtes eius querelæ: *Noti quoque mei recesserunt*

Iob. 6. *à me. Fratres mei præterierunt me. Venerunt vſque ad me & pudore cooperti ſunt.* Et poſtea: *Derident*

Iob. 30. *me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur. &c.*

Ad hæc, tantis affectus malis, *ſedit in ſterquilinio.* Non ſub tecto, non in molli culcitra ſed vt fœtidum cadauer, vt putredo, ſuper putredinem. Hoc etiam loco deſignans humanæ miſeriæ conditionem, qua ex magna gloria re-

Iob. 7. uertimur in puluerẽ & putredinem. Sic omnis homo putredo & vermis. Ita enim ait: *Induta*

est caro mea putredine, & sordibus pulueris, cutis mea aruit, & contracta est. Quasi putredo consumendus sum. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. Quasi dicat Attendite, omnes filij hominum, ex quantis diuitiis, opibus, & honoribus, ad quantam vilitatem, paupertatem, & miseriam cecidi. Inclinemus & nos ad sepulchra, (inquit B. Ephrem) & conditionis nostræ occulta perspiciamus. Ex cadaueribus permixtos ossium aceruos, craniaq; carnibus exuta, cum reliquis ossibus cernemus. Et hæc considerantes, nosipsos in illis velut in speculo quodam cõtemplabimur. Vbi iuuentutis flos & pulchritudo? Vbi venustus ille genarum color?] Et idem rursus alibi: Quando videris fæminam formosam, illustrẽ, diuitem, gratiosam, iucundã, cogita terrã esse, quod miraris: cinerem, quod te incendit, &c.

Iob. 13. *Iob. 17.* *L. de vita spirituali. c. 40.* *Tractat. adu. improbas mulieres.*

Præterea, non panno, aut linteo moliorẽ plagas leniebat: sed rudi & seuera testa saniem defluentem radebat & abstergebat. Sed cur, ô beate pugil & miles Dei, sic plagas auges, & multiplicas dolores atq; cruciatus? Quia toto corpore sauciatus & cruentatus, animo tamen nõ deficio, sed integra fide, firma spe, perpetuaque caritate Deo meo adhæreo, ac eundẽ inuoco & glorifico. *Sit nomen eius benedictum.* Deinde, etiam sic placet insultare Diabolo, vires eius contemnere, malitiam & rabiem eius irridere. Ecce ergo furiose Satana, ecce opes, seruos, liberos abstulisti: nec his contentus, totum corpus meum vno vulnere deformasti,

læsisti, corrupisti: nec habes amplius quid facias. Defecerunt frameæ inimici in finem. En ego testa dolores adaugeo, pilos euello, vestes abiicio, in fimo sedeo, in stercore iaceo: nec tamen Deum, patrem, & creatorem meum (qui hoc ad probationem meam, tuam verò confusionem permittit) blasphemo, aut eo dante, vnquam blasphemabo. Nullo vnquam dolore, nullo damno, ad hoc me impelles. Ne vltra ergo dubites de patientia mea. Nec de impatientia, vel de maledictis in eum à me cogitandis vel euomendis ampullas iactes, aut sesquipedalia verba. Etiam si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.

Quæ igitur nobis excusatio apud Deum, si in rebus minus secundis irascamur, clamemus, tumultuemur, aduersus Deum cogitemus, aut maledicamus ei? Dona ergo Domine, seruis tuis constantiam, patientiam, &c.

HOMILIA VIGESIMA.

9. *Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Qui ait ad*
10. *illam: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non susci-*

piamus? In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.



Irantur multi, nec abs re, cur Spiritus sanctus sacrarum Scripturarum præcipuus author, voluerit in eis describi, palam in Ecclesia legi atque prædicari, non solùm virtutes, & res præclarè gestas Sanctorum virorum ac mulierum; sed etiam lapsus, & peccata, quibus & seipsos commaculauerunt, ac æternæ damnationis periculis sese exposuerũt. Initio namque sacrorum Bibliorum Adæ & Heuæ superbia, infidelitas, ac perduellio refertur, quibus Diabolo potius crediderunt & obaudierunt, quàm Deo. Deinde memorantur ebrietas Noe, Lot incestus, Saræ risus, Mosis dubitatio, Aaronis & Mariæ murmur, Dauidis adulterium, Ionæ rebellio: In historia quoque noui Testamenti idem seruatur ordo, quãdo describitur incredulitas Zachariæ & Thomæ, lapsus Magdalenæ, negatio Petri, fuga & scandalum Apostolorum. Fusissimè quoque scribitur, quomodo Paulus spirans minas & cædes in Discipulos Domini, non contentus præfuisse lapidationi B. Stephani, pergebat in Damascum, vt Christianos, aut negare Christum compelleret: aut vinctos perduceret in Ierusalem puniendos. Ideoque propria ipse confitens peccata scribit: *Non sum dignus vocari Apostolus, quia blasphemus fui & persecutor,*

Act. 9.

1. Tim. 1.
1. Tim. 1.

Christus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, &c.

In horum catalogum lubens refero Dinam vxorem beati Iob, quæ tandem fracta tot malis & calamitatibus, discruciata liberorum omnium iactura, mariti quoque vexata diuturno morbo, abiectione, vilitate, paupertate, & pudefacta mendicitate, tentationeque Diaboli tandem superata, aduersus illum insurrexit, & impatientia muliebri, dixit: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Qua in re, & multipliciter, & grauissimè profectò tam in Deum, quàm in proximum, & hunc maritum sibi à Deo datum, peccauit. Sed de his copiosiùs & particulariùs dicemus, mox vt ex sanctis Patribus rationes designauerimus, cur Spiritus sanctus voluerit huius & aliorum peccata scribi, legi, prædicari.

L. 4. c. 45. Clem. lib. 2. constitut. c. 21. Primò (ait beatus Irenæus martyr) non vt hæc quis exprobret illis, (vti faciebant Marcionitæ postea Manichæi, & hoc tempore Hugnostici,) quoniam Deus iam diu illis condonauit & iustificatos saluauit: sed vt discamus peccata numquam Deo placere, sed summopere displicere, à quocunque committantur. Deinde, conspiciamus totius naturæ ac speciei nostræ humanæ generalem corruptionem tantam esse, vt nullus sit natura iustus, nemo mundus à sorde: sed omnes peccatores, ac egentes gratia Dei. *Sensus quippe & cogitatio humani cordis prona*

Rom. 3. 5. 7.
Gen. 6. & 8.

sunt ad malum ab adolescentia sua. Et Psaltes ait: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt*. Serio igitur dicendum: *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Et cantandum: Quoniam tu solus Sanctus. Ab omnibus sanctis petendum non humilitatis mendacio (ait beatus Hieronymus) sed veritatis iudicio, *Dimitte nobis debita nostra*. *Psalt. 1 & 54.* *Matth. 19.* *Dialog. adu. Pelagianos.*

Secundò, sanctorum periculis & lapsibus admonemur cautiores atque prudentiores esse ab omnibusque peccandi occasionibus diligentiùs cauere, vt non corruamus. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Rectè ergo beatus Iustinus martyr ait: Prodest nosse conuersationes à recto alienas, ne quis improuidus in eas incidat. Ceciderunt primi parentes credendo diaboli mendaciis, superbia, ambitu, caueamus ab iis rebus. Peccauit Dauid otio, & aspectu libidinoso; hæc fugiamus. Dicamus: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Desiderium malignum longè fac à me. &c.* *Eccli. 3.* *Orat. paraenetica.* *Ps. 118.*

Tertiò, vt docet Chrysostomus, referuntur Sanctorũ delicta, vt horum exemplis discamus, fructibus pœnitẽtiæ operã dare: & nequaquã desperare, si quãdo lapsi fuerimus. Si secuti sumus errantes & peccantes, sequamur resipiscẽtes atq; serio pœnitentes, cõfisi de simili venia & misericordia. In adulteriũ vel homicidiũ lapsus es? Cerne Dauidẽ ad superiora scelera nũ- *In Ps. 50.* *2. Reg. 12.*

Psal. 37. quàm redeuntem lacrymis stratum suum per singulas noctes rigantem, confitentem, ieiunantem, inimicis suis parcentem, & aduersa quæque patienter ferentem &c. Et hactenus de his: iam ad vxorem B. Iob redeamus.

Quærunt porrò, Cur non simul cum seruis & liberis perierit hæc fœmina? Responsio in promptu est, potestatem in eam Satanas nec petierat, nec acceperat: deinde, vel medicando, vel operando; temporibus calamitosis virum vtcunque alebat: denique eidem pepercit Satanas, vt eius opera (si aliàs nequiret) Iustum tandem prosterneret, & ad defectionem velut omnium postrema & valentissima machina, deiiceret. Scribit namque Origenes: Vxorem solam de omnibus nequissimis Diabolus superesse voluit, vt hac nouissima vteretur pro Iob seductione atque subuersione. Siue enim Deus præcepit hanc reseruari, ne secundā ducere iustus ille opus haberet: siue diabolus hanc consecrauit, vt ministram iniquitatis suæ, vt hāc haberet pro vltimo Iob laqueo, vt postquam per omnē rem desperaret, tūc per vxorem Iustum perderet, sicut sperabat. Quo aspectu, ô viri, vel qua facie locuta est? Manifestum omnibus, quia non hilari vultu neq; læto aspectu, sed tristi, nubilo, flenti, omni miseria referto, & ipsa voce lacrymabili, dicit ad Iob: *Quousq; sustines? &c.* Ideo Nazianzenus vocat eam calamitatis cumulum, Chrysostomus accutissimum telum *aduersus Iob, & pugnandi instrumentum. Validissimam arma-*

Orat. in S. Athanas.

turam

turam Diaboli. Ephræm Syrus, *Malum malorum pessimum. Nulla commiseratione commotam, maritum in mortem tradidisse.* Origenes, Basilius, *In Catena. c. 2.* Didymus, Olympiodorus, Chrysostomus, Theodoretus, Græci omnes Septuaginta sequuti, hoc loco quædam addunt & legunt. Nimirum, Vxorem Iob labore, diuturnaque expectatione lassatam, Cùm multum tempus præcessisset, dixisse: Quoùsque sustinebis, dicens: Ecce expecto tempus, adhuc pusillum, præstolans spem salutis meæ? Ecce deleta est memoria tui à terra, filij, & filiæ vteri mei labores & dolores, quos frustrà sustinui cum gemitibus. Tu autem ipse in putredine sedes pernoctans sub dio. Et ego oberrans quædam, & ancilla de loco ad locum circumiens, & de domo ad domum, expectans Solem, quando occidat, vt requiescam à laboribus, & doloribus qui me vrgent. Dic verbum cõtra Deum: & morere.] Atque hæc non parum ad rem, aliquantisper verò ad excusationem iracundæ mulierculæ faciunt.

Ac Origenes eadem exponens, & quidem *L. 2. in Iob.* prolixè, sed eleganter, consilia studiaque Diaboli sic explicat: Cùm in laude Dei & patientia Iob perseueraret, nequissimus Diabolus obstupuit, expauit, desperauit, & semetipsum consumens dixit: Vbi est præsumptio mea? Vbi audacia? Vbi labor? Omnes sagittas pharetræ meæ euacuaui, & animam Iob non vulneraui. Filios eius perdidi, & sensum eius à Deo non præuaricaui. Rem eius familiarem

exterminaui, sed caritatem non extinxi. Carnem & ossa eius vermibus atque putredine consumpsi, sed fidem, spem, sinceritatem animæ eius non violaui. Quid igitur faciam adhuc illi, quod non feci? Conferam me ad seductionem. Forsitan, quod non valuit pœna, hoc efficiet seductio. Confugiam ad antiqua mea arma, per quæ Adam seductum supplantaui. Illic serpentem induens ad Heuam locutus sum. Habet etiam Iob vxorem, qua me induens, subtiliter per illam eum seducã. Cùm hæc apud se meditaretur Nequissimus, statim vxoris os ad suadendum aperire properauit, quod demonstrans hæc Scriptura, dicit: *Plurimo tempore interposito*, cùm Iob perseueraret, & non immutaretur: cùm in gratiarum actionibus persisteret deuotus, dixit ad eum vxor eius, imò, Diabolus per os eius locutus est. *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?*] Grauissima sanè tentatio est de cura & prouidentia Dei. Est enim sensus. Quousque stultus es? Putasne Deum curare mortalia? Nam si vel mica prouidentiæ rerum, aut curæ piorum in Deo esset, quî fieri posset, vt tam horrendi cruciatus tibi acciderent? Putasne pateretur Dominus, vt tam crudeliter affligereris? Quid Deum imploras? Quid perduras in simplicitate, imò in fatuitate? Deus sua curat: interim hominibus nec bene nec malè faciens. Sine igitur Deum, tu tua cures. Dic ei vale, & malorum finis erit, &c.

Gen. 3.

Colligit autem ex his Origenes, Diabolum per os huius fœminæ locutum fuiſſe, qui frequenter loquitur ad viros per os mulierum, ſubuertit viros per ora coniugum, atque ad mala concitat, ad odia, ad vltiones, ad calumnias, ad alienorum appetentiam, ad inuidiam, ad ambitum.] Adam per os Heuæ perſuaſus eſt, vt de fructu vetito comederet. Gen. 3. Samſon, vt ſecretum ſuum per Dalilam proderet. Iudic. 16. Salomon verbis vxorum ſuarum permotus, idolis ſuis templa erigeret. 3. Reg. 11. An non verè Diabolus loquutus eſt ad Ioſeph, per os Dominæ ſuæ: *Dormi mecum?* Gen. 37. Achab à Iezabele prouocatus, vt occideret Naboth? 3. Reg. Herodes incitatus per Herodiadem, & filiam eius vt caput Ioannis amputaret? Mar. 6. & cetera. Caueant itaque piæ fœminæ, ne Diabolo ſubſeruiant: ne Satanas linguis ſuis abutatur: & ne viris, quibus datæ ſunt in adiutorium ſimile ſibi, in ſcandalum ſint, vel ruinam ſempiternam, &c.

Hinc quoque noſcamus & deteſtemur plurimam & multiplicem Diaboli malitiam & aſtutiam. Per omnia ſiquidem inſidiatur, per omnia ſubuertere conatur, & per amicos, & per ſodales, & per vxores, quæ in Iob adimpleta ſunt, quem amici reprehenderunt, vxor verò ſubuertere niſa eſt. Horũ memores Prophetæ poſteriores dixerũt. Ierem. 9. *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat: & in omni fratre ſuo nõ habeat fiduciã, quia õis frater ſupplãtãs ſupplãtabitur.*

lorem. Nam ſicut nullū membrorū corporis prætermiſit malignus illæſum: ſic identidem nullum dereliquit ſupplicium,neque pœnam, neque dolorem,quem huic plagæ non cōmiſcuiſſet. Propterea autem vna plaga memoratur, quia totum corpus iuſti illius, & omnia mēbra eius vno contexit vulnere, atq; ad vnū conuertit dolorem.] Ex quibus ſemper colligendum aque meditandum, Patientiam illius fuiſſe maximam, ac ineffabilem.

Catena. Accedit, quod notant Origenes, Chryſoſtomus, Græci omnes, Iobum eiectum extra ciuitatem; fortaſſe, velut hominem peſtiferum, leproſum, à Deo percuſſum, eidem inuiſum, ac cunctorum ludibrio expoſitum:& ne alij ab eo inficerentur. Quod quàm graue& amarum viro honeſto & pio fuerit,ſatis indicant ſequētes eius querelæ: *Noti quoque mei receſſerunt*

Iob. 6. *à me. Fratres mei præterierunt me. Venerunt vſque ad me & pudore cooperti ſunt.* Et poſtea: *Derident*

Iob. 30. *me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur. &c.*

Ad hæc, tantis affectus malis, *ſedit in ſterquilinio.* Non ſub tecto, non in molli culcitra ſed vt fœtidum cadauer, vt putredo, ſuper putredinem. Hoc etiam loco deſignans humanæ miſeriæ conditionem,qua ex magna gloria re-

Iob. 7. uertimur in puluerē& putredinem. Sic omnis homo putredo & vermis. Ita enim ait: *Induta*

est caro mea putredine, & sordibus pulueris, cutis mea aruit, & contracta est. Quasi putredo consumendus sum. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. Quasi dicat Attendite, omnes filij hominum, ex quantis diuitiis, opibus, & honoribus, ad quantam vilitatem, paupertatem, & miseriam cecidi. Inclinemus & nos ad sepulchra, (inquit B. Ephrem) & conditionis nostræ occulta perspiciamus. Ex cadaueribus permixtos ossium aceruos, craniaq; carnibus exuta, cum reliquis ossibus cernemus. Et hæc considerantes, nosipsos in illis velut in speculo quodam cõtemplabimur. Vbi iuuentutis flos & pulchritudo? Vbi venustus ille genarum color?] Et idem rursus alibi: Quando videris fæminam formosam, illustrẽ, diuitem, gratiosam, iucundã, cogita terrã esse, quod miraris: cinerem, quod te incendit, &c.

Iob. 13. *Iob. 17.* *L. de vita spirituali. c. 40.* *Tractat. adu. improbas mulieres.*

Præterea, non panno, aut linteo moliorẽ plagas leniebat: sed rudi & seuera testa saniem defluentem radebat & abstergebat. Sed cur, ô beate pugil & miles Dei, sic plagas auges, & multiplicas dolores atq; cruciatus? Quia toto corpore sauciatus & cruentatus, animo tamen nõ deficio, sed integra fide, firma spe, perpetuáque caritate Deo meo adhæreo, ac eundẽ inuoco & glorifico. *Sit nomen eius benedictum.* Deinde, etiam sic placet insultare Diabolo, vires eius contemnere, malitiam & rabiem eius irridere. Ecce ergo furiose Satana, ecce opes, seruos, liberos abstulisti: nec his contentus, totum corpus meum vno vulnere deformasti,


læsisti, corrupisti: nec habes amplius quid facias. Defecerunt frameæ inimici in finem. En ego testa dolores adaugeo, pilos euello, vestes abiicio, in fimo sedeo, in stercore iaceo: nec tamen Deum, patrem, & creatorem meum (qui hoc ad probationem meam, tuam verò confusionem permittit) blasphemo, aut eo dante, vnquam blasphemabo. Nullo vnquam dolore, nullo damno, ad hoc me impelles. Ne vltra ergo dubites de patientia mea. Nec de impatientia, vel de maledictis in eum à me cogitandis vel euomendis ampullas iactes, aut sesquipedalia verba. Etiam si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.

Quæ igitur nobis excusatio apud Deum, si in rebus minus secundis irascamur, clamemus, tumultuemur, aduersus Deum cogitemus, aut maledicamus ei? Dona ergo Domine, seruis tuis constantiam, patientiam, &c.

HOMILIA VIGESIMA.

9. *Dixit autem illi vxor sua: Adhuc*
tu permanes in simplicitate tua? Be-
nedic Deo, & morere. Qui ait ad
10. *illam: Quasi vna de stultis mulieri-*
bus locuta es. Si bona suscepimus de
manu Dei, mala quare non susci-

piamus? In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.



Irantur multi, nec abs re, cur Spiritus sanctus sacrarum Scripturarum præcipuus author, voluerit in eis describi, palam in Ecclesia legi atque prædicari, non solùm virtutes, & res præclarè gestas Sanctorum virorum ac mulierum; sed etiam lapsus, & peccata, quibus & seipsos commaculauerunt, ac æternæ damnationis periculis sese exposuerūt. Initio namque sacrorum Bibliorum Adæ & Heuæ superbia, infidelitas, ac perduellio refertur, quibus Diabolo potius crediderunt & obaudierunt, quàm Deo. Deinde memorantur ebrietas Noe, Lot incestus, Saræ risus, Mosis dubitatio, Aaronis & Mariæ murmur, Dauidis adulterium, Ionæ rebellio: In historia quoque noui Testamenti idem seruatur ordo, quādo describitur incredulitas Zachariæ & Thomæ, lapsus Magdalenæ, negatio Petri, fuga & scandalum Apostolorum. Fusissimè quoque scribitur, quomodo Paulus spirans minas & cædes in Discipulos Domini, non contentus præfuisse lapidationi B. Stephani, pergebat in Damascum, vt Christianos, aut negare Christum compelleret: aut vinctos perduceret in Ierusalem puniendos. Ideoque propria ipse confitens peccata scribit: *Non sum dignus vocari Apostolus, quia blasphemus fui & persecutor,*

Act. 9.

1. Tim. 1.

1. Tim. 2.

Christus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, &c.

In horum catalogum lubens refero Dinam vxorem beati Iob, quæ tandem fracta tot malis & calamitatibus, discruciata liberorum omnium iactura, mariti quoque vexata diuturno morbo, abiectione, vilitate, paupertate, & pudefacta mendicitate, tentationeque Diaboli tandem superata, aduersus illum insurrexit, & impatientia muliebri, dixit: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Qua in re, & multipliciter, & grauissimè profectò tam in Deum, quàm in proximum, & hunc maritum sibi à Deo datum, peccauit. Sed de his copiosiùs & particulariùs dicemus, mox vt ex sanctis Patribus rationes designauerimus, cur Spiritus sanctus voluerit huius & aliorum peccata scribi, legi, prædicari.

L. 4. c. 45. Clem. lib. 2. constitut. c. 21. Primò (ait beatus Irenæus martyr) non vt hæc quis exprobret illis, (vti faciebant Marcionitæ postea Manichæi, & hoc tempore Hugnostici,) quoniam Deus iam diu illis condonauit & iustificatos saluauit: sed vt discamus peccata numquam Deo placere, sed summopere displicere, à quocunque committantur. Deinde, conspiciamus totius naturæ ac speciei nostræ humanæ generalem corruptionem tantam esse, vt nul-

Rom. 3. 5. 7. lus sit natura iustus, nemo mundus à sorde:

Gen. 6. & 8. sed omnes peccatores, ac egentes gratia Dei. *Sensus quippe & cogitatio humani cordis prona*

ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua. Et Pſaltes ait: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt.* Serio igitur dicendum: *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Et cantandum: Quoniam tu ſolus Sanctus. Ab omnibus ſanctis petendum non humilitatis mendacio (ait beatus Hieronymus) ſed veritatis iudicio, *Dimitte nobis debita noſtra.* Pſalt. 13 & 54. Matth. 19. Dialog. adu. Pelagianos.

Secundò, ſanctorum periculis & lapſibus admonemur cautiores atque prudentiores eſſe ab omnibuſque peccandi occaſionibus diligentiùs cauere, vt non corruamus. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Rectè ergo beatus Iuſtinus martyr ait: Prodeſt noſſe conuerſationes à recto alienas, ne quis improuidus in eas incidat. Ceciderunt primi parentes credendo diaboli mendaciis, ſuperbia, ambitu, caueamus ab iis rebus. Peccauit Dauid otio, & aſpectu libidinoſo; hæc fugiamus. Dicamus: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Deſiderium malignum longè fac à me. &c.* Eccli. 3. Orat. pareneтica. Pſ. 118.

Tertiò, vt docet Chryſoſtomus, referuntur Sanctorũ delicta, vt horum exemplis diſcam⁹, fructibus pœnitẽtiæ operã dare: & nequaquã deſperare, ſi quãdo lapſi fuerimus. Si ſecuti ſumus errantes & peccantes, ſequamur reſipiſcẽtes atq; ſerio pœnitentes, cõfiſi de ſimili venia & miſericordia. In adulteriũ vel homicidiũ lapſus es? Cerne Dauidẽ ad ſuperiora ſcelera nũ- In Pſ. 50. 2. Reg. 12.

Psal. 37. quàm redeuntem lacrymis stratum suum per singulas noctes rigantem, confitentem, ieiunantem, inimicis suis parcentem, & aduersa quæque patienter ferentem &c. Et hactenus de his: iam ad vxorem B. Iob redeamus.

Quærunt porrò, Cur non simul cum seruis & liberis perierit hæc fæmina? Responsio in promptu est, potestatem in eam Satanas nec petierat, nec acceperat: deinde, vel medicando, vel operando; temporibus calamitosis virum vtcunque alebat: denique eidem pepercit Satanas, vt eius opera (si aliàs nequiret) Iustum tandem prosterneret, & ad defectionem velut omnium postrema & valentissima machina, deiiceret. Scribit namque Origenes: Vxorem solam de omnibus nequissimis Diabolus superesse voluit, vt hac nouissima vteretur pro Iob seductione atque subuersione. Siue enim Deus præcepit hanc reseruari, ne secundã ducere iustus ille opus haberet: siue diabolus hanc consecrauit, vt ministram iniquitatis suæ, vt hãc haberet pro vltimo Iob laqueo, vt postquam per omnẽ rem desperaret, tũc per vxorem Iustum perderet, sicut sperabat. Quo aspectu, ô viri, vel qua facie locuta est? Manifestum omnibus, quia non hilari vultu neq; læto aspectu, sed tristi, nubilo, flenti, omni miseria referto, & ipsa voce lacrymabili, dicit ad Iob: *Quousq; sustines? &c.* Ideo Nazianzenus vocat eam calamitatis cumulum, Chrysostomus accutissimum telum *aduersus Iob, & pugnandi instrumentum. Validißimam armaturam*

Orat. in S. Athanas.

turam Diaboli. Ephræm Syrus, *Malum malorum pessimum. Nulla commiseratione commotam, maritum in mortem tradidisse.* Origenes, Basilius, Didymus, Olympiodorus, Chrysostomus, Theodoretus, Græci omnes Septuaginta sequuti, hoc loco quædam addunt & legunt. Nimirum, Vxorem Iob labore, diuturnaque expectatione lassatam, Cùm multum tempus præcessisset, dixisse: Quousque sustinebis, dicens: Ecce expecto tempus, adhuc pusillum, præstolans spem salutis meæ? Ecce deleta est memoria tui à terra, filij, & filiæ vteri mei labores & dolores, quos frustrà sustinui cum gemitibus. Tu autem ipse in putredine sedes pernoctans sub dio. Et ego oberrans quædam, & ancilla de loco ad locum circumiens, & de domo ad domum, expectans Solem, quando occidat, vt requiescam à laboribus, & doloribus qui me vrgent. Dic verbum cõtra Deum: & morere.] Atque hæc non parum ad rem, aliquantisper verò ad excusationem iracundæ mulierculæ faciunt. *In Catena. c. 2.*

Ac Origenes eadem exponens, & quidem prolixè, sed eleganter, consilia studiaque Diaboli sic explicat: Cùm in laude Dei & patientia Iob perseueraret, nequissimus Diabolus obstupuit, expauit, desperauit, & semetipsum consumens dixit: Vbi est præsumptio mea? Vbi audacia? Vbi labor? Omnes sagittas pharetræ meæ euacuaui, & animam Iob non vulneraui. Filios eius perdidi, & sensum eius à Deo non præuaricaui. Rem eius familiarem *L. 2. in Iob.*

exterminaui, sed caritatem non extinxi. Carnem & ossa eius vermibus atque putredine consumpsi, sed fidem, spem, sinceritatem animæ eius non violaui. Quid igitur faciam adhuc illi, quod non feci? Conferam me ad seductionem. Forsitan, quod non valuit pœna, hoc efficiet seductio. Confugiam ad antiqua mea arma, per quæ Adam seductum supplantaui. Illic serpentem induens ad Heuam locutus sum. Habet etiam Iob vxorem, qua me induens, subtiliter per illam eum seducã. Cùm hæc apud se meditaretur Nequissimus, statim vxoris os ad suadendum aperire properauit, quod demonstrans hæc Scriptura, dicit: *Plurimo tempore interposito*, cùm Iob perseueraret, & non immutaretur: cùm in gratiarum actionibus persisteret deuotus, dixit ad eum vxor eius, imò, Diabolus per os eius locutus est. *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?*] Grauissima sanè tentatio est de cura & prouidentia Dei. Est enim sensus. Quousque stultus es? Putasne Deum curare mortalia? Nam si vel mica prouidentiæ rerum, aut curæ piorum in Deo esset, quî fieri posset, vt tam horrendi cruciatus tibi acciderent? Putasne pateretur Dominus, vt tam crudeliter affligereris? Quid Deum imploras? Quid perduras in simplicitate, imò in fatuitate? Deus sua curat: interim hominibus nec bene nec malè faciens. Sine igitur Deum, tu tua cures. Dic ei vale, & malorum finis erit, &c.

Gen. 3.

Colligit autem ex his Origenes, Diabolum per os huius fæminæ locutum fuisse, qui frequenter loquitur ad viros per os mulierum, subuertit viros per ora coniugum, atque ad mala concitat, ad odia, ad vltiones, ad calumnias, ad alienorum appetentiam, ad inuidiam, ad ambitum.] Adam per os Heuæ persuasus est, vt de fructu vetito comederet. Gen. 3. Samson, vt secretum suum per Dalilam proderet. Iudic. 16. Salomon verbis vxorum suarum permotus, idolis suis templa erigeret. 3. Reg. 11. An non verè Diabolus loquutus est ad Ioseph, per os Dominæ suæ: *Dormi mecum?* Gen. 37. Achab à Iezabele prouocatus, vt occideret Naboth? 3. Reg. Herodes incitatus per Herodiadem, & filiam eius vt caput Ioannis amputaret? Mar. 6. & cetera. Caueant itaque piæ fæminæ, ne Diabolo subseruiant: ne Satanas linguis suis abutatur: & ne viris, quibus datæ sunt in adiutorium simile sibi, in scandalum sint, vel ruinam sempiternam, &c.

Hinc quoque noscamus & detestemur plurimam & multiplicem Diaboli malitiam & astutiam. Per omnia siquidem insidiatur, per omnia subuertere conatur, & per amicos, & per sodales, & per vxores, quæ in Iob adimpleta sunt, quem amici reprehenderunt, vxor verò subuertere nisa est. Horũ memores Prophetæ posteriores dixerũt. Ierem. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat: & in omni fratre suo nõ habeat fiduciã, quia oĩs frater supplãtãs supplãtabitur.*

Miche. 7. Alius quoque communem inter homines perfidiam detestans, ait: *Nolite credere amico; & nolite confidere in Duce: ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Et Christus in Euan-
Matth. 10. gelio, inter nouissimi huius sæculi incommoda refert: *Inimici hominis domestici eius.* Paulus denique conqueritur de periculis in falsis fra-
2. Cor. 11. tribus. Eheu, quot nouimus, etiam ex sacris in Ecclesia ordinibus, aliàs non impios, per improbas fæminas, impijssimos apostatas, & blasphemos euasisse? Nec mirum, quando ante multa sęcula horum, qui opera meretricum vel seducti, vel seduxerunt alios, catalogum
Epist. ad Ctesiphont. adu. Pelagianos. contexuit B. Hieronymus: Simon magus hęresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos animos sibi pręspararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius vt orbem deciperet, sororem Principis antè decepit. Donnatus per Africam, vt infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est. In Hispania, Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, &c.

Ephræm. B. Ephræm Syrus, Tractatum edidit aduersus improbas mulieres, in quo probat,

Nullam feram eſſe parem improbæ ac maledicæ fæminæ verbis Sapientis: *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Danielem leones veriti ſunt: at Iezabel Naboth occidit. Cete Ionam in ventre ſeruauit: Dalila Samſonem tradidit alienigenis. Dracones, & aſpides Ioannem in eremo timuerunt: Herodias decollauit. Corui Eliam ſuſtentarunt: Iezabel poſt beneficium pluuiæ acceptum, ad internecionem perſequuta eſt. Qui ignem de cælo ſolo verbo adduxit, & mortuum ſuſcitauit, mulierem timuit. O malum Diabolicum, & acutiſſimum telum! Iuſtum Iob propria vxor in mortem tradidit dicens: *Benedic Deo, & morere.* O mentem impiam! Viri viſcera ebulientium puſtularum, velut à carbonibus peruſta, & vniuerſam eius carnem vermibus coopertam videns, non eſt flexa ad commiſerationem. Æternum ſupplicium ipſi per blaſphemiam conciliare cupit, &c. B. Auguſtinus de hac ſcribit: Hoc erat neceſſarium, vt vxor ei reſeruaretur, non ad ſolatium mariti, ſed ad miniſterium Diaboli. Suggeſſit mulier blaſphemiam, ſed Iob non obtemperat, ſed recuſat. Adam in paradiſo Euam non repulit, repulit Iob vxorem in ſterquilinio. In ſtercore ſedebat Iob cùm flueret vermibus atque putreſceret, ſed melior Iob vulneribus plenus in ſtercore, quàm Adam integer in paradiſo.

Eccli. 25.

Eadem Chriſoſt. Ho. 15. in diuerſos.

3. Reg. 17. 18. 19.

4. Reg. 9.

Ser. 222. de temp.

Et reipſa officium eius fuiſſet, aliquandiu cum eo ſedere in fimo, aliàs mendicare vt vi-

uerent. Cum pijs fouere colloquijs, nuditatem eius parte vestimentorum contegere, compati miserijs, & generoso animo adhortari, vt æquo animo ferret præsentem miseriam, velut de manu Domini procedentem, & bene de illius beneuolentia confidere & bonitate, tam in hac vita quàm in futura, atque dicere: Domine mi vir, & caput meum, tu me honorasti coniugio, ad omnem virtutem verbo & exemplo docuisti, matrem multorum liberorum fecisti, &c. Nunquam te deseram, viuam & moriar tecum; vt particeps bonorum tuorum ita ero & malorum. Rogo ne concidas animo, nec propter amissa turberis bona temporalia: quando non sunt amissæ virtutes; facultates terrenæ deperditæ sunt, non cælestes. Sublati sunt liberi, sed receptæ animæ illorum in sinu Abrahæ, vbi & nos breui spatio recipiemur & consolabimur in æternum. Amissa est sanitas corporis, sed sanissima est anima. Corpus corruptum & deformatum vlcere & sanie, ego ipsa detergam, & Deus quondam gloriosissimum suscitabit. Serui & famuli desierunt: verùm, Angelos habes spectatores & testes, imò & Deum ipsum laboris & patientiæ coronatorem & premiatorem liberalissimum. Atque hæc & similia debuerunt esse piæ & fidelis matronæ erga virum optimum officia.

Postulat autem à nobis hic locus, vt quæ sint ea, paucis indicemus.

Primum est, vt pia fæmina virum suum assu-

mat tanquam sibi datum è manu Domini Dei omnipotentis, eundemque cognoscat, amet & vereatur, velut dominum, caput, & rectorem suum, atque perpetuum huius mortalis vitæ socium. Ita enim Heua suscepit Adamum è manu Dei, & illi adhæsit semper. Dixit namque & Christus: *Quos Deus coniunxit, Relinquet homo patrem & matrem, &c.* Et Doctor gentiũ prædicat: *Vxores subditæ sint viris, sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris, vt Christus Ecclesiæ.* Rursumque Dominus ad primam fæminam, pro cunctis alijs: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Gen. 3. Matth. 19. Gen. 3.

Secundum, verbo & exẽplo eum sollicitare ad pietatẽ & virtutem, vt tandẽ vterq; ad salutẽ perueniat. Sic enim sanctificatur vir infidelis per vxorẽ fidelem. Et beata Monica Patriciũ virum suum Manicheum, Christo tandem lucrifecit. Cecilia Tiburtium suum ad Christũ, Valerianumque perduxit. Et B. Petrus scribit: *Mulieres subditæ sint viris, vt si qui nõ credunt verbo, per earum conuersationem lucrifiant.* 1. Cor. 7. Aug. l. 9. Confess. Metaph. 1. Petr. 3.

Tertium, virum numquam deserere, sed mœstum solari, infirmum curare, etiam exulẽ comitari & fouere pro viribus. Ita enim Sara Abrahã in peregrinationibus suis nõ deseruit, Rebecca adfuit Isaac, Lia & Rachel Iacobum suũ sunt sequutę: Sephora adstitit Mosi, & Tobiã licet senem, cæcũ, exutũ bonis, semper fouit Anna sua. Beatissima etiã Deipara Ioseph sequuta est in Bethlehẽ, in Ægyptum, in Galilæam, in Nazareth, in templum, &c. Persequi, Luc. 1. 2. Matth. 2.

aut delicta huius vxoris curiosius explicare, vel exaggerare non est necesse: ideo ad sancti viri mox adhibitam correctionem accedamus.

Ait ergo ad eam: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es? Si bona suscepimus, &c.* Quidam ista interrogatiuè legunt, & in futuro, vt mitior sit & patientissimo viro magis digna redargutio. Huic fauent Septuaginta, quasi d. Nunquid & tu, quæ à sanctissimis Patriarchis originem trahis, quæ ab ijs rectè de Deo sapere & loqui didicisti, quæ hactenus vixisti mecum in timore Dei; nunc ab eo deficies, & loqueris quemadmodum stultæ ac Ethnicæ mulieres, quæ spem non habent? Absit, carissima Coniunx, absit, vt sic pergas loqui. Nequaquam enim ita, vt tu suades, Deo expedit maledicere. Enimuero illo largiente, bona hactenus & magna & multa cum gratitudine tu & ego suscepimus; mala ista pœnalia, & breuia, quæ ab eodem proficiscuntur, quare non similiter cum patientia & humilitate, ob illius reuerentiam non sustineamus? Non feremus crucem, quam imponit nobis? Paternam correctionem non admittemus?

Nec diffiteor tamen, aut reprehendo magnos sanè viros, putantes Iobum hæc cum stomacho dixisse simulq; iracundo vultu, trucique aspectu, ad vxorem conuersum, machinas quas per illam Satan dirigebat, aduersus se subuertisse. Illa certè expectabat (aiunt Basilius & Chrysostomus) dum lacrymarum

In Catena.

fontes cieret; hic autem valentior leone extitit, cùm non ob ea, quæ patiebatur mala; ſed propter ea, quæ vxor dæmonis impulſu ſuadebat, indignatione commoueretur, illam obiurgat. Non dixit tamen: Stulta es, atque amens: *ſed quaſi vna ſtultarum mulierum loquuta es.* Id eſt. Nihil te, nihil inſtitutione, diſciplinaque mea dignum attuliſti. Deinde, poſt obiurgationem, conſilium rurſus vſurpat, quod cùm plenum rationis ſit, ad vxoris animum leniendum haud mediocriter valet. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, &c.* Rerum ſuperiorum veniat tibi in mentem, & quis eorum fuerit author cogita: atque has, quæ nunc nos premunt, calamitates fortiter feres.

Ex his autem aduertenda eſt ſumma beati modeſtia. Non regerit maledicta, non pugna, non verbera, non plagas: ſed omni manſuetudine ſeruata, Coniugem agnoſcit, coarguit, docetque meliora ſapere & loqui. Sic & Tobias, inſultantibus vxore, vicinis, & amicis, patienter dicebat: *Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum ſumus, & aliam vitam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Poſtea cùm ſuſpirijs, lacrymis, feruentiſſimiſque precibus ſalutem ſuam Domino commendauit. Chriſtus quoque conuiciantes ſibi Iudæos magna ferens patientia, docebat: *Ego dæmonium non habeo. Ego facio opera patris mei.* Cùm malediceretur, non maledicebat. Conuerſus ad Patrem pro

Tob. 2. & 3.

Io. 8.

ijs orabat: simulque spiritum in manus eius commendabat. Et Paulus iubet, errantes in-
Gal. 6. struere in spiritu lenitatis.

Docemur quoque huius mundi & bona, & mala, id est, tam prospera quàm aduersa è manu Domini venire; non fortuitò, aut quadam cæca fortuna, quam Deam sibi finxerunt Ethnici dicentes. Te fortuna, deam facimus, cæloque locamus. Aduersa immittit; vt probemur: prospera, vt in bonis terræ, bonorum cælestium quendam gustum habeamus. Aduersa porrò, mala dicuntur, pro communi hominum opinione: non quòd reipsa mala sint, quoniam è manu Domini non venit malum sed ex diabolo, aut peruersa hominis voluntate, bonis Domini rebus abutente. Sic paupertates, infirmitates, afflictiones, bonæ sunt ac vtiles hominibus, si has cum patientia & humilitate tulerint: malæ autem, si cum murmurationibus atque blasphemijs. Crux sa-
L. 23. 40 lutaris fuit latroni credenti, patienti, oranti, blasphemanti verò, æterni supplicij initium.

Considerandum denique, hunc beatum virum ab omni ingratitudine fuisse alienissimum, quando non tantùm rebus secundis, sed etiam rebus aduersis voluerit Deo seruire: nũquam verò blasphemare. Tandem, insignem, diuinamq; planè fuisse eius constantiam atque patiẽtiam, cum tot aduersa tam externa, quàm interna, fortissimè sustinuerit. Rogemus Deum nostrum, vt, &c.

HOMILIA XXI.

11. *Igitur audientes tres amici Iob, omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.*

12. *Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus, sparserunt cinerem super*

13. *caput suum in cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eius esse vehementem.*

INter omnia opera bona, quæ Deus suo à nobis iure exigit, omni lege præcipere solet, ac magnificentiùs compensare repromittit, ea sunt opera misericordiæ, quæ infirmis, calamitosis, afflictisque cum pietate exhibentur. Legis etenim naturę primum maximumque pręceptum est:

Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos
Matth. 7. *facite illis.* Sed miseri effecti misericordiam & subsidium flagitamus ac exposcimus à proximis. Sub hac lege viuẽtes Abraham & Lot, istis pietatis operibus sic erãt addicti, vt etiam per vias & plateas obseruarent, si qui peregrini & pauperes occurrerent, illos in ędes suas colligerent, lauarent pedes, apponerent mensam, atque recumbentibus, ipsi ministrarent. Qua mercede? Quo putatis præmio? Vterque beatos Angelos sub hominum formis latentes suscepit. Hoc solùm? Minimè gentium. Sed ille, quòd futuri Messię, id est, Saluatoris & Iudicis totius mundi Pater futurus esset. *In semine tuo*, dixerunt, *benedicentur omnes gentes, Non in seminibus, quasi in multis* (obseruat Apostolus) *sed in semine vno, quod est Christus, audire meruit.* Iste verò, de Sodomæorum violentia, deque eorum horrenda prorsus subuersione liberatus; suis quoque meritis & precibus, Segoris vniuersos incolas ab incendio cælesti liberauit: *Ecce enim in hoc suscepi preces tuas*, ait Angelus, *vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es.* In lege autem Mosis tantæ curæ fuerunt Deo viri miseri & afflicti, vt singulari præcepto illos feliciter & prosperè agentibus Deus commendarit dicens: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, ideo præcipio tibi, vt extendas manum tuam fratri tuo & pauperi.* Rursumque præceperit, aut spicas excidentes manus metentium, aut racemos colligentium in vindemia, relinquere

Gen. 18. & 19.
Heb. 13.
Gal. 3.
Gen. 19.
Deut. 15.
Leuit. 22. & 23.

pauperibus atque peregrinis, vt benedice- *Psal.* 40. &
ret illis Dominus. Et per Prophetas suos dicit 111.
eos beatos, qui intelligunt super egenum &
pauperem? Qui miserentur & commodant.
Frangendum esurientibus panem, egenos va- *Isa.* 58.
gosque inducendos in domum. Ac in Euan- *Matth.* 5.
gelio idem ipse confirmat, Beatos fore mise- 10. 25.
ricordes. Qui dederit tantùm calicem aquæ
frigidæ, non amissurum mercedem suam. Se-
que dicturum tandem aliquando illis, qui hęc
præstiterint: *Infirmus fui, & visitastis me, &c, Venite ergo, &c.*

Hęc dixerim, propterea quod postremæ miseriæ, paupertatis, & prostrati hominis exemplar, hic beatus Iob nobis expositus & datus sit, quem caritate, pietateque naturali visunt tres amici, eidemque supra quàm dici aut cogitari potest, initiò compatiuntur & commiserantur. Is igitur breui tempore facultatibus cunctis spoliatus, seruis liberisque orbatus, graui, miserabilique affectus morbo: à ciuibus insuper, ciuitate eiectus foras, velut pestifer atque leprosus, iacebat gemens multis diebus & noctibus in sterquilinio, saniem, putredinemque plurimam, omni parte corporis diffluentem testa radens in fimum. Huius nec serui, si qui relicti essent, commiserebantur: sed (vt grauiter conqueritur) faciem eius conspuere, non verebantur. Sed *Iob.* 30.
neque vxor propria compatiebatur illi: contrà verò eum abominata, despiciebat, & virulentis verbis eundem ad tantam amaritu-

dinem cordis perducebat, vt de postrema desperatione tentaretur quidem, sed non vinceretur. Imò etiam, *Elegit suspendium*, mortis genus ignominiosissimum, *anima mea*, ait ille. Additque: *Halitum meum exhorruit vxor mea*, quæ vnum corpus, vnaque caro mecum esse debuit. Hunc itaque tres veteres amici visitant, eo animo vt solentur ac erigant eum, quod bonorum virorum officium fuit. Singula ordine perscrutemur.

Iob. 7.
Iob. 19.
Eph. 5.

Primùm, audierunt in locis ac prouincijs suis, à transeuntibus, serioq; & constanter referentibus, vniuersa, quæ viro & iusto acciderant. Nam terra, pontus, aër, ventorum spiramina, lamentabilem illam calamitatem, per omnes mundi partes ventilabant. Fama malũ quo non velocius vllum. Mobilitate viget, & vires acquirit eundo. Etenim clarorum virorum mala, vbique mox sparguntur. Celsæ grauiore casu decidunt turres, feriuntq; summos fulgura montes. Et quidam quidem compatiebantur, rerumque huius mundi inconstantiam considerabant. Plures verò irridebant & subsannabant, vt est distractum diuersa in studia vulgus. Bellua multorum capitum. Hac de re conqueritur: *Nunc derident me iuniores tempore. In eorum canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium. Abominantur me, & fugiunt à me.* Quæ quàm grauia sint, viro præsertim claro & honesto, cuius æstimare non est difficile.

Iob. 30.

Deinde, exponitur qui fuerint illi, viri ni-

mirum potentes & diuites, cùm ex Græca lectione Eliphaz dicitur Themanitarum rex: Baldad Suhitarum tyrannus: & Sophar Minæorum rex. Et alia Scriptura dicit, *Beato Iob insultabant Reges*: Non quod regna eorum putem, tantæ fuisse amplitudinis, quantæ nunc sunt regna Galliarum, Hispaniarum, Polonorum, vel Britannorum: sed quarumdam prouinciarum felicis Arabiæ, vt sunt in Germania Duces ac Comites. Erant quoque artis differendi, dicendi, ac totius Philosophiæ callentissimi, vt ex eorum orationibus apparet. Et quidem de hoc Elipha quidam scriptum volunt: *Peperit Ada uxor Esau, Eliphaz. Eliphaz filius uxoris Esau. Fueruntque Eliphaz filij, Themam, Omar, & cetera.* Atque hic fortassis est qui nomen huic prouinciæ dedit. In eadem Genesi, dicitur Abraham ex Cethura suscepisse Suah, à quo similiter alia regio nomen accepit, vnde Baldad Suhites dicitur. Minæi verò quorum Rex erat Sophar populi sunt Arabiæ, mari rubro adiacentes, qui primi commercium thuris fecêre: vnde ab ipsis thus ipsum Minæum dictum est, teste Plinio.

Tob. 2. Gen. 36. Gen. 25. Stephanus. Plin. l. 12. c. 14.

Cæterùm, amici dicuntur Iob, aut cõsanguinitate, aut virtute, aut certè (quod magis existimo) ex vtroq; idque nõ vulgariter quod ex visitatione, cõploratione, & diuturna cõsessione eorũ manifestũ est. Nazianzenus sincerissimos amicos vocat. Origenes, ex amicis, à Diabolo inimicos cõuersos esse censet. Aduentus

Orat. in sans Athan.

fuit amicus, ait Chrysostomus, non autem amica fuit adhortatio. Idque potius ex ignorantia, iudicat B. Gregorius, & ex fraude Diaboli, quàm ex malitia. Ac eo modo accipiendũ est, quod à B. Ambrosio scribitur, Amicos non ad consolandum venisse: sed ad exaggerãdum & acerbandũ dolorem. Tandẽ, quod doceãt, sanctos, quippe sanctissimi hominis amicos & familiares fuisse volũt Orig. Olympiod. Chrysost. atque magnus Grego. Præfationis, cap. 5. Nec eorum obstare potest pietati & veræ cum sancto Iob amicitiæ, quòd Iudæorum ac hæreticorum in Christum, ac Ecclesiã odij typum gesserint; quandoquidem & Ionas fugitiuus, & Dauid adulter, & Salomon idololatra, & Assuerus, & Hyran gentiles, eundem adumbrarint, vt copiosè docent B. Augustinus & Gregorius.

Lib. de interpell. Iob. c. 22.

Catena.

L. 22. contra Faust. c. 83.
L. 3. Mor. c. 5.

Hęc porrò amicitia non ollis aut patinis fuit conciliata, quando in aduersis æquè vt in prosperis perseuerat. *Sunt quidam amici mensæ* (inquit Sapiens,) *qui non permanent in die necessitatis*. Et alius: Tempore felici multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, nullus eris. In istis autem nihil potes initiò reprehendere. Condicunt enim tẽpus, seu contestantur, quo ipsi visitent & solentur eum. Non mittunt seruos, non agunt literis: sed ipsi relictis sedibus, negotijs, & remoramentis omnibus, conueniunt, seque mutuum cohortantur, & ad hoc caritatis officiũ constringunt, ne quis eorum in hoc opere cesset. Non aspernandũ ducũt in aduersis

Eccli. 6.

aduersis eum, quem in prosperis dilexerant. Amicitia verò, quæ tantùm propter commodum aut voluptatem contrahitur, non est stabilis sed miserum finem habet. Amnon filius David in tãtum Thamarem sororem deperiit, 2. Reg. 13.
vt ob eius amorem, decubuerit: eadem vi potitus, longè peius odio habuit, ac domo dehonestatem eiecit. Basilius magnus fictos amicos detestatus, hos similes dicit hirundinibus, quæ tempore æstiuo garritibus suis tecta fatigant, hyeme recedunt. Omni autem tempore diligit, qui verus amicus est: & frater in Eccli. 17.
angustiis comprobatur. Christus ideo d. Apostolis: *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Denique illos de constantia laudat: Io. 8.
Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, ideo dispono vobis regnum, &c. Luc. 22.

Nec solùm isti longa peregrinatione suscepta conueniunt; sed & magno serio rem gerunt. Initio autem videntes eum à longè non cognouerunt: ita enim omnem formam amiserat priorem, percussus vlceribus à planta pedis, vsque ad verticem capitis, & Satanico furore deformatus erat capite, facie, humeris, pectore, brachiis, toto corpore, & singulis membris, vt præ dolore & debilitate stare non posset, sed sederet in sterquilinio. Putas quanto stupore attoniti, accedentes propius, & agnoscentes, intra sese dicebant: Hiccine est sanctus & iustus Iob ille amicus noster, diues, potens, toto oriente clarissimus? O quantum mutatus ab illo! Et intra se gemē-

tes & suspirantes exclamant O miseria omniũ maxima! O rerum mundanarum inconstãtia? O Deus mirabilis in consiliis super filios hominum! O beati Angeli, istorum spectatores & testes! O flammæ cælestes, quomodo cecidistis! O prædones, quibus manibus cuncta rapuistis, & occidistis! Atque his & similibus suspiriis & lamentis exclamantes & plorantes, lacerant vestes, cinerem spargunt in capita sua, & sedent prope eum in terra: idque septem diebus atque noctibus, cum summo ad eum silentio.

Quid verò ex istis ad nos redit vtilitatis? Aut quid nobis tam miserabile spectaculum prodesse potest? Multum per omnem modum. Primò, enim, exemplo amicorum Iob docemur visitandos, & consolandos, atque iuuandos esse infirmos & afflictos, qui manu Dei tanguntur, & diuersis grauibusque miseriis laborant, atque indigent nostro auxilio. Ait enim Spiritus: *Non te pigeat visitare infirmũ, ex hoc enim in dilectione* (Dei videlicet atque proximi) *firmaberis. Non desis plorantibus in consolatione, & cum lacrymantibus ambula.* Apostolus quoque scribit: *Religio munda & immaculata hæc est, visitare pupillos & viduas in afflictione sua.* Et Christus exemplis suis sanciuit, visitans Socrum B. Petri febricitantem, filiam Iairi sacerdotis: & de seruo Centurionis dicens: *Ego veniam, & curabo eum.*

Eccli. 7.
Iac. 4.
Luc. 4.
Math. 8.

Secundò, discimus afflictis serio condolendum, & ex animo compatiendum. Nam vt cõ-

gratulatio prosperitatibus communicat, ita condolentia tribulationibus. Habere namque qui condolescat, non mediocre afflictis solatium exhibet. Et vt facilius fert onus, qui supposito alterius humero iuuatur, ita facilius fert adflictiones qui condolentem sortitur. Hinc Psaltes & de seipso, & de Christo patiente conqueritur: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit qui consolaretur, & non inueni.* Psal. 68. Apostolis denique dicebat: *Sustinete, & vigilate mecum.* Matth. 26 Sed quam à suis frustra tunc requirebat consolatiunculam iu extremis anxietatibus, mox recepit ab Angelo. Luc. 22. Ideoque Paulus præcipit: *Consolamini pusillanimes.* 1. Thess. 4. Et rursus: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Si patitur vnum membrum, compatiuntur cætera membra. Alter alterius onera portate. &c.* Rom. 12. 1. Cor. 2. Gal. 6.

Ad quid verò tot tantæque Amicorum Iob cæremoniæ? quid eum iuuant exclamationes, eiulatus, scissuræ vestimentorum, aut puluerum aspersiones? Ad quid sedent in terram, tanto tempore muti? De singulis ordine dicamus. Polychronius ait, isthæc in primis non obscuram amicitiæ significationem habere. Polychron. Etenim amici calamitate perspecta, ac recenti rerum conuersione animo pertractata, eiularunt, vesteque discissa, eum tanquam mortuum luxerunt, cùm abiectum, & mortuis miserabiliorem vidissent. Biblia quædam habere, *Cumque in cælum suspexissent, Deum exorantes dixerunt: Propitius esto Domine, & no*

talibus nos malis implices. Id quod soliti facere sumus ipsi, cùm quempiam inopinatis malis circumirretitum intuemur.] Hæc quippe cæremonia leuandi oculos in cælum, vel præ rerum admiratione, vel auxilij inde futuri confidentia, in vtroque Testamento communissima est, dicente Dauidem *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis* Et Ezechia: *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Et Christus non semel dicitur in cælum suspexisse *Io.* 6. *Io.* 11. *Io.* 17.

Ps. 122.

Cur verò exclamans plorauit, quòd videtur muliercularũ esse, ac virorum indignum? Respondeo. In summis doloribus & calamitatibus, etiam fortes viros non dedecent gemitus, flebilesque clamores, & lacrymæ. Non enim omnem humanitatem exuerunt, aut Stoicam illam & confictam indolentiam induerunt. Nec corda lapidea gerunt in pectore, sed carnea. Non nos ex silice natos, hircanæ nutriere tygres. Dauid, & viri militares, qui cum eo erant, audita Saülis, Ionathæ, & Israelitarum cæde, elata voce fleuerunt. Idem cum fletu publico, Abneris, & Amasæ funera prosecutus est. Christus totius constantiæ exemplar perfectissimum, fleuit super ruinam Ierosolymorum, ante suscitationem Lazari: mortuusque dicitur cum clamore valido & lacrymis.

Hieron.
1. *Reg. vlt.*
2. *Reg.*
Luc. 19.
Io 11.
Heb. 5.

Quorsum autem laceratæ vestes? Quia serio dolebant viri amcissimi summam miseriam: nec pro certo videbant vnde, & qui-

bus de causis tanta esset. Qua ratione hęc contigerint (aiebant, scribit Polychronius) tu Deus, solus nosti, neque enim ipsi eorum, quæ eueniunt, causas assequi possumus.] Sic ergo miseris condolendum, & compatiendum; vt de iis, ac occultis Dei iudiciis nec temerè sentiamus, nec loquamur. Occulta esse possunt (ait August.) iniusta non possunt. Occulta nobis, manifesta illi. Scissæ quoque vestes, pro more Gentis ac Orientis, præ horrore, & postremis aduersis. Sic enim Iosue audito cladis Isrëlitarum nuncio, scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram. Et Dauid (audita morte Saülis & Ionathæ) & bellatores eius sciderunt vestimenta & fleuerunt, & ieiunauerunt. Paulus & Syllas cernentes Iconiorum idololatriam, sciderunt & ipsi vestes suas, &c.

In Catena. *August.* *Iosue. 7.* *2. Reg. 1.* *Act. 14.*

Quamobrem puluis in altum proiectus, vt in capita humana recideret? signum fuit consternatæ, humiliatæque mentis. Insuper, actus est serio pœnitentium, & coram Deo se se demittentium, vt eorum misereretur. Quasi dicerent: Et nos puluis sumus, & breui in cinerē reuertemur. Sic enim & Iudith, Esther, & Dauid, in sacco & cinere preces effuderunt coram Deo, & votorum suorum fuerunt compotes. Daniel orans coram Domino in ieiunio, sacco, & cinere, quidquid petiuit, obtinuit. Niniuitæ induti saccis, consperſi cineribus clamantes in cælum, liberati sunt ab excidio. Si Tyriis & Sydoniis prædicatum

Dan. 9. *Ion. 3.*

fuisset Euangelium, editaque miracula, quæ
Math. 11. Capernaitis, egissent pœnitentiam in cinere & cilicio.

Cur verò sedent in terra septem diebus ac noctibus continuis, & nemo eorum loquitur
Eccli. 22. ei verbum? Respondeo. Spatium erat luctui mortuorum destinatum, vt est apud Sapientem. Quiescebant quoque aliquantulum, curabantque corpora cibo, potuque paruo, & ibant ad necessaria: sed maiori diei noctisque parte adhærebant illi. Tacebant porrò, quod erat prudentiæ, ne afflicto molesti essent. Importuna enim beneuolentia, nihil ab inimicitia distat. Et medicus, seu consolator loquax, nouus morbus ægroto est. Deinde, mœrore affectus animus, nihil potest commodè audire.

Hæc porrò amicorum præsentia beato Iob nouam iniecit miseriam: quippe ex his cernēti, ex quanta gloria in quantam calamitatem cecidisset. Atq; ideo nunc clausis oculis, mox in cælum sublatis, hinc in sterquilinium suum depressis, illos videre dissimulabat, secumque gemens, Deum orabat. Ex quibus videmus, quàm grauis sit manus Domini, quàm immanis furor Satanæ, quàm acerba Iobi calamitas, quamque mirabilis eius patientia & constantia. Deum ergo timeamus, rogantes, vt Spiritum suum nobis infundat, &c.

HOMILIA VIGESIMA SECVNDA.

Cap. 3.

1. *Post hæc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, & locutus est.*
2. *Pereat dies in qua natus sum &*
3. *nox in qua dictum est: Conceptus est*
4. *homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. &c.*



Icut firmus, constans, & confidentissimus est hominis animus in rebus quantumlibet aduersis, cùm Diuino fulcitur adiutorio; ita è contrario, nihil imbecillior & fragilior est, cùm ille destituitur, sibique soli relinquitur. Exemplum nobilissimum cernere est in Dauide, qui quando adfuit illi Spiritus Domini audacior fuit leonibus & vrsis, quorum gulam fregit; audacior Goliathe quem prostrauit, & proprio mucrone imminuit capite. Eodem confisus canit: *Non timebo millia populi circundantis me.* Ps. 3. *Si consistāt aduersū me castra, non ti-* Ps. 22.

mebit cor meum, &c. Persequar inimicos meos, &
Ps. 17. *comprehendam illos, &c.* Peccatis autem suis gratia priuatus, fugit persequentem se filium, idque nudo capite, & pedibus, & in desertum, & tanto pauore consternatus, ac lacrymis per-
Ps. 17. & fusus, vt dicat: *Circumdederunt me dolores mor-*
114. *tis, & pericula inferni inuenerunt me. Non est pax*
Ps. 37. *ossibus meis, à facie peccatorum meorum.* Simile exemplum præbet Samson, qui cùm insiliebat in eum Spiritus sanctus, solum se exercitibus hostium audebat opponere, de hisque
Iudic. 14. 15. opimos reportare triũphos: illo desertus, à fe-
16. mina & hostibus capitur, tõdetur, exoculatur, occiditur. Helias, Petrus, Paulus, Thomas, Apostoli, Martyres, similia quoque exempla affatim subministrant.

Ad beatum Iob accedamus. Opitulante sibi Deo, cunctarum facultatum iacturam fortiter tulit, seruorum & omnium liberorum necem constanter dissimulauit, generalem totius corporis lacerationem, diuinitus infusa patientia sustinuit. Quinetiam in tantis miseriis, quibus alij millies defecissent, blasphemassent, desperassent, ipse Deum laudauit, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Ab homine mortali victus, prostratus, triumphatus est Satanas princeps inferorum, cum vniuersis artibus, furoribus, & copiis suis. Victor inuictus sedet, gloriatur, exultat, hostemque lacessit. Quid his glorio-

ſius? quid magnificentius aut cogitari, aut dici, aut ſcribi vnquam poteſt? A quo verò tanta cõſtantia, niſi ab eo, cui Propheta dicit, *Diligam te Domine fortitudo mea, refugium meum? Ab ipſo patientia mea? Quoniam tu es patientia mea Domine?* Et à quo primi Chriſtiani poſtulant: *Da ſeruis tuis conſtantiam?* Pſ. 17. Pſ. 61. Pſ. 70. Act. 4.

Verùm, ſibi paululum relictus Iob, & Deo præſentiam ſuam ab eo aliquantulum ſubtrahente ac diſſimulante, miſerabiliter plorat, gemit, vociferatur, Dei bonis creaturis maledicit, obtat abortum fuiſſe, nullam admittit conſolationem, cupit diſputare cum Domino, conqueritur quòd aduerſetur illi, quodq́ue contra folium à vento raptatum oſtendat potentiam, & ſtipulam ſiccam perſequatur, &c. Certè non apparet amplius ſuperior illa moderatio animi, nullum veſtigium æquanimitatis & patiẽtiæ præteritæ viſitur, vt ſequentibus verbis eius apparet. Ex quibus manifeſtum eſt, Iob ſuperiores tentationes non ſuo marte, ſed gratia & auxilio Dei ſuperaſſe. Nunc verò longè cõtrà cernimus: quibus docet Deus & patefacit mundo, Quid ſit homo quantuncunque clarus ac pius, ſine Deo patre, propitio, & adiutore. Niſi enim Deus patrem agat, actum eſt non ſolùm de peccatoribus palam impiis, verumetiam de vniuerſis hominibus. Dauid in huiuſmodi rebus probè verſatus & exercitatus ſcribit: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Auertente te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient.* Scitè igitur vt Iob. 3. Iob. 13. Pſ. 29. Pſal. 103.

eleganter B. Augustinus scribit: Quid ego sum mihi sine te, nisi dux in præceps? Aut quid sum cùm mihi bene est, nisi suggens lac tuum? Et in alio libro: Quod cecidi, fuit ex me: & quod surrexi, fuit ex te. Siquid boni est parui vel magni, donum tuum est: & non nostrum nisi malum est. Si quando steti, per te steti: sed quãdo cecidi, per me cecidi, & semper in luto iacuissem, nisi tu me excitasses. &c.] Sed ad Iob redeundum.

L. 4. Confess. c. 1. Soliloquiorũ. c. 15.

Ille *aperuit os suum, & maledixit diei suo. Pereat dies in qua natus sum: & mox in qua dictum est, &c.* Hîc disputatur à multis, An Iob his querelis, maledictionibus, sequentibusque variis disputationibus peccauerit, an non? Hebræi in primis, quòd ex gentilibus esset, nihil verentur eum de multis sceleribus & blasphemiis in Deum omnipotentem reum agere. Hos de Sanctis omnibus detrahendi libidine sequuntur huius ætatis Hugnosticorum omnes quas viderim & legerim cohortes. Et sanè non leuia sunt vtrinque argumenta, quæ paucis expediam. Aiunt ergo: Alij omnes sancti viri Moses, Aaron, fratres Ioseph, Dauid, Ezechias, Prophetæ, Apostoli, peccauerunt. Cur non de Iobo tantundem sine honoris & salutis eius dispendio sentiamus atque dicamus? Deinde, idem ipse Iob apertè fatetur se peccasse, dicens: *Peccaui. Quid faciam tibi, ô custos hominum? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Deus quoque multis

Iob. 7.

Iob. 13.

eum rationibus coarguit, cap. 38. 39. 40. 41. Vnde ad finem disputationis palam agnoscit Iob: *Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam. Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Postremo, quid offenderunt dies, noctes, tenebræ, stellæ, lux, quæ bonæ sunt & à Deo benedictæ creaturæ, quæque suis effectis laudant & benedicunt Creatorem, vt eis tot execrationibus & verbis maledicat? Tot probris insectetur? Gen.1. Dan.3. Ps.148.

Contra verò, sancti patres Ecclesię, magno conatu & consensu illũ omni peccato mortali liberant & excusant. Primò, quia semel & iterum Spiritus sanctus de illo contestatur: *In omnibus iis Iob non peccauit labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Quæ non solùm ad duas priores tentationes, ad sequentes omnes extendi debere vult Olympiodorus. Cùm ergo hunc iustificet Deus, quis accusabit? Quis est qui condemnet? Secundò, ad finem vniuersarum disputationum, Deus ipse rursum sanctum Iob ab omni crimine purgans, ait ad amicos antagonistas eius: *Non estis locuti recta sicut seruus meus Iob.* Ergo nec in prioribus nec in posterioribus deliquit certaminibus. Tertiò, septem totis diebus, & noctibus tacens, ostendit se in maximis pœnis magnificam seruare modestiam, prudentiam, patientiam, & quod nihil nisi meditadum & prudens loqueretur. Quartò gra- Iob.1. & 2. In Catena. Iob.42.

uiora passus erat in amissione facultatum, liberorum, sanitatis corporeæ, & vxoriæ redargutionis, quàm in colloquio Amicorum. Præterea, infirmus dum secatur, vel vritur, vel cauterio notatur, præ carnis quidem dolore, clamat & gemit, tamen nihil Deo peccat. Adhęc, Dauid vir secundum cor Dei, in angustiis suis adeò grauiter conqueritur, eiulat, plangit, vt clamores suos comparet cum rugitibus leonum: Ionas, Ezechias, Ieremias, in aduersis vociferantur quasi de ventre, ac gurgite inferorum: imò & Christus in assumpta forma serui, de cruce pendens lacrymatur, & sine vlla fictione clamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Impium tamen esset illos ob id vel minima peccati suspicione onerare vel diffamare. Ergo caro Sanctorum gemit quidem sub cruce, sed animus firmus permanens non propterea est in delicto. Et Iob tentatur, non vincitur: pulsatur, non succumbit: vacillat, sed non cadit: concutitur, non prosternitur: conqueritur, nõ desperat: luctatur, sed tandem victor aduersarium suum superat, prosternit, victumq; conculcat. Si quid igitur deliquit, veniale fuit, non mortale. Et iudicio censuraq; vitilitigatorum hominum, non Dei omnipotentis.

Ps. 37.

Matth. 27. Io. 19. Heb. 5.

Ex hac quæstione, rursus emergit & alia non minus vtilis, & ad rem non minus pertinens inquisitio, nimirum: Cur Deus, qui omnia nouit, intuetur, disponit, atque iudicat, permisit Iobum virum iustum; sinitque similes viros

sanctos & pios, tantis calamitatibus exerceri, probari, vexari? B. Augustinus primam rationem designat, quòd vniuersi ob peccatum Originis, quò omnes inficimur, debitores simus mortis, & ex consecutione omnium infirmitatum, ærumnarum, & miseriarum, quæ illam precedere possunt. Scriptum est enim: *Omnes peccauerunt. Causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Omnes declinauerunt. In omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccauerunt. Per vnius delictum omnes homines in condemnationem. Non inuenio in carne mea bonum.* Secundam addit B. Gregorius, aduersos casus Sanctis immitti, vel ad castiganda præcedentia peccata, vel ad cohibenda futura. De priore enim dicitur: *Propter iniquitatem corripuisti hominem. Noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat. Iram Dei portabo, quia peccaui ei. Castigabo te in iudicio, ne videaris tibi innocens. &c.* Et de posteriore ratione scribitur: *Sepiam vias tuas spinis*: id est faciam rebus asperis & aduersis, vt ad idola non recurras. Paulus de seipso fatetur: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c.* Si periculum fuit, ne tantus Apostolus in peccatum inanis gloriæ laberetur; quantomagis de cætera hominum fæce? Tertiam addunt alij ex Raphaële Angelo, quod necesse est, vt iustos homines probet tribulatio, nimirum vt aliis exemplo præluceant, proficiant amplioribus meritis, & cumulatiùs in cælis præmientur & coronentur. Nam Deus reddet vnicuiq; secundum opera sua, & proprium la-

L. de prædest. & L. de natura & gratia.
Rom. 3.5.7.
Præf. in Iob. c. 9.
Ps. 38.
Io. 5.
Ierem. 30.
Miche. 6.
Ose. 2.
2 Cor. 2.
Tob. 12.
Tob 12.
Ps. 61.
Matth. 16.
Rom. 2.
1. Cor. 3.

2,Cor.9. borem. Ergo, vt qui parcè seminauerit, parcè & metet: sic è diuerso, qui plus laborauerit, certauerit, patienter pertulerit, gloriosiùs compensabitur. Atque ita piè sentiendum & prædicandum de calamitate & patientia sanctorum Iob, Tobiæ, Prophetarum, Machabæorum, Apostolorum, & Martyrum, de quibus à supremo omnium piorum certaminum Agonotheta dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et ab vno Apostolorum eius: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, &c.*

Matth. 5.

Iac.1.

Sed iam ad clamores, planctus, eiulatusque beati Iob accedamus. Iã aliquot diebus & noctibus in fimo & fœtore, æstu geluque confectus, sine vlla requie perstiterat, summis vndique doloribus affectus. Interea, tres amici eius, silentio suo locum dabant Satanæ, vt eum æstimarent hypocritam, impium, reprobum, atque pro peccatis quibusdam suis à Deo percussum & maledictum; & fortè, iã iam expleto die septimo relicturi erãt illum, ideo, *Iob ipse aperuit os suum*, & prior cœpit loqui, vt ad misericordiam eos prouocaret. Tragica igitur exclamatione, vehementiam doloris sui proponit: Titelmanus. *Pereat dies, &c.* Sensus iste sit, O diem infaustum, qui me tantis perferendis miseriis edidit in lucem! O noctem ter quaterque infælicem, in qua conceptus sum in vtero matris, vt de me verè dici potuerit: Hac nocte puer iste conce-

ptus eſt. Debuit profectò dies ille habere quidquid eſt horridum, & quidquid triſte me odioſum hominibus reddidit diem. Horrendis videlicet tenebris debuit obſcurari, non adornari iucundo & ſereno lumine, &c.

Hîc primùm obſeruandum mihi videtur, tres amicos beati Iob, tanto ſilentio ſuo peccaſſe, & homini dolores, triſtitiamq́ue non parum auxiſſe. Debuerunt enim vel ſecunda, vel tertia, vel quarta die, veterem amicũ ſuum comiter ſalutare: hinc cõſolationes adhibere, ex Dei miſericordia, clementia, bonitate, & circa genus humanum infinita beneuolentia: quantaq́ue fide, ſperantibus in ſe tandem ſuccurrit. In promptu exempla eis erant Noæ liberati ex aquis, in arca: Lot, è conflagratione Sodomęorum: Abrahæ, ex Vr Chaldæorum: Iſaac è gladio patris: Iacob de manu Eſau: Ioſeph è ciſterna, ſeruitute, infamia, & carcere. Hæc namque in ore ac oculis omnium in illis regionibus nuper geſta, tam ſapientes homines latere non poterant. Debuiſſent quoque eidem proponere communem omnium hominum miſeriam, qua è terra & puluere formati, variis exponuntur terræ incommodis, donec redeant in puluerem. Conſolati etiam eſſent illum, verbis de altero ſæculo, de immortalitate animorum, de reſurrectione futura, de præmiis bonorum, apud Deum pro certo repoſitis: nam & hæc ipſi (vt ex lectiſſimis eorum diſputationibus patet)

quoque credebant. Tum demum oportuisset illos eidem proprias facultates, ædes, operas liberalissimè offerre, &c. His etenim bonorum virorum officiis satisfecissent, quod suum e-
Iob. 29. rat implessent, & tantam amici tristitiam leniissent pro viribus. Isthæc namque in alios quādo exercuerat vt ipse refert dicens: *Cor viduæ consolatus sum. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum. Flebam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima pauperi. &c.*

Notandum secundò, peccatum non esse coram Deo, si etiam Sancti viri in grauibus aduersis, & acutis morbis conquerantur, doleant, ac etiam vociferentur, modo id modestè fiat, & cum humilitate manui Diuinæ seipsos submittant. Carne siquidem sensili sunt circundati, quæ velimus nolimus, fragilis est, & fremit sub cruce. De horrendis clamoribus suis Iob ait: *Fra-*
Iob. 29. *ter fui draconum, & socius struthionum. Versa*
Iob. 30. *est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Clamo ad te, Domine & non exaudis me, neque respicis me, & cetera.* Dauid quo-
Ps. 68. que tam de seipso, quàm de Christo futuro, ait: *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.*
Ps. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte. & cetera.*

Omninò verò cauendum à cogitationibus & verbis blasphemis, contumeliis & obmurmurationibus in Deum, aut in iudicia eius: quoniam & si occulta sint, attamen semper iu-
stissima

stissima sunt ac æquissima. Dicendum igitur continuo: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Iram Dei portabo, quia peccaui ei.* Oremus ergo cum beatis Patribus Augustino & Gregorio: Hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas, &c. Ps. 118. Ps. 38. Ierem. 30.





DE BEATI IOB, ET AMICORVM EIVS SEquentibus disputationibus & responsis.

NOtandum in primis, nunquã beato Iob in mentem venisse, vt Deũ argueret iniustitiæ; vel plusquam paternæ prouidentiæ eius contradiceret, quàm, & sæpe, & frequenter asserit: sed ne tanquam hypocrita, impius, à Deo reprobus & maledictus ab hominibus damnaretur plurimis & firmissimis cauit argumentis. Amicorũ porrò eius disputationes, quę in multis locis sanctæ & eruditę sunt, & ex
1. Cor. 3. quibus B. Paulus non est dedignatus quædam assumere; tamen in aliis reprehendendæ sunt & arguendæ, quia contra virum innocentem dictæ atque directæ: quem nituntur probare impium, & eam ob rem à Deo tot horrendis & inauditis calamitatibus percussum. Eliphaz malè arbitratur, nullum hominem quidquam pati, nisi ob propria delicta: At, hic error damnatus est à Christo dicente de Cæco à natiuitate: *Neque hic peccauit, &c.* Baldad docet,

pios vel in nouissimis remunerandos, si hîc affligantur. Istud quis pius damnet? Sophar idem adfirmat, addens, Omnia quidem fieri iuxta voluntatem Dei: nec esse cuiuspiam rogare, Quare sic vel sic facit. Dogma planè pium & apostolicum. Eliu quartus disputator, tres illos improbat propter immisericordiam: ipsum quoque sanctum Iob, ob emissas quasdam impatientiæ voces. Hinc præter rationes trium illorum, ostendit redemptionem per Angelum, id est, Christum futuram. Hæc omnia à Deo confirmantur: cui & Iob gloriam dat, confitens quòd peccarit: & vnum, non multa, reuocat quæ dixit, nempe, se velle disputare cum Deo.

Rom. 9 & 11.

SVMMA CVIVSLIBET DISPVTATIONIS.



Vnt autem numero quatuor Disputationes: Prima comprehenditur quatuordecim capitibus. Nam tertiò, Iob tragico planè eiulatu, doloris sui magnitudinem contestans, mortem præ vita laudat, tædiumque huius vitæ magnum sibi esse dicit: eo quòd viuus summos quasi inferni dolores pateretur. Capite quarto & quinto, Eli-

phaz glorians in scientia visionis suæ, & alienus à misericordia, taxat Iob vt blasphemum, hypocritam, & inconstantem, dum ignorat filios Dei, etiam non peccantes, aduersitatibus hîc probari: consulit, vt Iob oret Deum, & sanctos Angelos: beatos enim esse, qui hîc corripiuntur, si à peccatis resipiscant. Capite sexto & septimo, Iob sese excusat dicens: Se dolorum vehementia incitatum vt sic loqueretur: inde Eliphæ immisericordiam & inhumanitatem taxat, ad quæ iustum iudicium prouocat, bene sibi conscius: iterum denique, ad eiulatum illum quem cœperat, redit. Capite octauo, Baldad, Deum ab iniustitia vindicat, & authoritate Patrum fretus, inuehitur in Iob vt loquacem, importunum, hypocritam. Admittit hîc innocentes flagellari, sed quòd in bonum illorum flagella cedant fortiter contendit: contrà verò accidit impiis. Hortatur & ipse beatum Iob ad preces. Capite nono & decimo, Iob excusaturus se de hypocrisi, fatetur quidem iustitiam Dei, & se peccatorem, quomodo lex omnes condemnat. Addit autem, se præter commune & solitum iudicium, flagellari: sicque perseuerat in prima sua assertione tragica, & Deum orat, vt se liberet. Capite vndecimo, Sophar perquàm austerè insectatur beatum Iob, & eo spectat, non esse requirendum ab ipso, qui non nisi terrena capiat, quare Deus sic vel sic puniat: alia eius esse iudicia, alia nostra sentit. Capitibus 12. 13. 14. Iob asserit,

glorioſum illum nihil noui docere. Vnde de potentia Dei magnificentiùs quàm ille diſſerit: quem ait non opus habere noſtris commẽtis ad vindicandam gloriam ſuam, & manifeſtè teſtatur, quòd licet ſit afflictiſſimus, non tamen ſe abieciſſe ſpem omnem, nimirum ob redemptionem. Nihilominus iterum redit ad primam querimoniam. Atque hæc de prima diſputatione, cui exordium facit Iob, deplorans ſuam calamitatem.

Secunda diſputatio ſeptem capitibus abſoluitur. Tres amici Iob noua nulla proferunt argumenta: ſed tantùm præterita confirmant. Et in hoc conueniunt, quòd hypocritæ hîc tandem malè pereāt. Hoc autem vrgent ideo, quia Iob præſentis ſæculi promiſſiones nullas ſperabat, & ſapientiam illorum vt ſtultam vanamq́ue reiiciebat, nihilq́ue ſolidioris conſolationis in ſe habentem. Idcirco acriùs eum perſtringũt, quaſi hoc impiis ſit peculiare, ſi in hoc ſæculo pereant. Variis tamen occaſionibus ipſum inuadunt. Eliphaz tribuit malæ conſcientiæ Iobi, quòd nulla hîc ſperare queat bona. Baldad verò pertinaci & ſuperbo ingenio, in ſuis perſiſtenti ſententiis, & quod nihil innouetur circa illum. Sophar autem hypocriſi illum perdendum iudicat: & ſociorum dicta, communi omnium ſęculorum conſenſu, vt ſibi videbatur, approbat. At, Iob primò reſpondens, iterum ad miſericordiā variis modis prouocat, ſibi bonam eſſe conſcientiam, ait: non autem eſſe cuiuſuis de cruce bonorum iudica-

re. Similiter & Baldad capite 19. reſpondens, eum ad miſericordiam prouocat, & expectatione futuri iudicij, quod ipſe cum gaudio præſtolatur, illos terret. Denique Sophari reſpondens, capite 21. deiicit ſententiam communem trium, vanam aſſerens eſſe, quòd hîc hypocritæ ſemper ſub finem vitæ puniantur, & vanam etiam ipſorum promiſſionem. Capite 15. Eliphaz ſecundò loquitur. Capite 16. & 17. Iob quintò loquitur. Capite 18. Baldad offenſus verbis Iobi, ſecundò loquitur. Capite 19. Iob illi reſpondet. Capite 20. Sophar idē agit quod ſocij, Iobum hypocriſis arguit. Capite 21. Iob ſubuertit fundamentum Diſputationis trium antagoniſtarum.

Tertia Diſputatio perficitur vndecim capitibus, Eliphaz & Baldad ſuas propoſitiones ſtabilire nituntur, at cum indignatione, quoniam nulla præfatione vtuntur. Eliphæ argumentū eſt, Deum ſummè beatum nihil ſui commodi reſpectu agere: vnde fit vt qui affliguntur, ob ſua delicta flagellentur. Baldad autem ratio eſt: Non eſſe iniuſtitiam apud Deum, etiam ſi iuſtus patiatur; ſicut ſapientia eius non errat, licet luna obſcuretur eclipſi. Sophar nihil loquitur: Iob verò quater diſſerit, & ipſi Eliphæ magnitudinem dolorum ſuorum, cum innocentia, & ſpe ſua narrat. Poſtea ipſi Baldad copioſiorem de operibus naturæ, quibus ſpes commendatur, ſermonem facit. Sophari etiam tacenti reſpondet, qui Diuinam ſapientiam in prima ſua oratione laudauerat, cui re-

linquendum ſentiebat abſque diiudicatione, Quare iuſti nonnunquam patiātur. Præmittit tamen Iob ſuam innocentiam, & quid impiis debeatur. Poſtremò, Iob tribus ſimul reſpondens, ſua prædicat opera, perfectam viri iuſti vitam deſcribens, Cæterùm capite 22. Eliphaz tertiò loquitur, Capite 23. & 24. Iob innocentiam ſuam defendit. Capite 25. Baldad tertiò loquitur. Capite 26.27.28.29.30. 31. Iob refutat ſermonem Baldad: & orſus à iuramento, aduerſarios deteſtatur, quaſi illis aſſentiri ſit periclitari grauiſſimè, & cetera.

Quarta diſputatio duodecim capita continet, id eſt, vſque ad finem libri perſeuerat. In hac victor Iob obmuteſcit. Introducitur autē nouus diſputator Eliu, non ita alienus à miſericordia vt priores: cuius mentem Deus confirmare videtur. Iob autem nihil Eliu reſpondens, Deo loquente, peccatum ſuum tandē fatetur. Nouus igitur actus eſt, vt ante iudicem de eadem re pronunciet, neutri partium addictus, immò vtramq; condemnās. Et capitibus quidem 32.33.34.35.36.& 37. Eliu quatuor habet orationes. In prima tres alios redarguit, quò modeſtiùs Iobum tractet, nec illis aſſentiri videatur. Deinde, contra Iobum omnem orationis vim effundit, & poſt multa præfationis argumenta, oſtendit quomodo Deus trifariā reducat peccatores à peccato, hos agens vt diligētiùs ipſe audiatur, quaſi angelus liberare cupiēs. Secūda oratione, quæ continetur, c.34.

iterum præfatur, & dictum Iobi reprehendit, impugnat, & exagitat. Tertia oratione habita cap. 35. repetit quod ante obiecit, sed nouis rationibus, cum obiectionis dilutione. Quarta oratione, quæ comprehenditur cap. 36. & 37. laudes decantat Diuinas, admonens hominem esse imparem ad diuina iudicia cognoscenda. Tandem, admiratione nubis, & quæ in nube accidunt, Iobum temeritatis arguit. Imitatur Sopharem in multis argumētis, imò illum vincit. Capitibus 38. & 39. Deus ipse loquitur velut totius litis arbiter & diremptor. Inuenit autem tam in Iobo, quàm in amicis eius quod sit reprehensione dignum. In Iobo quidem, quòd cum Deo contendere voluit: in amicis autem illius, quod iuxta huius sæculi fortunam, Iobū temerè iudicarunt, neglecta in amicum, & eum innocentē, misericordia. Capitibus porrò 40. & 41. Dei ad Iobum verba & adhortationes ad pœnitentiam referuntur. Capite 42. Iob maiestatem Dei non ferens, victum se fatetur, veramque pœnitentiam promittit. Deinde, fertur à Deo sententia pro sancto Iobo, contra tres amicos eius, quem quater seruum suum vocat, & in Sacerdotem ac mediatorem eorum instituit. Denique, quia quatuor fuerunt præcipuæ afflictiones Iob, Amissio facultatum, Contemptus amicorum, Liberorum mors, & corporis infirmitas, hæc omnia benedicente Deo, longè melius habere cœperunt. Toto autem anno, vt aiunt Hebræi, sic tentatus & probatus fuit sanctus Iob, Patriar-

cha, Propheta, Apoſtolus, Martyr, & Confeſſor: vbi autem propitius fuit illi, iterum aduolaruntomnes conſanguinei, affines, ac noti, & conſolati ſunt eum. Verùm, quoniam ſuperiora ad Tragœdiam pertinent, poſtrema verò, quia læta & proſpera ad Comœdiam; agite dum vna & altera homilia Tragicomœdiæ finem imponamus.

CAPVT. 42.

HOMILIA VIGESIMA TERTIA.

7. *Poſt quàm locutus eſt Dominus ad Iob, dixit ad Eliphaz: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non loquuti eſtis recta coram me, ſicut ſeruus meus Iob.*
8 *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offeret holocauſtum pro vobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis. Faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur*

stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut seruus meus Iob.
9. *Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamatites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob.*

FInis ac scopus historiarum tragicarum quæ inter Ethnicos contigerũt, atque describuntur ab eorum poëtis Euripide, Sophocle, Seneca, & similibus, longè diuersus & contrarius est ab eo, qui de sanctis & fidelibus viris in sacris referuntur. Illarum enim finis sunt clamores, horrendi eiulatus, desperationes, mortes, fratricidia, patricidia, euersiones vrbium, prouinciarum, regnorum: istarum verò consolationes, exultationes, miracula, gaudia, gloriæ perpetuæ atque cælestes: ideoque potius Tragicomœdiæ dicendæ sunt, quàm Tragœdiæ. Magnus ille Gregorius, quem Græci ob insignem eruditionem, per Antonomasiam Theologum nominant, elegantem Tragœdiam scripsit, quam vocauit, *Christus patiens*. Et verè tragica est historia, quæ initium habet à Christi filij Dei & hominis summa tristitia, tremore, sudore sanguineo, vinculis, flagella-

tione, corona spinea, condemnatione, cruce, ignominiosa morte. Sed si finem, id est, gloriosissimam resurrectionem, ascensionem, regnum cæleste spectaueris, non iniuria, Comœdiam lætissimam nuncupes licet, atque sic Tragicomœdiam. Sic Dauidis initia, labores, exilia, discrimina, tragica sunt: felicitas verò, & regni gloria, Comica. Eodem iure Tragicomœdiæ censebuntur, Danielis, trium puerorum, Susannæ, ac omnium Martyrum acta, quoniam cruenta & dura sunt initia: sed lætissima catastrophe finisque lætissimus.

Idem iure censendum de ista beati Iob historia in cuius initiò legimus Satanicas calumnias & delationes coram Deo, facultatum direptiones, cædes seruorum, ignes de cælo, liberorum neces. Deinde, totius corporis sancti viri lacerationes, vlcera, sterquilinia, lacrymas, clamores, amicorum grauissimas concertationes, &c. Sed nunc cernere licet finem iucundissimum & gloriosissimum, quando restituitur pristinæ sanitati, gloriæ, amplitudini: imò verò beati Ambrosij sententia, vnà cum Christo resuscitatur, & corpore simul cum anima super cælos exaltatur. Subscribit ei beatus Amadeus, referens in Nona sua Apocalypsi reuelatum sibi ab Angelo Gabriele: Erant cum Christo (super cælos ascendente) innumerabiles animæ etiam Gentilium, non solius Iob, sed etiam plurimorum Philosophorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum, qui vnum Deum cæli colebant, & in

L. de Interpellatione.

Raptu vltimo.

ipso sperabant ipsum bonorum remuneratorem existere.] Atque hic beatus, felix, & gloriosus finis est omnium laborantium, & constanter patienterque certātium pro gloria, pro iustitia & veritate Dei. De hoc gratias agentes dulciter canunt: *Lætantes sumus pro diebus, quibus*
Ps. 65. *nos humiliasti, & annis quibus vidimus mala. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* De iisdem quoq; scribitur in A-
Apoc. 7. & 8. poc. Cum palmis, coronis, & vestimentis Albis sunt ante thronum Dei. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni.*

Sed ad beati Iob historiam redeamus. Capite eius 38. 39. 40. 41. Disputantibus illis, Deus apparet in turbine, & omnes obmutescunt, attendunt, mirantur. Iobum Deus reprehēdit, quòd secum disputare voluisset: nec solum eum sed & cunctos mortales coarguit ignorantię, ac temeritatis, cùm in secreta eius opera & iudicia conantur erūpere. *Vbi eras* inquit, *quando ponebam fundamenta terræ? quando laudabant me astra matutina? quando æstus mare circundabam?* His & aliis multis conuictus, ignorantiam & temeritatem confitetur, & infinitam Dei sapientiam & potentiam suppliciter adorat, d. *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogita-*
Iob. 42. *tio. Auditu auris audiui te, nūc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pænitētiam in fauilla & cinere.* Ex his quæ docuisti cognoui vberrimè, quòd vt omnia potes, ita & vniuersa nosti, etiam ante quàm fiant, & non

habes opus consiliario, quem nulla latet cogitatio, quamuis abdita & arcana. Scrutaris nãque renes & corda. Homo quidem videt quæ patent, tu autem intueris corda. Item, parum ante flagella cognoui te, nunc autem oculus meus videt te, nimirum, in quadam specie & subiecta creatura, sicut vidit Iacob, vidit Abraham, vidit Moses, vidit Isaias, vidit Daniel. Pœnitudine ducor inscitiæ & temeritatis meę, quia video me esse cinerem & puluerem.

In quibus obseruandum est, quod ex ista apparitione Diuina facta Iob, atque familiari paternoque colloquio, sanctus vir fuit omni tentatione & miseria liberatus, & sanatus non solùm corpore, sed & animo tanta consolatione & dulcedine spirituali repletus, vt is solus nouit, qui sensit. O quantas gratiarum actiones: quantas laudes & prædicationes! O gaudia spiritalia? Verè potuit dicere, si quis vnquam alius: *Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et cum Apostolo exclamare: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Hæc verò non contigerunt propter Iob solùm, sed in exemplum omnium nostrûm scribi, legi, & prædicari per totum orbem voluit Spiritus sanctus, vt discamus fortes & constantes esse in rebus aduersis, à fide & spe in Deum nunquam deficere, certi quòd suo tempore nobis aderit.

Ps. 93.

2. Cor. 1.

Volunt etiam quidam, B. Iob tunc etiam

ſpiritum propheticum, quo antea non tam plenè claruit, copiosè accepiſſe: quod teſtetur dicens: *Oculus meus videt te*, nempe, more Prophetarum, Oculo videt, iam Propheta factus: quoniam *Videntes* dicti ſunt Prophetæ. Ab Hebræis quoque, tametſi plurimum in Gentiles inuidis, in catalogo Prophetarum connumeratur.

Iobi rurſum exemplo monemur, numquã aduerſus Deum diſputare, nunquam de occultis iudiciis eius temerè loqui: ſed cum omni humilitate potius nos noſtraque eiſdem ſubiicere. Sic quondam Heli quando Samuel retulit ei ex ore Domini, filios ſuos immatura morte perituros eſſe, ſeque Sacerdotio perpetuò priuandum, d. *Dominus eſt, fiat quod bonum videtur in oculis eius*. Et Dauid ſcribens: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Semper vincit, cùm iudicatur. Egregio ſchemate hoc idem ſignificatum eſt Eſdræ, nimium zelanti pro Ieroſolymorum inſtauratione: *Pondera* (inquit Angelus) *mihi ignis pondus: menſura flatum venti: reuoca diem præteritum: & dicam tibi vias Altiſſimi*. Imbecillitatem ac ignorationem ſuam confiteri ſanctus Propheta coactus fuit.

1. Reg. 3.

Pſal. 118.

4. Eſdræ c.3. & 4.

Quid autem prodeſt, quod beatus Iob temeritatem confeſſus, pœnitudinem promiſit? Vt nos exemplum eius ſequuti, delicta noſtra & plura & grauiora humiliter agnoſcamus, confiteamur, emendemus: ſiquidem velimus, vt Dominus remittat, & tam corpo-

re quàm animo sanet atque iustificet: *Dic iniquitates tuas* (ait Sapiens) *vt iustificeris*. Et Apostolus: *Si cōfiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, qui remittat illa*. Tres pueri in medio fornacis laudantes Deum, peccata sua confitebantur, d. *Peccauimus, inique egimus, recedentes à te, &c.* Et sanctus Daniel: *Tibi Domine, gloria, nobis autem confusio faciei, &c.* Dauid quoq; peccata sua non tacet, non dissimulat, non quærit excusationes in peccatis: sed ingenuè dicit: *Ego sum, qui peccaui. Dixi, Cōfitebor aduersum me, iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. &c.*

1. Iob. 1. Dan. 3. Dan. 9. 2. Reg. 12. Ps. 31.

Videte autem infinitam potestatem & bonitatem Dei. Mox vt euidenter apparuit Iob, & cum eo loquutus est, mox ab omni plaga, ab omni sanie, à fœtidissimo vlcere, quo percusserat eum Satanas, & ab omni calamitate sanatus & liberatus est: insuper, omni gaudio & consolatione, vt dicebamus, repletus. Sic initiò lepra percussit manum Moysi, & illico sanauit. Mariam sororem eius, eodem contaminatam morbo, post septimum diem curauit. Et in Euangelio, Christus solo verbo, vel tactu, cæcos, surdos, paralyticos, imò etiam mortuos, etiā breuissimo tēpore, à morte & omni malo liberauit. Et in vltimo die, in momento, in nictu oculi, in nouissima tuba, in voce Archangeli, innumerabilia corpora suscitabit de cinere & puluere terræ.

Exod. 3. Num. 12. Io. 5. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4.

Iam verò Deum omnipotentem, pro Iob

aduersus hostes eius, iudicantem exaudiamus. Dicit autem Eliphæ seniori, & qui disputationis initium fecerat: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, &c.* Vos Eliphaz, Sophar, & Baldad, interim dum Iobum emendo, forsan existimatis impunè euadere, nullamque in vobis culpam inueniri quæ à me arguatur. Forsitan etiam in vobismetipsis gloriamini, quasi victores, eo quòd audistis ipsum increpari de quorumdam verborum temeritate, quam extorsit dolor fortassis apud me iniisse gratiam putatis, quòd quasi ex velo iustitiæ meæ recta loquuti sitis. Ego autem, ne falsa opinione superbiatis, palam edico vobis, dicta actaque vestra contra Iob seruum meum non approbo, sed damno & reprobo: propter hæc concitata inardescit aduersum vos ira mea. Licet enim quasi ex zelo vindicandæ iustitiæ meæ, videamini locuti, attamen iudicio meo, non estis verum & rectũ locuti. Tota disputatio vestra falso nixa est fundamento, quòd propter peccata sua plagas istas sustinuerit. Falsò & impiè iudicastis eum esse hominem hypocritam impium, oppressorem, crudelẽ, barbarum, inhumanũ, &c.

Attendite autem in his Carissimi, immensam Dei bonitatem & clementiam. Non dedignatur prophanis, ingratis, atque iniuriosis hominibus istis apparere, loqui, iudicia sua reuelare: eosdem monere, & hortari ad reconciliationem & secum, & cum beato Iob, in quos multipliciter & grauiter offenderant

Pari

Pari bonitate sua, & Cainum olim allocutus monuit eum de ponenda in fratrem inuidia & tristitia, de præmijs bonorum & malorum. Rursus, post commissum fratricidium eundem interrogauit, vt adduceret eum ad pœnitentiam & salutem. Quid facere debuit, & nõ fecit? Ad hæc, locutus est cum Laban pro Iacob: cum Abimelec, pro Abraham & Sara: cum Pharaone per spicas & boues: cum Balaam per asinæ voces: & cum Nabuchodonozore per multas visiones, &c. Benedictus Deus, qui nec nos propter varia peccata omnino despicit: sed nunc exterius, mox interius, admonet, vocat, corripit, denique saluat. Gen. 4. Gen. 20.

Subijcit Deus: *Iratus est furor meus. Non estis loquuti recta.* Non leuiter ergo, sed grauiter, & multipliciter peccauerant isti cõtra Deum, & contra sanctum Iob, aliàs non succensa fuisset ira Dei aduersus eos: Neque opus eis tanto sacrificio ad reconciliationem. Maximum ergo peccatum est eorum, qui temerè iudicant, & leuiter damnant proximos, vt sibi iusti videantur. Item qui obloquuntur & detractant de Sanctis seruis Dei. Istud seueriter damnat Christus in Pharisæis, qui videbãt festucam in oculo proximi, trabem verò in proprio non cernebant. Rursum, in parabola de Publicano & Pharisæo. Paulus quoque ait: *Nolite ante tempus iudicare.* Et Dauid scribit: *Detrahentem proximo suo, hunc persequebar.* Ephræm Syrus probat Obtrectationis peccatũ Matth. 7. Luc. 18. 1. Cor. 6. Tractatu de morbo linguæ.

Num. 12. grauissimum esse, ex eo quòd Maria soror Mosis, lepra percussa sit, propterea quòd de fratre suo detraxisset. Ex teterrima illis lepra (inquit) docemur quàm graue ac detestabile vitium sit obtrectatio. Ex illa carnis corruptione, patefactum est quomodo hominis maledici ac detractoris corrumpatur animus. Adijcit: Plurimis licet, signis atque miraculis
Num. 11. claruisset Moyses, vbi modicè lingua lapsus
Leuit. 10. est, è terra promissionis excidit. Ignis sanctus deuorauit Sacerdotes, qui verbis polluti erãt.
4. Reg. 7. Dux exercitus, famis tempore, verbum iniquius protulit, & pedibus populi conculcatus
4. Reg. 1. est in porta Samariæ, &c.] Duos quinquagenarios Heliam subsannantes, vltor ignis ab-
4. Reg. 2. sumsit. Puerosque insultantes Helisæo, vrsi lacerarunt, atque vorarunt. Caluinus cum Ministris, beatissimos Patriarchas, & Prophetas
Theoma. l. 10. lingua maledica insectantur; Apostolis & Euangelistis detrahunt, non parcunt beatissimę Deiparæ, nec beatis Angelis, nec aliquibus Sanctis cum Deo regnãtibus, vti alio scripto
Apoc. 17. patefecimus: ergo cum bestiæ Apocalypticæ
Dan. 7. corpore & membris tradentur in stagno ardenti igne & sulphure.

Est & in hoc mirabile atque stupendum iudicium Dei, quòd hi qui iudicio suo putabant se recta locutos, imò & causam iustitiamque Dei egregiè propugnasse: Dei iudicio coarguuntur atque damnantur, vt minus rectè, imò & impiè loquuti. Sic & hæretici, Gnostici, Sabelliani, Ariani, Ne-

storiani, Pelagiani, quibus addere licet Luteranos, Caluinianos, Anabaptistas, putantes se rectè & dicere & scribere de Deo, & rebus Diuinis: pro certo turpiter fallunt & falluntur. De his Sapiens ait: *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia*: Iterum. *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem.* Et Dominus ait: *Non sunt viæ meæ, viæ vestræ, &c.* Prou. 12. Prou. 14. Isa. 55.

Ad quid verò tot taurorum & ouium holocaustum? Aut, quòd per Iobum oportuit offerri? Primùm, quòd oportuit eos reconciliari Deo: deinde, etiam proximo, quem offenderant. Quid autem? Num sacrificia brutorum delebant peccata? Aut ipsorum vis ac institutio reddebant Deum hominibus propitium? Absit, sanguine etenim taurorum, hircorum, vitulorum, agnorum, Sacerdotes potius maculabantur, quàm emundarentur. *Impossibile erat*, teste Apostolo, *horum sanguine deleri peccata.* Si enim ex lege, & sacris eius parta esset iustitia, frustra Christus venisset. Quorsum igitur tot instituta & præcepta à Deo populo suo, sacrificia & holocausta? Primò (vt obseruant Iustinus, Tertullianus & Cyprianus) ne populus ille ad idololatriã nimis procliuus, falsis dijs Gentiũ illa offerret. Maluit ergo Deus verus Israelitas tot obseruationibus occupari, & retinere sibi, quàm vt Dæmonibus inseruirent. Deinde, voluit vt ijs ritibus externis fidem ac spem suam exercerent & probarent. Postremò, palàm Heb. 10. Gal. 2. In Dialog. l. aduer. Iudæos.

Christi (qui finis Legis dicitur) venturi vtrumque sacrificium, id est, cruentum & incruentum, præsagirent, adumbrarent, prædicerent. Atque sic ex pietate & religione interna in Christum, per externas oblationes significata, remissionem acciperent peccatorum, & cum Deo redirent in pacem & gratiam.

Præterea, reconciliationem cum Iobo illis necessariam esse docuit, quandoquidem nemo verè diligit Deum, nisi diligat & proximum. Mox enim vt dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* illico subditum est: *Et proximum tuum sicut teipsum.* Per Isaiam omnia Iudæorum sacra reprobat Dominus, imò aures suas ab orationibus eorum auertit, *Quia* (inquit) *manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et in Euangelio præcipit, prius reconciliari fratribus nostris, quàm munera offerre ad altare.

Matth. 22. Luc. 10. *Isa.* 1. *Matth.* 5.

Iob autem mediator & sacrificus eis datur, Iob (inquam) quem tot iniurijs vexauerant, totque calumnijs deformauerant, & disputationibus fatigauerant: vt Sancti viri dignitate, & gratiam qua Deo carus erat, & authoritate, qua valebat probè cognita, illum à cætero suspicerent, venerarentur, non vlterius offenderent. *Faciem eius suscipiam*, inquit, id est, gratæ mihi erunt oblationes, & orationes eius pro vobis. Iob inquam, qua est simplicitate & benignitate, iniuriarum immemor, memor caritatis, postulans vobis remissionem

peccatorum vestrorum, exaudietur, intercessione eius vobis indulgebo, iramque deponam.

B. Chrysostomus ex hoc, & alijs aliquot locis probat, bonum esse Sanctorum precibus frui, sed quando & ipsi seduli & vigiles fuerimus. Respondet verò quærentibus: *Quid mihi opus aliorum precibus?* Semper indigentes sumus, si rectè sapuerimus. Probat exemplo B. Pauli, qui & si dignissimus, aliorum tamen seipsum commendat orationibus. Petrus quoque non dixit: *Quid mihi necesse est, vt pro me oretur? Precatio tamen fiebat sine intermißione ad Deum pro eo.* Etiam si Paulo similis esses, opus tamen haberes aliorum precationibus: *Nihil prosunt, inquis, preces*: imò prosunt plurimum: sed quando & nos aliquid sategerimus: adiuuant enim & auxiliantur. Vis discere quantum prosunt preces? Considera Cornelium & Tabitham. Audi Deum dicentem: *Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Samuel pro Israelitis orauit, & efficax fuit precatio. Audi & quid Deus de amicis Iob dicat: *Et orabit pro vobis, & remittetur vobis peccatum vestrum.* Peccauerant enim, verùm non adeo magnum peccatum. Iustus amicos suos precationis beneficio seruauit, & cetera.

Hom. 1. in Ep. 1. ad Thess. Coloss. 4. 2. Cor. 1. & 9. Philip. 2. Act. 12. *Act. 9. & 10.* 4. Reg. 19. 1. Reg. 7. Iob. 42.

Iob igitur, planè pleneque pristinæ dignitati Sacerdotali restitutus à Deo, vt non tantùm pro tribus illis, sed & pro subditis suis, tanquam legitimus Pontifex offerret dona Gen. 14.

preces, & holocausta. Sic & Melchisedec, ætate illa, pro suis Chananæis sacrificabat, eisdemque benedicebat. Et prisci illi Patriarchæ sacerdotio fungebantur. Deus verò exaudiens Iobum pro amicis orantem & oblationes offerentem, ostendit manifestè, quantum illum diligeret: & maximè gratas, acceptas, ac efficaces esse preces Sanctorum virorum, siue adhuc in terris degant, siue iam in cælis æuo felici & perpetuo secum perfruantur. Conuersi ergo ad Dominum, suppliciter oremus, vt. & cetera.

HOMILIA VIGESIMA QVARTA.

11. *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo eius, & mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum: & dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem*

auream vnam.

12. *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ.*

13. *Et fuerunt illi septem filij, & tres filiæ.*

14. *Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij.*

15. *Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra: deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.*

16. *Vixit autem Iob post hæc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum, vsque ad quartam generationem, & mortuus est senex, & plenus dierum.*



In Ps. 148. Ntiquissimus, sanctissimus, simulque doctissimus pater Augustinus, non parum mouetur & miratur, Quare Deus quosdam Sanctorum suorum è summis periculis stupendo modo liberauit, alios

Gen. 3. verò illis perire permisit? Exempla prostant in

Gen. 22. & 32. 33. Abele, quem fratris sui manu crudeli morte tolli permisit: contrà verò, Isaac de gladio patris, & Iacob de manu fratris sui Esau mirabiliter liberauit? Deinde, tres pueros Danie-

Dan. 3. lis socios, Angelo in fornacem ardentem misso, è morte eripuit: septem verò fratres Ma-

2. Mach. 7. chabæos sartaginibus Antiochi regis Syriæ,

Dan. 6. & 14. non eripuit. Semel & iterum Danielem ipsum seruauit ab ore leonum: Ignatium verò, & innumerabiles alios martyres, ab ijsdem lacerari & vorari siuit. Susannam lapidari noluit:

Dan. 13. Stephanum hoc genere mortis ad se vocauit.

Act. 7. Paulum tertiò naufragantem de profundo pe-

2. Cor. 11. lagi liberauit: non liberauit autem B. Clementem, anchora de colo suspensa, mari ex-

Exod. 14. positum. Israelem de manu Pharaonis; non

Matth. 2. autem pueros innocentes de gladio Herodis.

Act. 12. Petrum de carcere istius, non verò de vinculis Neronis. Denique, & hunc nostrum Iobum

Iob. 3. & 42. excitauit de fimo, de vlcere pessimo, de om-

Luc. 16. nibus morbis & miserijs: beatum verò Lazarum fame & vlceribus confectum & prostratum in ianua Diuitis emori voluit. An quòd illi innocentes: isti verò peccatores? Aut quòd illos diligeret, istos autem odio prose-

queretur? Minimè gentium. Digna certè reſolutione quæſtio.

Primò reſpondent, iſthæc pertinere ad ea Dei iudicia magna & inſcrutabilia, de quibus Dauid: *Iudicia tua abyſſus multa.* Et Paulus exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia iudicia eius! Nõne figulus ex eadem maſſa poteſt facere vas aliud in honorem, aliud in contumeliam?* Hæc ſanè iudicia occulta eſſe poſſunt: iniuſta non poſſunt. Occulta nobis, manifeſta illi.

Pſal. 35. Rom. 8. Ierem. 18.

Secundò aiunt, de ratione miraculorum eſſe; vt ſint rara, non communia aut vulgaria: alioqui mira quidem eſſe: ſed non miracula. Ideoque & ſi, in liberatione quorundam Deus fecit miracula, non decuiſſe vt in omnibus pijs periclitantibus eadem faceret. Elias miraculo ſuſcitauit mortuum; non omnes. Eliſæus duos reuocauit ad hanc vitam: non plures. Chriſtus tres, Petrus viduam: Paulus Eutychium: non vniuerſos, qui ſua ætate obierunt, quia non decuit.

Tertiò reſpondetur, Deum non vno tantùm modo ſeruos ſuos ſummis periculis expoſitos poſſe & velle liberare, ſed varijs & multis. Quoſdam enim viſibiliter, ſecundum corpus, & in præſenti vita ſeruat ſicut liberauit, Iſaac, Iacob, Danielem, Suſannam, Iſraelem, & beatum Iob, idque ad tempus ſolummodo, & vt adhuc ſuper terram cum aduerſis colluctentur, denique ſuo tempore moriantur. Alios autem inuiſibiliter, & ſecundum ani-

mum, longè gloriosius à cunctis malis & hostibus eripit, vt secum in cælis in æternum quiescant atque glorificentur. Hoc porrò modo iam ab ærumnis vitæ istius gloriosissimè liberati sunt Prophetæ, Apostoli, Martyres, & quotquot in Domino mortui sunt, & quiescunt à laboribus suis.

Sed de Iobi liberatione temporali & corporea dicamus. Diuina apparitione & collocutione ab omni molestia ægritudineque sanatus, & pristino honori graduique restitutus, cognoscitur & visitur à cognatis, fratribus, sororibus, amicis, & his qui priùs eum nouerant. Venerunt ad eum, Domino sic disponente, & corda eorum ad hoc mouente, tam viri quàm fæminæ, & ad salutandum & colloquendum more solito; vt qui eum rursum sibi in principem & rectorem confirmarent, quē plagarum tēpore despexerant & neglexerant. In his porrò cernimus mundi ingeniū & mores. Pauperes & miseros aspernatur, tanquā à Deo abiectos. Diuites & felices honorat. In pretio pretiū nunc est: dat census honores. Census amicitias: pauper vbiq; iacet.

Omnes beatus Iob humaniter & placidè suscipiens, nihil exprobrat, iniuriarum acceptarum non reminiscitur: sed ante prædicatum mundo Euangelium, planè euangelicè viuens, cunctis ex animo condonat, vniuersos amplexatur omnibus congratulatur. Quinetiam, iam vtrumque reparata domo, & cibarijs quibusdam collectis, eosdem inuitat, si-

mulque mira caritate cum illis epulatur. Illi quoque tam capitis quàm pectoris nutibus significant, non fictam esse reconciliationē: sed ex toto animo, viribus, & facultatibus suis. Denique, illum sponte resumentes in Principem & rectorem suum, id muneribus significant atque coram protestantur, dantes illi quisque agnam vnam, inaurem auream vnam, quæ ad gregum reparationem initium faceret; quæ esset ad faciei ornamentum, & futuræ obeditionis symbolum. Finxit quondam Saul semel & iterum se cum Dauide reconciliatum esse: sed nisus configere illum lancea cum pariete, impiam detexit hypocrisim. Ioab quoque Aulicorum more in gratiam redijsse cum Abnero & Amasa simulans, vtrunque occidit proditoriè. Non sic autem Ioseph cum fratribus, quibus ex animo superiora in se facinora condonauit, omnes ex animo dilexit, amplexatus est, fouit tenerrimè. Quis Christi Domini cum Apostolis, Discipulis, aut vniuerso genere humano sua morte perfectam reconciliationem, vel lenissimæ falsitatis suspitione insimularet?

1. Reg. 18. & 19.

2. Reg. 3. 4. 20.

Gen. 50.

Io. 20.

Quis autem dubitet propriam vxorem Iobi, primam omnium hoc suum officium circa tā pium, tā iustum, tamq; patientem maritum cōmendasse? Illa ergo vel in primis accurrit, veniam humiliter petijt: quàm ille humanissimè concessit. Quis putaret, sine dulcissimis lacrymis & amplexibus? Sic debent piæ fæminæ,

cùm viros facto, verbo, vel fragilitate sua offenderunt, ad cor redire, & veniam postulare: viri autem facilè reconcilientur ac eis condonent. Docet enim istos Apostolus: *vt vxores* Ephe. 5. Gal. 3. 1. Petr. 3. *diligant, sicut Christus Ecclesiam. Neque sint amari ad illas. Tanquam infirmiori vasculo muliebri, eis honorem impertiant, &c.*

Cernamus etiam in hoc speculo, quàm bonum, iucundum, & salutare sit hominibus, Deum habere propitium, rebusque suis fauẽtem. Nam & tunc corda animosque piorum & amicorum conciliat, & cunctos quos oportet, fauentes secum reddit & obsequiosos. *Omnia*, etiam quæ videbantur, aduersa, *cooperantur in bonum.* Rom 8. Hinc præclarè Sapiens: *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Prou. 16. Nec vanæ promissiones. Quia enim Dominus erat cum Ioseph, Gen. 39. eidem conciliauit cor Heri sui: deinde, & Custodis carceris; denique & cor magni Pharaonis. Quoniam Deus dilexit Tobiam, dedit ei Tob. 1. gratiam in conspectu Salmanasar, &c. Sic & Danielem, & socios, Mardochæum, Estherem, Iuditham, in captiuitate positos, gratiosos fecit regibus Chaldæorum & Persarum, Dan. 3. 4. inter quos captiui erant & extorres. *Dedit eos in misericordias in conspectu omnium eorum qui cœperant eos.* Psal. 105. Studeamus igitur Deo seruire, & placere ei ex animo: nec malis artibus velut adulationibus, mendacijs, lenocinijs Principum ambiamus fauores. Id enim Deus præstabit, quantum oportebit atque decebit.

Dominus autem benedixit nouißimis Iob, ait Moyses, *magis quàm principio eius.* Et fuerunt illi 14. millia ouium, pro septem millibus: sex millia camelorum, pro tribus millibus: mille iuga boum, pro quingentis: famulis etiam pro horum sufficienti administratione duplicatis. Mira certè facultatum copia post tantam iacturam. Sic felix est exitus laborum patientiæ, humilitatis, pœnitentiæ, & obedientiæ. Dauidi post dura exilia, post longos labores, post tot discrimina rerum, regnum datum est amplissimum & gloriosissimum. *Bonorum laborum, gloriosus est fructus.* *1. & 2. Reg.* *Sap. 3.*

Sed hoc vni tantùm Iob, & semel duntaxat contigisse, dictitabis. Quot autem è contrario, & legimus in historijs, & cotidie cernimus, quibus oues, boues, liberi, domus, opes, possessiones, nec simpliciter tantum rependuntur? Respondeo. In harum amissione nec fuisti patiens, nec Deum benedicens, nec recedens à malo, sicut beatus Iob: sed obmurmurans & blasphemans, quibus æterna supplicia meruisti. Respondeo. Hæc non esse scripta propter Iob tantùm: sed & propter nos omnes, quibus consimiliter Deus operabitur, si oblatas vi facultates, Diuinis manibus eius magna fide & spe commiserimus, d. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* An non idem Deus & Dominus nunc, qui & tunc Iobo adfuit? Aut non easdem nobiscum factas habemus promissiones? Imò longè clariores: *Centuplum accipietis in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro.* *Matth. 19.* *Mar. 10.*

An non verissima & certissima promissio cōperta per Apostolos, *Nihil habentes, & omnia*
2. Cor. 6. *possidentes*? Quibusque sine baculo, sine pera,
Luc. 22. & sine argento peregrinantibus per orbem,
Hist. trip. Niceph. *nihil defuit*? Nonne Iouinianus, & Valentinianus gregarij aliquando milites, sed strenui Christiani, deposito pro causa & doctrina eius Balthæo, Romanū postea imperium, præmio pietatis suæ, acceperunt? Respondeo etiam tertiò, Crede constanter, speraque in Christū, & patienter expecta, citò adueniet Dominus, & pro tēporalium bonorum amissione voluntariè tollerata, reddet regnū cælorum, in quo
Isa. 64. 1. Cor. 2. tot bona, quot nec oculus vidit, nec auris au-
Math. 24. diuit, nec in cor hominis ascendit. Super pau-
Math. 25. ca quidem fuisti fidelis, sed constituet te Dominus, *super omnia bona sua. Possidete regnum pa-*
Apoc. 20. *ratum à constitutione mundi.* Et in Apocalypsi dicitur: *Regnabunt cum Christo in sæcula sæculorum.* Quod si hæc tam cælestia tamque Diuina promissa aut non credas, aut non speres, aut irrideas, pro impietate tua dignus es, qui & hîc, & in æternum pereas.

In Catena. Quærunt autem Basilius & Chrysostomus, Cur omnibus facultatibus duplicatis, soli liberi non geminantur? Sed tantùm septem filij & filiæ, vt priùs, Iusto redduntur? Respondent. Pecora omnia pœnitus perierant eorum sensitiuis animabus ita cum corpore extinctis vt nihil in altero sæculo superesset: non sic autem de filijs & filiabus, non sic. Horū etenim animæ rationales & immortales in

locum consolationis concesserant, vbi cum Abraham, Isaac, Iacob, & alijs iustorum spiritibus, beatissimum aduentũ Christi expectabant, qui hinc educeret & bearet tandem in cęlis gloriosissimè. Interea verò dum Iustus cũ nouis decẽ liberis in hoc sæculo oblectabatur, decẽ illi qui antegressi erãt in altero eũ pręstolabãtur, tũc illi adfuturi, cũ Iudex humanę vitę omnẽ cœtum iustorũ collegerit quando tuba aduẽtus illius prænuncia, ad corporũ exigenda deposita, vehementiore, sonitu suo sepulchra concusserit. Huiusmodi enim fuisse tam beati Iob, quàm reliquorũ veterum Patriarcharum atq. Prophetarũ fidem ac expectationẽ, vel ex hoc loco illius manifestatur: *Scio, quòd Redẽptor meus viuit, & in nouißimo die de terra surrecturus sum, rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Quis enim vel Euangelistarum, vel Apostolorum, caput hoc nostræ doctrinæ & pietatis Christianæ clariùs prædicauit? Idẽ oculo prophetico præuidẽs sanctus Iacob, inter benedictiones filiorum suorum exclamat ad Christum: *Salutare tuum expecto, Domine.* Quod Thargũ Ierosolymitanũ reddit: Non expecto redemptionẽ Gedeonis filij Ioas, neq; Sãsonis, quæ sunt transitoriæ: sed expecto redemptionem Christi, siue Messiæ filij Dauid, qui venturus est: cuius Redemptionem expectat & desiderat anima mea.] Regius quoque Psaltes canit: *Credo videre bona Domini in terra viuentiũ.* Daniel quoque prædicat: *Qui dormierunt in puluere, resurgent.*

Iob. 19.

Gen. 49.

Tharg. Ierosol.

Psal. 26.

Dan. 12.

Ezech. 37. Ezechiel quoque vaticinari iubetur ad campum ossibus mortuorum repletum, vt surgant. Hinc magna cura religiosæ sepulturæ in Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Mose, Dauide, &c. ob spem resurrectionis futuræ.

Denique, duo ad fælicitatem Iobi consummandam adijciuntur: primum de filiabus, postremum de longæuitate & felice exitu eius ex hac vita. Quantum ad primum spectat, quoniam magno & naturali desiderio expectant parentes, posteros quosdam vtriusque sexus, facultatum suarum hæredes relinquere, Gen. 15. vt patet in Abrahamo, nec in hoc beatus Iob defraudatus est à desiderio suo. Filiabus porrò suis nomina dedit perfectionibus earum aptissima. His namque peculiarem gratiam tam exteriorem corporis, quàm mentis interiorem significare voluit. Primæ nomen imposuit IEMIMA, secundæ KEZIA, tertiæ, KÆREN-HAPVCH. Chaldæus interpres rationem addit nominum. Vocant, inquit, vnam *Iemima*, quòd pulchra esset sicut dies. Alteram *Kezia*, quòd nobilis esset sicut species aromatica, quam Cassiam vocant. Et tertiam *Kæren-hapuch*, id est, Cornustibij, pro- In Catena. pter elegantiam vultus eius. Notat etiam Olympiodorus, Iobum nominibus quæ filiabus imposuit, bonorum quę largitus est sibi Deus, non obscuram voluisse significationem conficere. Ita primam filiam *Diem* nominauit, ideo quòd ab obscurissima ærumnarum nocte, ad fælicitatem restitutam diuinitus, quasi

ad

àd Diei lucem aspiciendam esset reuocatus. Secundam, *Cassiam* appellauit, quòd iam is odoris quadam suauitate bonorumque voluptate frueretur. Tertiam *Amalthea cornu* vocauit, quòd vitam deinde vixerit omni bonorum genere præstantē. Tria quoq; præclara virtutis documenta, quæ tribus temporibus Iobus dedit, tribus formosis filiabus indicantur: siquidem & in diuitiis, & in paupertate & in restauratione rerum, illius fuit spectata virtus. Infert denique: Filias liberali spiritu, atque egregia forma suscepit, vt earum aspectu omnis superioris ærumnæ memoria funditus interiret.] Et verò Patrum hæc item fælicitas, liberos eximia facie procreare: quandoquidem & Saræ, & Iosephi, & Dauidis diuina Scriptura commemorat adspectum. Verùm cùm hæc forma corporum euanida sit atque caduca, imò & multorum scelerum occasionem præbeat: pulchritudini animorum atque conscientiarum est præ omnibus studendum. Coram Deo & Angelis eius ornata sis virtutibus, non vnionibus: præclarè & iustè factis, non fucis aut pigmētis. *Fallax est gratia illa corporum, & vana pulchritudo: mulier timens Deum, ipsa laudabitur.* Prouer. 31.

Alterum, quod ad beati Iob felicitatem pertinet, est quod diutissimè post has ærumnas vixerit diuina affluens vndique benedictione. Hebræi namque aiunt, vixisse 140. annis: Græci 170. Viditque longam nepotum seriem, videlicet filios filiorum, non solùm vsque ad se-


cundam generationem, quod frequens est: nec solùm vsq; ad tertiam, quod rarius: verumetiã vsq; ad quartam, quod rarissimè solet euenire.
Exod. 20. Atq; hæc vitæ felicis diuturnitas ad illas temporales benedictiones pertinet, quas seruis
Psal. 90. suis dudũ Deus promittebat, d. *Vt sis lõgæuus su-*
Ps. 20. *per terram. Longitudine dierum replebo eum. Vitam petiit à te, & tribuisti ei.* Sic Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Tobias, Dauid, obiisse dicuntur senes, & pleni dierum. Paulus, Petrus, Ioan-
Ep. ad Philem. nes senectam suam commemorant. In his au-
1. Petr. 5. tem Deus præbet nobis conspiciendam ima-
2. & 3. Io. ginem quandam vitæ æternæ quam pollicetur: insuper, & prouidentiam suam aduersus rabiem Satanæ, nos vbique & & semper lacerare, & sicut leo rugiens deuorare cupientis.

Atque hæc de beati Iob tragicomœdia, qui-
L. 3. Com. in bus finem imponimus istis antiquissimi & do-
Iob. ad finem. ctissimi Adamãtij Origenis verbis: Beati qui te fuerint imitati, ô beatissime Iob. Beati, qui tua vestigia fuerint secuti. Beati, qui similiter vt tu, in fide, & pietate, atque omnium sibi accidentium tolerantia consumati fuerint. Hi requiescẽt in perpetuum apud Deum Patrem, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.] Idem
L. 2. Com. in rursus. O beate Iob, quis similis tibi gloriabi-
Iob. ad finem. tur propter iustitiam? Mortuus est Abel, sed semel, & celeriter est mortuus: admirabilis verò Iob cùm mille mortes sustineret, mortem superauit, mortem vicit, in morte victoriam sumpsit. O beate Iob, viuens in perpetuũ apud Deum, ora pro nobis miseris, tv etiam

nos terribilis Dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppressionibus Maligni, & connumeret nos cum iustis, & conscribat nos cum his, qui salui fiunt, & requiescere nos faciat cum illis in regno suo, vbi perpetuò cum sanctis magnificemus illum. Amen. Amen.

HOMILIA VIGESIMA QVINTA.

Quòd beatus Iob, cum familia sua typum gesserit Christi, ac Ecclesiæ eius Catholicæ.



Vm plurima recensuisset Doctor Gentium, veterum Patrum acta gestaque, ac in eos grauissima Dei omnipotentis iudicia, subiicit tandem: *Hæc omnia in figura contingebant illis*: quibus indicat & eas, quæ de priscis illis narrantur historias reipsa quidem veras & indubitatas esse: verùm & ea adumbrasse ac præsagiisse, quæ sub Euangelio futura erãt in Christo Domino, ac eiusdem Ecclesiæ, quæ vera est sponsa atque familia illius. Priscorum namque non solum lingua, sed & vita prophetica fuit. Ideoque scribit vir apostolicorum temporum Tertullianus: Scimus sicut verbis, ita & rebus

1 Cor. 10.

L. de resurrect. carnis. c. 28.

tiones, quas Ecclesia passura est, vsque ad finẽ sæculi, sed & figurarum partes hinc inde multis persequitur ac exponit. Nos vestigiis Patrũ pro viribus insistamus.

1. Iob significare dolentem & gementem ex B.Hieronymo nunc audiebamus. Quod suo suffragio comprobans B. Gregorius ait: Quem alium beatus Iob suo nomine exprimit, nisi eum de quo Propheta loquitur dicens? *Dolores nostros ipse portauit?* Sed & Dauid de Domini perpessionibus manifestè scribit: *Ego sum pauper & dolens. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Sed & dolorum grauitatem explicans in Threnis Ieremias omnes nos ad horum cõtemplationem & meditationem sub typo Ierusalem inuitat, dicens: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Tribulationẽ enim & dolorẽ inuenit in capite, in genis, in ore, in capulis, in brachiis, in manibus, in latere, in pedibus, adeoque in singulis membris, vt nõ esset in eo sanitas. Dixit enim: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.*

L. 1. Mor. c. 5.
Isa. 53.
Ps. 68.
Thren. 1.

2. Iob autem habitauit Huz, quæ est terra (inquit) Gentilium, quæ cognitionem sui Creatoris ignorauit: ideoque bonus inter malos, maiorem laudem meretur. Et Christus tunc in mundo nobis natus est, cùm inimici essemus, ac impiorum Dæmonum cultus totum ferè occuparet orbẽ. Nam & si Iudæi in quodam terræ angulo, legem haberent & templum, & sacra Deo vero facerent: pars tamen

Greg. L. 1. Mor. c. 1.
Rom. 5.

eorum atheismos Sadducæorum, pars hypocrises Pharisæorum amplexabatur: omnes penè Christum filium Dei, verum Deum & saluatorem ad se missum oderũt, repulerunt, cru-
Io.1. cifixerunt. *In propria venit & sui eum non recepe-*
Luc. 19. *runt. Non cognouerunt tempus visitationis suæ.* Cla-
Io. 19. mauerunt: *Nolumus hunc regnare super nos. Tol-*
Io.3. *le, tolle, crucifige eum. Magis dilexerunt tenebras, quàm lucem.*

3. Nec dubitandum, quin eximia illa B. Iob rectitudo, iustitia, & simplicitas, qua nec quidam in labiis suis quidquã peccauit, ter maximam Christi sanctitatem, & perpetuam vitæ humanæ innocentiã significauerit. Hic enim nec quidem vllo modo peccare potuit, tum propter summam gratiam & gloriam animæ eius concreatam quæ delictum non admittit: tum propter vnionem, qua Deo tam intimè perpetuoque adhæsit, vt ab eo seiungi non posset. Hinc Prophetæ & Apostoli de eo prædicant: *Peccatum non fecit, nec inuentus*
Isa. 53. 1. Petr. 2. *est dolus in ore eius.* Ipse quoque sibi in cunctis bene conscius, aduersus calumniatores suos
Io. 8. fidenter se erigit, d. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et reapse, talis decebat vt nobis esset
Heb. 7. Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non haberet necessitatem prius pro suis delictis hostias offerre. Aliàs enim nec fuisset satis idoneus redemptor nec aliorum peccata propria authoritate sua remittere po-
Dialog. tuisset. Scitè Iustinus martyr ait: Volente Deo,

ſine peccato, ex genere Abrahami, de virgine Ieſus Chriſtus natus eſt. Nec minus Tertullianus: Soli Dei filio ſeruabatur, ſine delicto permanere. *L. Præſcription.*

4. Neque myſterio ſuo vacat opum omnis generis immenſitas illa, qua Iob clarus fuit inter, ſuperque omnes orientales. Quandoquidem & Chriſtum adumbrauit, cui Pater dedit omnia in manu: *Data eſt mihi* (inquit) *omnis poteſtas in cælo & in terra. Poſtula à me* (ait Pater ad eum) *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Hunc conſtituit hæredem vniuerſorum. Eundem conſtituit ad dexterã ſuam in cęleſtibus ſuper omnem poteſtatem, & principatum. Donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c. Quinetiam B. Ephræm, quantas diuitias in Chriſto & per Chriſtum habeamus, iſtis verbis connumerat: Habemus Angelos quos iugiter cogitemus, habemus Archangelos, habemus Poteſtates atque Virtutes; habemus Dominationum gloriam, habemus Cherubin & Seraphim, habemus noſipſos. Habemus Deum ac Dominum vniuerſorum. Habemus Prophetas, Apoſtolos, ſancta Chriſti Euangelia. Habemus ſanctos Martyres, Confeſſores, ſanctos patres noſtros, paſtores, ſacerdotes: habemus denique cælos, & omnia quæ in eis ſunt. Hæc meditare ſemper, in his mentem tuam iugiter dirige, eriſque filius Altiſſimi, &c. *Iob.13. Matth. Pſ. 2. Heb.1. Eph. 1. Philip.2. Tractatu de perfecta renunciatione.*

5. Numeroſam ex legitima vxore ſua prolem

tionem accipiunt. Vides homo illustrem miraculi editionem, cernis sublime sacrificium, quàm facilè sordes animarum eluat. Benedicitur Saluator, qui fecit in terris superillustre hoc & purgatiuum donum.]

6. Quid verò præsagiit, quod tã infesto odio in Iobum arderet Satan, vt semel & iterum peteret à Deo, in eum sæuiẽdi potestatem? Quod idem ipse postea aduersus Christum præstitit, in deserto, in pinaculo templi, & in monte, vbi conatus est eum ad infidelitatem, apostasiam, ambitum, homicidium spontaneum, idololatriam, aliaque aduersus Deum Patrem suum horrenda scelera impellere. Nec dubium, quin per voces Iudæorum, studuerit eundem ad desperationem & blasphemias incitare, d. *Si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei. Si filius Dei est, liberet eum de manibus nostris. Alios saluos fecit, non potest seipsum saluum facere, &c.* Sed vt frustra Iobum Satanas impugnauit, ita & Christum in vanum adortus est. *Matth. 4. Luc. 3. Mar. 1. Matth. 26. & 27.*

7. At verò, & seruis, & liberis suis Iob priuatus est. Et Apostolos discipulosq; vis tentationis Satanicæ abstraxit à Christo. *Omnes vos scandalum patiemini in me hac nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Ita impleri oportuit quod per Prophetam dictum fuerat: *Torcular calcaui solus.* *Matth. 26. Zach. 13. Isa. 25.*

8. Vxorem etiam excitauit Satanas aduersus Iustum, vt eum ad impatientiam prouocaret. Et Synagogam vt contra Christum clamaret: *Crucifige, crucifige eum.* Sanguis eius super nos,

& super filios nostros.

9. Iob toto corpore laceratus & cruentatus, miserabile spectaculum præbuit. Et Christus alapis, flagellis, corona spinea, clauis, lancea, totum sanguinem pro nobis effudit. Quinetiã in horto, factus in agonia, sudore sanguineo, totus maduit.

Luc. 22.

10. Græcorum patrum sententia, Iobus tanquam pestifer, extrusus est extra ciuitatem, sedit in sterquilinij loco fœtido. Et Christus baiulans sibi crucem, inter latrones, vt dux eorum, ciuitatem Solymorum exiuit, in eum, qui dicitur Caluariæ locus, vbi sontes plectebantur, ossibus & cadaueribus horrendus. Hinc Paulus figuras legis veritati coaptans, ait: *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

Iob. 19.
Leuit. 16.
Heb. 13.

11 Amicis Iob, qui venerant, vt visitarent & consolarentur eum, tandem abusus Satan, linguas eorum exacuit aduersus eum, & adeo grauiter læserunt & afflixerunt eum vt plus de ipsis conqueratur, quàm de ipso Satana. Ait enim: *Quare detraxistis sermonibus veritatis? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis. Subuertere nitimini amicum vestrum.* Et postea: *Ostendam vos fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum. Consolatores onerosi omnes vos estis. Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? En decies confundi-*

Iob. 6.
Iob. 13.
Iob. 16.
Iob. 19.

tis me, & non erubescitis opprimentes me? & cetera. Audiuimus porrò ex beato Hieronymo, istos figuram gessisse Hæreticorum, qui sub nomine Christi, Christum impugnant & blasphemant. Et reipsa de horũ aduentu, fraudibus, maleficiisque non semel nos admonuit. *Venient ad vos in vestimentis ouium. Surgent pseudoprophetæ, & seducent multos.* Petrus, Paulus, Ioannes, de pseudoapostolis frequentes iaciunt ore querelas. Nec frustrà, quandoquidem ab initio nascentis Ecclesiæ, aduersus eam insurrexerunt Nicolaitæ, Simoniani, Ebionitæ, Cerinthiani, Gnostici, Marcionitæ, Sabelliani, Arriani, & sequentibus semper sæculis fuerunt inimici homines, cui zizania sua in agris Domini seminauerunt. Et si quidem sanctissimam personarum Trinitatem confuderunt, hi Essentię vnitatem lacerarunt, hi Sapientiæ & omnipotentiæ detraxerunt: isti verò sancti Spiritus maiestatem imminuerunt, humanitati Christi obloquuti sunt, verè passum & mortuum pro nobis negauerunt. Nostro autem hoc nouissimo sæculo exorti sunt, qui & Deo, & Angelis, & Sanctis, & Sacramentis, & sacris omnibus bellum acerrimum indixerunt. Nos in alio Scripto, eos vicimus, & reuicimus.

Matth. 7. & 24. *Matth. 13.* *Sabell.* *Arian.* *Gnost.* *Eunom.* *Manich.* *Theom.*

12. Iob in angustiis & doloribus suis frequẽter & grauiter conquestus clamauit. Et Christ⁹ in horto apud Patrem conquestus est, & in crucem actus, dicit Patri: *Cur dereliquisti me? Sitio.* Cum clamore valido & lacrymis, ait Paulus,

Matth. 26. 27. *Luc. 22.* *Io. 19.* *Heb. 5.* *Iob. 30.*

principatum, potestatem, & caput supra omnem Ecclesiam. Dedit illi Pater nomẽ quod est super omne nomen. Constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum. Et non solùm redierunt ad eum omnes Apostoli & Discipuli, sed & nunc duo millia, mox tria hominum, denique vniuersi fines terræ ad eundem, tanquam ad vnicum, verumque totius mundi Redemptorem & Saluatorem accesserunt. Cui vnà cum Patre, & Spiritu sancto sit laus, honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Eph. 1. *Heb. 2.* *Philip. 2.* *Act. 10.* *Act. 2. & 3.*



ORTHODOXA,

GRAVISQVE CENSVRA, ANTIQVISSIMI, SApientissimi, sanctissimíque patris Ephræm, Syri, de præcipuis Fidei Christianæ capitibus, hoc sæculo controuersis. Cui additæ sunt Notæ R.P. ac Magistri FEVARDENTII.

Non te prætereat narratio seniorum Sapientium; ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus. *Eccli.* 8.



CAROLO TVRGOTIO, SACRI CONSILII IN Rothomagensi Curia, Senatori, F. FRAN. FEVARDENTIVS.

S. P. D.



Vm superioribus nouissimæ Quadragesimæ diebus, quidquid à cottidianis Concionibus otii superesse poterat, in legendis & meditandis sanctissimi patris Ephræm, Syri, Libris impenderam, multa obseruabam, quæ ad hæreses huius sæculi refellēdas, Catholicam verò fidem asserendam & propugnandam pertinebant. Hæc selectis Chartis consignata, & in septem supra quinquaginta capita, ordine disposita, & breuioribus Notis in hæreses signata & explicata, Homiliis nostris, cùm locus magis opportunus tunc non da-

retur, subiunximus, vt piis omnibus communicarentur. Ista si legere dignentur Nouatores, perspicient clarissimè, dogmata illa, quæ velut Romana & Pontificia, tam acerbo odio persequuntur & damnant, etiam ab initio in Syria, in Mesopotamia, in Chaldæa, in Oriente, in Africa, in Occidente, & vbique terrarum, omnibus à Christo sæculis, authoritatem habuisse, & fidem meruisse. Hic enim est Ephræm ille, qui temporibus magni Constantini, & filiorum eius, id est, ante annos mille & trecentos, Nisibi Syriæ ciuitate, natus ex parentibus (vt ipse fatetur) qui in iudicio Christum professi fuerant, & Martyribus sanguine cōiunctus erat. Hic virtute & doctrina sua, ad tantam venit claritudinem, scribit B. Hieronymus, vt post lectionem Scripturarum, publicè in quibusdam Ecclesiis, eius scripta recitarentur. Sed de eo certa quorundam Veterum laudemus testimonia.

Vitam eius graphicè copioseque describit Gregorius Nyssenus, & quot, quantisque præsagiis futura eius sanctitas & virtus eius præsignata fuerit. Subscribunt ei Metaphrastes, & aliquot Græci Anonymi. Amphilochius Iconii Episcopus, confert illum cum magno Basilio, cuius precibus ac meritis donum Gra-

cæ, Atticæque linguæ acceperit, cuius prima verba fuerunt: σῶσον, ἐλέησον, ἀνάστησον, καὶ διαφύλαξον, ἡμᾶς τῇ χάριτι. Id est, Salua, miserere, resuscita, & tuere nos, Deus tua gratia. Et impleta est Scriptura. Aperta erit lingua mutorum. Ille etenim linguam tantùm Syriacam nouerat. Basilius multis modis magnus, illum citans, ait: Tantùm ille à mundana sapientia distabat, quantùm verarum rerum scientiæ propinquior erat. De eodem sic cum admiratione loquitur B. Chrysostomus: Vbi est Syrus ille Ephræm magnus obtorpescentium excitator, afflictorum consolator, iuuenum disciplina, instructor, atque exhortator, Monachorum speculum, dux pœnitentium, framea ac spiculum aduersus hæreticos, virtutum receptaculum, & Spiritus sancti habitaculum atque diuersorium?] Theodoretus appellat illum, Virum admirabilem, & Scriptorem inter Syros, facilè excellentissimum. Sozomenus ait: Eum inter cæteros, in magna laude vixisse, & Ecclesiam Catholicam cum primis exornasse. Cedrenus affirmat, illum virum extitisse dictis factisque magnum, ac multa vtiliter conscripta Ecclesiæ reliquisse. Nicephorus denique scribit: Dicitur sanctus Ephræm trecentas versuum myriadas conscripsisse. Multi quoque

Isa. 35.

Hom. 2. in hexam.

Hom. ad hæreticos.

L. 2 hist. c. 30.

Hist. l. 3. c. 15.

Hist. l. 9. c. 14.

eidem fuêre discipuli, qui institutionem & Philosophiam eius sunt æmulati, &c.

Hanc porrò ex Scriptis eius Collectionem tibi inscripsi, non quòd sic plurimis & magnis tuis in me meritis, parem gratiam referre putem: sed (cùm aliud donare non valeam) quia animum tibi gratificandi meum, hoc isto literario pignore, testificari velim. Nec inepte, facio enim rem cum tuis moribus, tuoque studio congruentem. Primùm enim moribus probum, religione Catholicum semper professus, ne latum quidem vnguem à Patrum pietate, à Catholicorum præceptis vnquam discessisti: sed pro Hæreticorum idolo, CHRISTVM *: pro meretriciis illorum amoribus,* VIRGINEM *amplexus, inter vbera Ecclesiæ perpetuò es suauiatus. Deinde, nemo prorsus negauerit, nisi errore excæcatus, magnam Theologiæ, & (quam profiteris) Iurisprudentiæ, coniunctionem. Nouimus namque Diuinarum tabularum leges, sequentium Legum, & totius Iuris fontes extitisse. Vnde conuenit (ait Iustinianus loquens de fiducia in Deum, vt legislationes nostræ inde pendeant, & hoc earum principium, simul ac medium atque finis sit, vt reipublicæ bene prospicientes, quemadmodum monet Isocrates, frustra*

porticus legum tabulis impleant, nisi & in hominum mentibus æquitatis imaginem exprimant, atque defigant. Qua si non decretis tantum, sed sanctis etiam moribus Ciuitas composita, bene gubernetur. Eo igitur animo istam oppellam nostram accipe, Senator optime, quo ad te mittitur, syncero & candido.





ORTHODOXA,

GRAVISQVE CENSVRA, antiquissimi, sapientissimi, sanctissimique, patris, Ephræm, Syri, de præcipuis fidei Christianæ capitibus, hoc sæculo controuersis.

CAPVT PRIMVM.

Deum vnum esse, omnibus notum est, per speculum Creaturarum.



TOto corde & animo credite, quòd vnus sit Deus, creator cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, omnis principij expers, incomprehensibilis, inenarrabilis, inseparabilis, inalterabilis, omni fine carens, dator luminis, amator & redemptor hominum, magnus & admirabilis, terribilis & fortis,

ſuauis atque benignus. *Tractatu de vita B. Abramii. Pagina* 752. Vnum enim Deum eſſe bonum, teſtantur omnes mortales. *Teſtamento, Pagina* 790. Quo pacto (inquis) ait Euangelium, quòd Deum nemo vidit vnquam? Non inquã, vidit quiſquam eius magnitudinem aut naturam. Verùm per ſigna viderunt Sãcti. Per ignis rubum, Moyſes: per turbinem, Iob: per nubem Jſaias: per lucem, Paulus: per vocem, omnis Iſrael: & nunc ſancti per operationes, dum ſcilicet quaſi per quædam media manu ducuntur. Reges qui non ſunt noti, pictorum artificio innoteſcunt. Non vidiſti Regem, ſed ipſum in imaginibus cernis. *Lib. de pœnitentia. Pag.* 566. Beati nos omnes, qui Dominum habemus adeò bonum, dulcem, malitię immemorem, benignum, pium, miſericordem & longanimem. *Ser. 1. de pœnitentia, Pag.* 145.

Io. 1. *1. Io. 4.* *Exod. 3.* *Act. 7.* *Iob. 38.* *Act. 9.*

NOTÆ. F. FRANCISCI FEVARDENTII.

Cum penitus alterari aut commutari non poßit ſumma illa Dei maieſtas, vt idem ipſe per Prophetas & Apoſtolos ſuos conteſtatur: nimium profectò impij ſunt ac blaſphemi, Caluinicæ theologiæ Miniſtri, autumantes, Eum inconſtantem, mutabilem, ſuæque naturæ repugnantem futurum, ſi corpus Chriſti ſui, eodem tempore in multis locis ſimul conſtitueret. Adhæc, cùm tanto amore humanum genus complectatur: Magnam eius partem nec deſtinatò creat vt damnet, nec ad peccandum impellit; quòd Hæreſiarcha ſcribere non timuit.

Num. 29. *Mal. 3.* *1. Tim. 6.*

CAPVT SECVNDVM.

Pater ab æterno de ſubſtantia ſua genuit Filium, & produxit Spiritum ſanctum.



Voniam Deus Pater præuidit nihil eorum, quæ fecit, ipſum capere poſſe, produxit Filium ſine principio, ex ſubſtantia ſua: & Spiritum ſanctum, non ex neceſſitate, vel cauſſa aliqua, ſicut diximus cùm de Verbo ageremus, vt bonitatis ipſius plenitudinem acciperet: quia naturaliter ipſum ex ſubſtantia ſua genuit, *& cetera.* Cæterùm Spiritus ſanctus non genitus eſt, ſed proceſſit ex ſubſtantia Patris, non imperfectus, neque promiſcuus. Non enim modo Pater eſt, modo Filius, ſed Spiritus ſanctus plenitudinem habens bonitatis, & in teſtimonium Diuinitatis procedens. Quia non vlla perturbatione, aut tempore, aut neceſſitare, aut mutatione, aut alia quacunque cauſſa Pater Filium genuit; ſed natura ab omni neceſſitate remota ac libera, quam per ſuam conſtituit hypoſtaſin. Aliumque Pater conſortem voluit, non quem genuit, ſed produxit, Spiritum ſanctum ex ſubſtantia ſua: non ante Filium, ne dicamus neceſſitati voluntatem eius ſubie-

ctam esse. &c. Quod porrò post Filium, Spiritum sanctum dicimus, id non temporis, sed personæ significatiuum: cùm Spiritus & Verbi vna & eadem sit principij expers essentia atque substãtia. Pater ergo neque tempore indiguit in generatione Verbi: neque vllo temporis interuallo post Verbum produxit Spiritum sanctum. &c. *Tractatu de confeßione, & sui ipsius reprehensione. Pag.* 605. Quicunque Patre Filium minorem fecerit, inhumatus & absque sepultura ipse etiam viuus in terram pariter descendat. Si quis verò aduersus Spiritum sanctum dissenserit, talis in iudicio misericordiam non obtineat. &c. *Testamento. Pagina.* 792.

NOTÆ.

Hinc quoque patet Filium ac Spiritum sanctum, verè hypostases esse, id est, personas: non nudas proprietates. Præterea vtrumque ortum habere ex substantia Patris: non à seipsis. Denique, eadem æternitate cum Patre gaudere, sine vllo durationis principio. Non sunt itaque istæ tres personæ diuinæ, secernendæ (vt faciunt Caluiniani) per tres caussas, tres gradus, tres formas, tresue specie differentes personas.

CAPVT TERTIVM.

Sanctissima Trinitas personarum

Notæ Magistri Feuardentij,

Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnus Deus est vt creditur, adoratur, & inuocatur à Christianis.



Vemadmodum inter omnia corporis tui membra nullum tibi præstantius est capite, certò sciens te, absque illo non posse viuere: ita tibi rebus anteponenda est omnibus fides sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, quòd sine ea vitam, quæ verè vita sit, viuere nemo queat. *Lib. de recta viuendi ratione cap. 46. Pag. 43.* Pro thorace fidem assume, credens inconsubstantialem atque indiuiduam Trinitatem. *Lib. de armatura spirituali. Pag. 479.* Immaculata, & indiuisa & adoranda Trinitas ad pœnitentiam te inuitat, & tu suspiras? *Ser. de compunctione animi. Pag. 590.* Pater & filius, & Spiritus sanctus tres quidem sunt personæ, sed vna substãtia, & vna Diuinitas. Quamobrem & vnus Deus est sancta & consubstantialis Trinitas. *Confessionis & reprehens. sui ipsius. Pag. 604.* Vna persona Patris, & vna Filij, & vna Spiritus sancti. Vna Diuinitas, vna potentia, vnum regnum in tribus personis, siue hypostasibus. Sic glorificamus sanctam vnitatem in Trinitate, & sanctam Trinitatem in Vnitate. In quo Pater è cælo clamauit. *Hic est filius meus dilectus* Hæc suscepit sancta Dei Catholica Ecclesia. In ipsa sancta Trinitate baptizat in vitã æternam. Ipsam sanctificat honoris æqualitate: &

Math. 3. & 17.
Math. 28.

ipsam confitetur citra diuisionem ac separationem: eamque adorat sine errore, profitetur & glorificat. Ipsi in tribus personis Vnitati conuenit gloria, gratiarum actio, honor, potentia, atque maiestas, Patri, & Filio, & Spiritui sancto: nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. *Ser. in transfigurationem Domini. Pag. 689.* Si in mente mea Deum Patrem amplius quàm ipsius Filium magnificauerim, ne conseruetur in me miseratio pietatis. Et si ex Deo Spiritum sanctum imminui, longè ab eius aspectu tenebrosus reddar. *Testament. Pagina. 786.* Deo Patri conuenit gloria, Vnigenito Filio adoratio, & Spiritui sanctò maiestas atque magnificentia, ante omnia sæcula, & nunc, & semper, & in generationum generationes, per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Ibidem Pag. 794.* Illuminetur corpus & anima, lumine cognitionis tuæ, vt occurrentes in vnitatem fidei & agnitionis sanctæ & adorandæ Trinitatis, in virum perfectum, in mensuram ætatis, cum Angelis, & omnibus, qui ab initio complacuerunt Deo, glorificemus omni honore dignum, obseruandumque nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. *Eph. 4.* *Oratione ad Deum. Pag. 252.* Gloria Patri immortali, & Filio immortali, & Spiritui sancto immortali. Adoratio, honor, & imperium tibi Domine, &c. *Alia orat. Pag. 254.* Gloria Patri, qui creauit nos: Gloria Filio, qui saluauit nos: Gloria Spiritui sancto, qui reparauit nos, in sæculorum sæcula, Amen. *Alia ora-*

Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnus Deus est vt creditur, adoratur, & inuocatur à Christianis.



Vemadmodum inter omnia corporis tui membra nullum tibi prestantius est capite, certò sciens te, absque illo non posse viuere: ita tibi rebus anteponenda est omnibus fides sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, quòd sine ea vitam, quæ verè vita sit, viuere nemo queat. *Lib. de recta viuendi ratione cap. 46. Pag. 43.* Pro thorace fidem assume, credens inconsubstantialem atque indiuiduam Trinitatem. *Lib. de armatura spirituali. Pag. 479.* Immaculata, & indiuisa & adoranda Trinitas ad pœnitentiam te inuitat, & tu suspiras? *Ser. de compunctione animi. Pag. 590.* Pater & filius, & Spiritus sanctus tres quidem sunt personæ, sed vna substātia, & vna Diuinitas. Quamobrem & vnus Deus est sancta & consubstantialis Trinitas. *Confessionis & reprehens. sui ipsius. Pag. 604.* Vna persona Patris, & vna Filij, & vna Spiritus sancti. Vna Diuinitas, vna potentia, vnum regnum in tribus personis, siue hypostasibus. Sic glorificamus sanctam vnitatem in Trinitate, & sanctam Trinitatem in Vnitate. In quo Pater è cælo clamauit. *Hic est filius meus dilectus*

Math. 3. & 17. Hæc suscepit sancta Dei Catholica Ecclesia.

Math. 28. In ipsa sancta Trinitate baptizat in vitā æternam. Ipsam sanctificat honoris æqualitate: &

ipsam confitetur citra diuisionem ac separationem: eamque adorat sine errore, profitetur & glorificat. Ipsi in tribus personis Vnitati conuenit gloria, gratiarum actio, honor, potentia, atque maiestas, Patri, & Filio, & Spiritui sancto: nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. *Ser. in transfigurationem Domini. Pag. 689* Si in mente mea Deum Patrem amplius quàm ipsius Filium magnificauerim, ne conseruetur in me miseratio pietatis. Et si ex Deo Spiritum sanctum imminui, longè ab eius aspectu tenebrosus reddar. *Testament. Pagina. 786.* Deo Patri conuenit gloria, Vnigenito Filio adoratio, & Spiritui sanctò maiestas atque magnificentia, ante omnia sæcula, & nunc, & semper, & in generationum generationes, per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Ibidem Pag. 794.* Illuminetur corpus & anima, lumine cognitionis tuæ, vt occurrentes in vnitatem fidei & agnitionis sanctæ & adorandæ Trinitatis, in virum perfectum, in mensuram ætatis, cum Angelis, & omnibus, qui ab initio complacuerunt Deo, glorificemus omni honore dignum, obseruandumque nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. *Oratione ad Deum. Pag. 252.* Gloria Patri immortali, & Filio immortali, & Spiritui sancto immortali. Adoratio, honor, & imperium tibi Domine, &c. *Alia orat. Pag. 254.* Gloria Patri, qui creauit nos: Gloria Filio, qui saluauit nos: Gloria Spiritui sancto, qui reparauit nos, in sæculorum sæcula, Amen. *Alia ora-*

Eph. 4.

tione. Pag. 256. Sanctissimæ Trinitati sit gloria, in sæcula sæculorum. Amen. *Serm. de timore animi. Pag.* 68.

NOTÆ.

H*Is aperte & constanter damnatur istud nefarium Satanicumque plane desiderium*: Vtinam sepulta essent nomina, Trinitatis, personarum substantialium. *Eademque opera reprobatur Musculus dicens*: Nollem coram Ethnicis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dicere tres personas: ne viderer tres deos. *Hic namque sanctiss. & doctissimus author illus palam profitetur, prædicat, inuocat, adorat. Idque Apostolorum commotus exemplo, qui sacrosanctum mysterium istud, per totum orbem asseruerunt ac explicauerunt, sine vllo Ethnicorum timore aut obstaculo: idque tot locis, quot sanctum Baptisma aut exposuerunt, aut contulerunt. Eos autem quis enumeret? Et vnde in sanctiss. Trinitatem personarum, ac vnitatem Deitatis, gentes omnes aliàs credidissent? Addendum, quod hic B. Pater, adorandam & inuocandam adfirmans esse Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, Caluinianos id nunquam præstantes; quinetiam in contemptum eius sanctissimum istum versum ex Psalmis eradentes*: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, *nefaria impietatis coarguit. Eosdem insuper, satis aperte damnat, dicentes cum suo Barthasio*; ; Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres spiritus: *Caluinum increpat putantem trium personarum actiones ad extra, diuisas esse: Bezam postremò Christianum esse*

negat, autumantem: Essentiam diuinam realiter, verè & ab æterno distinctam esse in tribus personis. *Istud namque est Tres deos, reipsa distinctos inter sese constituere: quod planè Ethnicorum poëtarum est.*

CAPVT QVARTVM.

Idem Dominus Deus est omniscius, omnipotens, misericors, longanimis, summè bonus, permittens licèt, mala fieri ab improbis.



I nihil eorum quæ clam fiebant (à Rege Syriæ,) latebat Prophetam (Elisæum:) nonne aliquid rerum vniuersarum Creatorem, latere poterit? Minimè verò. Hinc etiam in occulto orare iubemur, Domino saluatore nostro dicente: *Cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ne igitur tristeris, neque vacilles: In oculis enim Dei versamur, velimus nolimus. *Lib. de vita spiritali. Pag.* 51. Quoniam non rit impossibile apud Deum omne verbũ. Ipse naccessum mare, peruium reddidit populo suo. Ipse manna pluitiis, & ex mari cotur-

4. Reg. 6. *Matth. 6.* *Luc. 1.* *Exod. 14.* *Exod. 16.*

nices, sicut arenam maris. Ipse ex petra durissima, aquam sitientibus præbuit. &c. *Lib. reprehensionis ipsius. Pag.* 70. Beati nos cuncti sumus homines, qui Dominum adeò habemus bonum, dulcem, malitiæ immemorem, benignum, pium, misericordem, & longanimem, semper iniquitates nostras (si tamen ipsi voluerimus) remittentem. Hortatur, longanimiter suffert: cuncta bona sua nobis largitur in hoc sæculo, & in futuro, si voluerimus ipsi: *Ser. 1. de pœnitentia. Pag.* 145. Sancti magnique Dei permissu, Antichristus potestatem decipiendi mundum accipiet, quòd impleta iam sit impietas sæculi, hominumque iniquitas multiplicata nimis, quodque ab omnibus, & per omnia, & vbiuis locorum pessima quæque hodie perpetrentur. *Ser de Antichristo. Pag.* 119.

NOTÆ.

HOrrendum planè, quod Caluinus omni posito Numinis timore ausus est scribere, sacrum Dogma de absoluta Dei potentia, Commentum esse profanum ac detestabile. *Et iterum*: Somnium de absoluta potestate in Deo, execranda blasphemia. *Mali oui malus coru9 crocitat Beza post illum*: Nec credendã esse, nec vniuersaliter admittendam, generalem istam Gabrielis, *seu potius eum mittentis, & per eum loquentis Dei propositionem*: Non est impossibile apud Deum, omne verbum. *Ausi sunt & duo istius furfuris Ministri, Suræus, & Spinæus, palam differere, postea scriptis relinquere*: Deum nec posse intelligere, nec posse velle, nec posse facere, vt vni-

cum Christi corpus simul sit in multis locis. *An non istud est Deum verum & viuentem, præcipuis Deitatis suæ ornamentis utpotè infinita sapientia, virtute, misericordia &c. spoliare? Sanctus iste contrà, claris miraculis ea prædicat & asserit. Tantundem [redacted] simplici eius, malorũ & peccatorum permissione, doctrinam confirmat, aduersus illorum deliria, qui illorum authorem eum comminiscuntur, atque sic cum diabolo confundunt. Vide Theomachiam lib. 2.*

CAPVT QVINTVM.

Dei prouidentia cuncta quæ in mundo sunt, reguntur & administrantur.



QVi dicit omnia casu, fortuitoque fieri; is Diuinitatem è medio tollit. Istud cogitaui, non inficior; resipui, sed an Deum placauerim, nescio. De prouidentia scripsi: sed an Deo placuerint mea scripta, ignoro. Domum vidi: & œconomum adesse cognoui. Mundum intuitus sum, & prouidentia intellexi. Nauem absque gubernatore sumergi aspexi, & inanes hominũ labores, sine Dei gubernatione esse, animaduerti. Ciuitates, & respublicas diuersas, & bene constitutas vidi, & Dei ordinatione atq; præscripto cuncta consistere, intellexi. Ex pa-

habere impiorum, *quibus ex maiori parte constat: facitq; Solem suum oriri super bonos & malos. Et Christus venit vocare peccatores. Ad hæc, permittit hominem in manu consilij, proponit illi bonũ & malum, vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: ad quod voluerint apponant manũ: omni absoluta necessitate sublata.*

CAPVT SEXTVM.

Christus in duabus Naturis, & vnica est persona.

GLoria Christi (in transfiguratione) Diuinam significauit naturam, quę est ex Patre: & corpus eius, humanam indicauit naturam, quæ est ex Maria: ambas naturas, quæ conuenerunt atque vnitæ sunt in vna hypostasi siue persona, immutabiliter, & citra confusionem. Idem Vnigenitus ex Patre, & ex Maria Vnigenitus. Et qui diuidit, diuidetur à regno ipsius: & qui confundit eius naturas, peribit à vita eius. Qui negat Mariam genuisse Deum, non aspiciet gloriam Diuinitatis ipsius: & qui negat eum carnẽ gestasse ab omni peccati labe alienam, eijcietur à salute, & à vita quæ per eius corpus data est. *Serm. de Transfigurat. Pag.* 688. Confiteor eundem esse perfectum Deum, & perfectum hominem: qui in duabus naturis in vna hypostasi siue persona vnitus cognoscitur:

indiuiſibiliter, carnem indutus animatam, & animam ratione atque intelligentia prędıtam. Idem terrenus & cæleſtis, temporarius & ęternus, & eſt abſque principio, expers temporis & tempori ſubiectus; creatus & increatus: paſſibilis & impaſſibilis: Deus & homo, in vtriſque perfectus, vnus habens duo, & in duobus vnus. *Ibi Pag. 699.*

NOTÆ.

Eiuſdem Chriſti vtraſque naturas, in duas perſonas nefariè ſecernunt Caluiniani, cum ſuo Hæreſiarcha dicentes: Aliam eſſe perſonam diuinam, & aliam Mediatoris. Deinde fingentes, perſonam eſſe ſimplicem proprietatem: cùm in Diuina filij perſona, ſimulque aſſumpta humanitate plures ſint proprietates: non vnica ſolùm. Beza tandem duas in eodem Chriſto confingens eſſe vnitiones hypoſtaticas: quod eſt putidum inſtaurare Neſtorianiſmum.

CAPVT SEPTIMVM.

Beata virgo Maria ab omni peccato pura ſemper & immaculata fuit: ideoque ſpes noſtra poſt Deum.

INuiolata integra planeque pura, & caſta virgo, Dei genitrix Maria, regina omnium, ſpes deſperantium, Domina

nostra gloriosissima, eademq; optima, ac præcellentissima: sublimior cælitibus, candidior Solis radijs atque fulgoribus, honoratior Cherubim, & multis oculis claris Spiritibus perspicatior. Sanctior Seraphim & incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior. Vnica spes Patrum, gloria Prophetarum, præconium Apostolorum, honor Martyrum, lætitia Sanctorum, ac Virginum corona, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa, &c. *Serm. de sanctiss. Deipara. Pagina* 707. Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro, filio tuo dulcissimo. Tu peccatorum, & auxilio destitutorum vnica aduocata es, atque adiutrix. Tu portus naufragantium tutissimus, tu mundi solatium. Tu orphanorũ susceptio, tu captiuorum redẽptio, ægrotantiũ exultatio, mœstorũq; consolatio. Tu Monachorũ stabilimentũ, & spes secularium. Tu mundi lætitia, ô Domina, princeps, atq; regina præstantissima, & perquam benedicta, puella honoratissima, & dominarũ Domina, purissima atq; castissima. *Ibi. Pag.* 706.

NOTÆ.

HÆc lectissima certè, & à veteribus probata, beatissimæ Deiparæ encomia, videntur opponenda esse, turpissimus maledictis, & contumelijs, quibus eandem onerare & diffamare student Caluiniani. Aiunt enim, eam fuisse non tantùm conceptam & natam in peccatis sed etiam incredulam; opposuisse seipsam verbo & operibus Dei; infidelem, malignam,

reſtrinxiſſe potentiam eius, inſtar aliarum fæminarum peccatricem, damnabilem, cum muliere peccatrice conferendam conſenſiſſe copulæ carnali, corruptam in partu, &c. Horreſco cætera eorum referre in eam maledicta & conuicia.

CAPVT OCTAVVM.

Eadem demiſſè ſalutanda, & ſuppliciter inuocanda, tanquam aduocata.



Vb tuum præſidum confugimus, ô ſancta Dei genitrix: ſub alis pietatis atque miſericordię tuæ; protege & cuſtodi nos. Miſerere noſtri, qui ſordibus peccatorum conſpurcati ſumus, qui ſceleribus atque delictis quamplurimis Creatorem Deum noſtrum offendimus, ne aduerſum nos inſoleſcat ac glorietur Satanas: ne ſeruos tuos à tui ſpe excidere cognoſcamus: neve calumnietur nos detrectantium lingua. Sub tua denique tutela & protectione tuti ſumus: quare ad vnicam confugimus, crebriſque te lacrymis, ô beatiſſima mater, imploramus, tibique procidimus, ſuppliciter clamãtes, ne dulcis filius tuus ob plurima quæ commiſimus ſcelera, è medio tollat nos, miſerabileſque animas noſtras inſtar leonis diripiat, aut ſicut fi-

cum sterilem, nos excidat. &c. Dignare me seruum tuum humilem laudare te, Virgo sacrata, ac suauiter dicere; Aue præclarum & electum vas Dei. Aue domina Maria, gratia plena. Aue, inter omnes mulieres Virgo beatissima. Aue, stella fulgidissima, ex qua Christus processit. Aue, mater & virgo. Aue, quæ admirabiliter Regem omnium peperisti. Aue Regina, ac Domina, cunctis sublimior. &c. *Sermone de laudibus beatæ Mariæ virginis Pagina. 706.*

NOTÆ.

Libro decimo in Theomachiam Caluinisticam, multis euicimus, & Scripturis, & sanctorum Patrum testimonijs, adeoque ipsorummet Hæresiarcharum consensionibus, hanc corpore & animo in cælis cum filio fæliciter viuere, atque super Angelos gloriari. Ideoque (vt est semper gratia & charitate plena) nobis omnibus bene precari: denique, filium eius vnicum Dominum nostrum, ipsius amore, meritis, ac intercessione plurima mortalibus conferre beneficia. Præterea, ex Liturgijs priscorum Christianorum, Syrorum, Chaldæorum, Æthiopum, Græcorum, ex eo quidquid est per orbem Christianorum, confirmauimus huiusce beatiss. Deiparæ inuocationem, à temporibus Apostolicis, ad nos vsque fideli & perpetua traditione promanasse: innumeraq; miracula & beneficia diuina nobis collata. Ergo cum Deo & Christo filio eius Domino nostro, bellum gerunt, qui huic pietati hodie seipsos opponunt.

CAPVT NONVM.

Virgo concepit, virgo peperit Chriſtum, virgoque inuiolata poſt partum permanſit.

CHriſtus ex Virgine conceptus eſt, citra aliquam voluptatẽ, dum Spiritus ſanctus ex eius Maſſa aſſumptionem Deo conſtituit formauitq;. Margarita neq; vt murex, generatur: neq; vt ſpiritus in figura procedit. Et Chriſtus non permixtus cũ Diuinitate, neq; in figura ſpiritali factus eſt. Margarita in hypoſtaſi generatur, & aliũ per ſe lapidẽ nõ generat. Chriſtus quoq; non eſt alius, niſi qui ex Patre ab æterno genitus eſt, & ex Maria Virgine in tẽpore natus, &c. Murex lapidẽ pretioſum parit, ſic & Maria Deum. Non corrũpitur murex, neque dum concipit, neque dum parit: perfectè lapidem parit ſine dolore: & Virgo cùm ineffabiliter concepiſſet, abſq; labore genuit. *Tractatu in margaritam pretioſam. Pagina* 667. Ob promptam obedientiam, beata Virgo mercedem accepit, vt ſine triſtitia atque dolore fœtum geſtaret atque pareret. Præſtitit naturæ quòd non habebat, vt oſtenderet ſe non veniſſe ad dirumpendam naturam, ſed vt integrã atque incorruptã eam conſeruaret. Non perdidit ſigillũ virginis, Chriſto concepto; & ob id eo genito, reſerata eſt vt partũ in lucẽ ederet. Neq; verò rupta eſt dum gigneret;

nam neque rupta erat dum conciperet. *Ibi, Pagina* 668. Christus sine dolore genitus est, quoniam & sine corruptione fuerat conceptus: in Virgine carnem accipiens non à carne, sed à Spiritu sancto. Spiritus erat qui puerperam thori maritalis nesciam in partu adiuuabat, quapropter neque quod natum est sigillum virginitatis commouit, neque Virgo laborem ac dolorem in partu sensit. *Ibi, Pagina.* 666.

NOTÆ.

Istis non solùm Cerinthus, Carpocrates, Iulianus apostata, Heluidius, Iouinianus, & similes veteres Hæretici, perpetuæ integritatis beatæ Mariæ apertè reprobantur: sed & Beza, & Molinæus, & Petrus *Vermilius, impiè dicentes, Vteri Mariæ in partu diuulsas fuisse, vt filium ederet. Nam* Prophetæ *præcinuerant: Virginem concepturam, eandemque parituram esse filium.* Portam *hanc perpetuò clausam fore: & nunquam aperiendam. Et Apostoli in Symbolum fidei nostræ retulerunt,* IESVM *conceptum de Spiritu sancto, & natum ex Maria Virgine.*

CAPVT DECIMVM.

Maria Deipara; id est, Dei mater & credenda & prædicanda est.



Eque passa est Maria vt mulier: neque partus dolorem sensit Virgo: neque aliena à Genito erat. Nam propter naturam quæ nutriuit, cõmunicationẽ societatemq; habebat, & mater Filij Dei erat, propter assumptionis munus. Creuit in vtero Christus, cùm vt Deus nullius indigens esset: & Filius ex muliere natus, cùm filius esset Dei. Agnouit Mariam matrem, impertita atque subministrata per eam humanitate Diuinitati. *Tractatu in Margaritam pretiosam. Pag.* 608. Inuiolata integra, planeque pura, ac casta Virgo Dei genitrix gloriosissima. *Ser. de laudibus sanctißimæ Dei genitricis. Pag.* 705. Sicut mitissimi ac clementissimi Dei mater es, ita me peccatorem benignissimè suscipe, & meam sordidissimam, impurisque labijs meis expressam orationem clementer admitte. Adesto mihi nunc, & semper, ô Virgo Dei genitrix, mater misericordiæ. Domina mea, sanctissima Dei mater, &c. *Orat. ad sanctiss. Dei genitricem. Pagina.* 705. 709.

NOTÆ.

HIs B. Ephræm verbis damnantur Messaliani, beatiss. Deiparam, nullo dignantes honore. Nestorius quoque veram Dei genitricem pernegans. Hugnostici omnes, honorificos ei titulos vniuersos inuidentes: & venerationem eius, ac Angelicæ salutationis à Catholicis frequentatam iterationem, idololatriæ computantes. Huius enim partem vnam

refert beata Elizabeth: alteram, Mulier de turba: integram BB. Iacobus, Petrus, Marcus & Basilius in Liturgijs.

CAPVT VNDECIMVM.

Beati Angeli sunt spectatores vitæ hominum, notantque eos quos viderint piè ieiunantes.

IMitare Dauid, & vno iactu lapidis prosterne aduersarium; assistunt enim Angeli spectatores vitæ tuæ. **1. Cor. 4.** Quoniam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, atque hominibus. *Ser. de patientia, & consum. sæculi. Pag.* 162. Caueamus malè agere cùm ieiunamus; siquidem Angeli sunt, qui per singulas describunt ieiunantium nomina. *Ser. de ieiunio, Pagina,* 17.

NOTÆ.

ISTis quoque reprehenditur impudentia Caluini, scribentis: Sibi suisque licere abuti ipsis Angelis: illos non posse satisfacere iustitiæ Dei: hunc in eis inuenire quod desideret: hos vanos debilesque deprehendere: in ipsis vanitatem esse ac inconstanstiam, &c.

CAPVT DVODECIMVM.

Beati Angeli exultant de pijs ſtudijs noſtris, & preces noſtras lætantes offerunt Deo.



Hriſtus ſponſus noſter, paratus eſt, vt procedat,& veniat in nubibus cæli, & in gloria Patris ſui benedicti. Tunc vnũquemq; veſtrum ſigillatim ſuo vocabit nomine,& ordinabit eum in officio ſuo, quo pro ſuis meritis atq;laboribus dignus extiterit. Nã in ſtudio veſtro atq; vigilantia, Angeli & Archangeli, omneſq; virtutes cęlorum exultant: ſicut & in negligentia veſtra atq; torpore inimicus tripudiat. *Ser. de luctamine ſpiritali.* Pagina. 485. Oratio perfectè Deum deſiderantium. Magna cùm lætitia, fiduciaque multa, ipſum etiam cælum iugiter penetrat. In ipſa Angeli, atque Archangeli exultant, & coram throno ſancti & excelſi Domini illam ſtatuunt. Tunc enim maximum ijs effulget gaudium ſi coram ſancto Domino preces iuſtorum offerant. *Sermone de Virginitate.* Pagina. 129. Quemadmodum ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, gaudium in cælis exiſtit:ita & exacerbatio atque dolor ſuper ijs, qui peccando, à ſuo Conditore deſciſcunt. *Orat. de futuro iudicio.* Pag. 242.

NOTÆ.

BEati ergo Angeli nec sunt stulti, nec mendaces, nec rei coram Deo; ac, eundem morem gerunt. Sed neque peccant læthaliter, nec aßiduè, vt Caluinus benè magno & impudenti mendacio eisdem imponit. Fallit quoque & turpiter fallitur Danæus Caluini Discipulus; totaque schola centuriatorum Magdeb. negantium illos nobis continuò aßistere, & preces, lacrymas, vota, eleemosynas, aliaque bona opera Dei oculis offerre.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Beatorum Angelorum officia, quæ nos imitari decet.

SIcut Angeli, qui in cælis sunt, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, inuocãtes ex toto corde, & rogantes ne quis diuinorũ mysteriorum susceptione reperiatur indignus. Angeli mundi cũ tremore ministrant, faciemq; obtegentes, nõ audent respicere: ac tu immundus cùm sis, & impœnitens ac impudens, non contremiscis? *Ser. de diebus festis.* Pag. 9 Non enim ab Angelis requirit Deus (curam senũ & hospitalitatem): sed tantũmodo, vt semper laudetur, glorificetur, & honorificetur ab ipsis, sicut & constitutum est vobis. *Serm. de Monachis & de Turture.* Pag. 468.


Psal. 2.

NOTÆ.

Oblatos ac obuios ſibi fœlices Angelos beatus Lot in Sodomis, pronus adorauit. Ab altero, benedictionem i. piam orationem Iacob impetrauit: & poſtea moriturus eundem inuocauit. Angelum pronus adorauit Balaam. Tantundem fecit & ſanctus Ioſue. Coram altero tam Dauid ipſe, quàm maiores natu Iſraelis, proni corruerunt in terram. Idem præſtitit vterque Tobias. Iob in ſummis doloribus & ærumnis ad
Iob. 5. & c. 9. *Angelos reſpicit, dicens: Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. Plurimum denique lætan-*
Luc. 15. *tur ad conuerſionem & pœnitentiam noſtram. Quanta in nos gratia & charitas? quàm eximia beneficia? Ingratiſſimi ergo & maledicentiſſimi ſunt in eos Caluinus, Muſculus, Sarcerius, Bullingerus, Oecolampadius, Beza, Hugnoſtici omnes, qui nullo eos dignantur honore, nullo cultu: quin imò contumelioſis ſcriptis ſuis proſequutur & lacerant. Audiamus vnum Auguſtinum: Sancte Michael, ſancte Gabriel, ſancte Raphael, ſancti chori Angelorum, atque Archangelorum, per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, vt pro me culpabili, Deo ſupplicare dignemini. Libro Meditationum, capite quadrageſimo.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

In fidei, ac Eccleſiæ Catholicæ conſtantia perpetuò permanendum.



Vpio vos optimè in ſententia confirmari de incomprehenſibili & vnica principe fidelium fide: iuroque vobis per eum qui in natura ignis in monte Sina deſcendit: & per eum, qui in effuſione aquæ de petra duriſſima locutus eſt: & per os illud dicens in cruce: Eloi, Eloi Lama zabacthani, &c. neq; à Catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia, ſeparatus fui, neque vnquam de Dei potentia dubitaui. *Teſtament. Pag.* 786. Beatus, qui Catholicam Chriſti elegit Eccleſiam, veluti ſanctam agnam, quam lupus corruptor non contriuit; & immaculatam columbam, quam non eſt aſſecutus, qui eam perſequebatur, vt eam elideret atque deleret aſtutus venator accipiter. *Ibi. Pag.* 792. Meis igitur præceptis atque doctrinæ ſedulò operam dãtes, vt mei diſcipuli, à Catholica ne deſciſcatis fide, quam ipſe à teneris annis acceptam, immobilem atque incõcuſſam ſeruaui: neq; ab illa in aliquo dubio, ac ſchiſmate deflectatis. Si quis verò dubitauerit, aut contra Deũ, ſanctamq; eius Eccleſiam ſeparatus fuerit, ſpirans adhuc & viuus in infernũ detruda-

tur. Si quis aduerſus Catholicam Eccleſiam ſe ſe extulerit, leproſus fiat, inſtar dementis ac
4. Reg. 5. ſtulti Giezi. Quicunque porrò rectam intelligentiæ fidem dereliquerit, conſtringatur
Matth. 24. iniquitatis funiculo proditoris Iudæ, &c.
Act. 1. *Ibidem.*

NOTÆ.

APpoſtoli meritò tradant, conſtanter credendum in ſanctam Eccleſiam Catholicam, & Patres in Concilio Nicæno & Conſtantinopolitano: Et in vnam, ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Qui hanc habuerit Matrem, aiunt Cypria. & Auguſt. non habebit Deum patrem. Ad hanc audiendam: ſub interminatione mortis æternæ nos remittit Chriſtus. Hanc appellat Paulus: *Columnam & firmamentum veritatis, &c.*

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Sacræ ſcripturæ maximæ ſunt vtilitatis: ideo legendæ & meditandæ à nobis.

LOco tubæ, diuinas Scripturas adhibe. Quemadmodū enim tuba ſonans, congregat milites, ſic & diuinæ Scripturæ ad nos clamantes cogitationes congregant ad timorem Dei. Et quemadmodum belli tēpore ſtrenuorum militum alacritatē in aduerſarios excitat, ita & diuinæ Scripturæ te prōptiorem ad omne opus bonū reddunt, teque aduerſus

improbas passiones ac vitia magis animant corroborantque. *Tractatu de patientia.* Pag. 164.
Semper quidem sacrosanctæ Scripturæ interpretatio, & doctrina summæ consolationis est & vtilitatis, sed vel maximè in tali tempore, (imminentis mortis.) Vnde memoria repete Conditoris nostri decretum, quo omnes, qui ex terra orimur, in terrã rursum conuerti iubemur. Nec quisquam adeò est magnus, qui dissolutionem effugere, & æterna illa sententia superior esse possit. *Orat. de morte.* Pagina. 207.

Gen. 3. *Eccl.* 10. 17. 40.

Quantumuis ingeniosus, ac vigilans, atque diligens sit noster agricola (spiritalis homo,) absque Scripturarum diuinarum doctrina obtusus est & infirmus, prorsusque rudis. Equidẽ sacrarum literarum institutio atque doctrina intelligentiam ipsi, viresque præbet: & virtutes bonas ex proprijs ramis ac surculis illi administrat, vt eas naturæ suæ ligno inserat. *Ser. ascetico.* Pagina. 544.

NOTÆ.

Eleganter & iure Scripturas Diuinas cum sacris tubis comparat: ad easdemque confugiendum esse docet: quandoquidem (vt vidit Tertullianus) Deus per illas nobis colloquitur, & cælestibus nos afficit consolationibus. Harum autem recta interpretatio ab Ecclesiæ Catholicæ decretis, sanctisque Pa*tribus est haurienda: quandoquidem ipsi promissa est, non singulis aut priuatis quibuslibet hominibus.*

Et licet beatißimus hic Pater, *non tractet ex professo, quis sit numerus Librorum Canonicorum; multos tamen velut Diuina*

scripto, dogmata sua decem locis munit atque confirmat. Idem sanctissimus Pater secundam & tertiam Epistolam beati Ioannis Apostoli, velut proprium & Apostolicum opus, vno & altero citat loco, quas tamen Erasmus, Caietanus, Lutherus, Pomeranus, & Anabaptistæ, impiè vellicant & reprobant. Epistolium beati Iudæ Apostoli, calumniantur Erasmus, Caietanus, Lutherus, Brentius, Centuriatores Magdeburgenses: antiquissimus autem & sapientissimus Ephræm, inde etiam quater, Christiana dogmata comprobat. Sanctissima Ioannis Apostoli ac Euangelistæ Apocalypsis, Erasmo, Luthero, Brentio, Caluino, est incerta, suspecta, apocrypha, vel incerti Authoris: è regione verò, beato Ephræm duodecies eandem citanti, pro certo est eiusdem Joannis Apostoli: Valetque vt canonica, ad res fidei Christianæ confirmandas. &c.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Homo libero arbitrio donatus, vt mereatur, & laudetur à Domino.

LIbero arbitrio Deus hominem donauit, vnde præmia & supplicia ei sunt proposita: ac legitimè quidem hîc certantibus honor atque corona, transgressoribus autem & contemptori-

bus ſupplicia atque tormenta. *Lib. de vita ſpiritali.* P*ag*. 57. Vult Deus voluntatem noſtram atque propoſitum à ſe laudari. Ipſe morbos noſtros ſanat, ſed ea vult noſtræ voluntatis arbitrio curari, vt gloriam à bonitate ipſius promereamur. Peccatoribus peccata dimttit, vt eum ad promptitudinem&alacritatem bonæ voluntatis excitet. Poterat ille quidem cũcta animarum noſtrarum ſanare vulnera, noſque etiam inuitos ad bonitatem adducere: ſed id facere non vult, ne voluntas noſtra, arbitriique libertas, diuinis ipſius laudibus priuetur. *Ser. Aſcetico.* P*agina*. 544. Diſſoluamus vincula, quæ nos libero voluntatis noſtræ arbitrio ligarunt. Confugiamus ad Chriſtum, portantes leue ac ſuaue iugum pietatis ac miſericordiæ pietatis ipſius: vt in bona mandatorum eius via ambulantes, peruenire mereamur ad ſanctam ciuitatem, quam Deus præparauit diligentibus ſe. *Ser. Heptaſyllabo.* P*ag*. 773.

NOTÆ.

Libertatem arbitrij, quam hic cum cæteris omnibus veteribus adſirmat B. Ephræm, negarunt in primis Simon Magus, Marcion, Manichæi & Priſcillianiſtæ. Hos poſtea imitati ſunt Marmetani, Alchoraniſtæ: denique Abaillardiani, Albigenſes, & Vvicleuiſtæ. An non ergo talium præceptorum ſummopere pudere oporteret, Lutheranos, Caluinianos, & Anabaptiſtas? Etenim Dominus ipſe teſtes inuocat cælum & terram, quòd propoſuerit nobis vitam & mortem, benedictionem & ma-

ledictionem: vt eligamus vitam, & viuamus. Dauidi etiam post grauissima peccata data est trium flagellorum electio. Hebræis quoque dicitur: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Apostolis denique datur optio, an vellent recedere à Christo, & cum infidelibus Capernaitis abire retro: quæ vniuersa, omni luce clarius manifestant, in homine relictam esse voluntatis libertatem ac electionem. Atque huiusmodi fides & religio fuit omnium à Christo ad nos orthodoxorum. Deut. 30. Iosue. 24. 2. Reg. Isa. 1. Io. 6.

C. DECIMVM SEPTIMVM.

Gratia Dei non solùm vtilis & fructuosa est cunctis, sed & omnino necessaria.

ADueniente diuina gratia, dulcescit omnis amaritudo mea. Gratię enim præsentia, cum cordis compūctione animi dulcedinem & tranquillitatem affert. Exhilarant vndæ diuinæ gratiæ, iubarq́ue sancti Spiritus nostra pectora, faciūtq́ue vt anima repente omnium rerum terrenarum, cupiditatumq́ue carnalium ac noxiarum obliuiscatur. Fouent igitur vndæ diuinæ gratiæ intellectum simul & animam. O beata illa gratia, quæ operibus diuinæ gratiæ resplendet; illustratur enim eius splendore, afficitur dulcedine, contemplationisq́ue, ac suauissimi

illius odoris gaudio perfunditur. O beata illa anima, quæ cunctis diuinæ gratiæ muneribus ornata est. *Ser. de timore animi.* Pag. 67. Quæso Domine, ne proiicias me à facie tua, neque recedas à me, ne miser peream. Nisi enim me gratia tua protexisset, iam ego periissem, & essem iam tanquam puluis ante faciem venti, & in nihilũ in hac vita recidissem. *Orat. ad Deum.* Pag. 243. Si sollicitus (vir) semper vigilauerit, diuinamque gratiam assiduè in præsidium quęsierit, atque implorarit, succurretur ei ab illa iugiter, & edocebitur ab ea, quomodo placere debeat Deo. Absque illius adminiculo non præualet complacere ei viribus suis: verùm vt ipsi placeat, ab ea accipit, & ex eius vino potum eidem offert. *Ser. Ascetico.* Pag. 552.

NOTÆ.

ET hîc reprehenduntur Sadducæi, cum Basilidianis, & Valentinianis, hostibus diuinæ gratiæ; vt eisdem impingunt Iosephus, & Clemens Alexand. l. 13. antiq. c. 9. & lib. 2. ac 4. Stromat. Quo mihi est mirum, qua fronte Pelagiani, Cælestiani, & Iuliani: postremò Begerdi & Beguinæ fuerint ausi
Io. 6. & 15. *hanc impietatem instaurare. Cùm præsertim tam constanter & disertè dicat Christus: Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Sine me nihil*
Rom. 7. *potestis facere. Apostolusquoq; illius firmiter asserat: Velle quidem mihi adiacet, perficere autem bonum*
1 Cor. 15. *non inuenio. Gratia Dei sum id, quod sum. Non su-*
2. Cor. 4. *mus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis. Deus est qui operatur in nobis velle & perfice-*
Philip. 4. *re pro bona voluntate. &c.*

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Opera bona non solùm necessaria ad iustitiam & salutem, sed & Deo grata, & coram eo meritoria.

SI quis operibus bonis det operam, seque in rebus Scripturarum occupet, omnes hunc collaudant, & de hoc gloriantur, omnesq; linguæ de hoc perhibent testimonium. Non in multiloquio, Dei hominē decet se occupare, sed operibus veritatis attendat, & exercitia à diuinis scripturis proposita amplectatur, ad eaque vitæ suæ componat, oportet. Etenim diuinarū scripturarum sermones, de operibus loquuntur, & aduersum mala vitæ instituta, suppliciorum pœnas decernunt. *Ser. ad pietatis certamen exercens. Pag.* 75. Caueamus bonorum operū esse negligentes, vt ea in tempore necessitatis nostræ inuenire possimus. *Tractatu, Non esse ridendum, sed lugendum. Pag.* 105. Nemo nobis illa die (mortis & iudicij) poterit auxiliari, non amicus, non propinquus, nec alius quisquam: nisi sola hîc acta pœnitentia, & virtutes pœnitentiæ cooperatrices, vera charitas, humilitas, obedientia, abstinentia, & omne denique secundum Deum opus bonum, quod

geſſimus. Ita nos ex hac vita comitabuntur. *Tractatu de beatitudinibus & miſeriis. Pagina.* 178. Bonum in illa tunc hora (iudicij) tibi ſubueniet auxilium, ſi pauperibus atque mendicis hîc compaſſus fueris. Boni pro te apud Chriſtum tunc erunt aduocati, qui nunc egeni à te ſunt enutriti & miſericordiã conſecuti, protecti, atque ſeruati fuerint. Beati & præſtantes pro te ibi conſolatores aderunt fratres Chriſti, pauperes, orphani, atque pupilli, viduæ, aduenæ ac peregrini, inopes, debiles, claudi, cæci, captiui, derelicti, qui per te fuerint miſericordiam conſecuti. &c. *Ser. in eos, qui in Christo obdormierunt. Pag.* 780.

MERITA.

GLorificem te ſponſum immortalẽ (Chriſtum,) vt iuſtorum atque ſanctorum, qui complacuerunt tibi particeps fieri merear in ſæcula ſæculorum, Amen. *Orat. pia.* Pag. 255. Ecce Sponſus venit in nubibus cæli, cum gloria Patris ſui benedicti. Tunc vnumquemque veſtrum ſigillatim ſuo vocabit nomine, & ordinabit eum in officio ſuo, quo pro ſuis meritis, atq; laboribus dignus extiterit. *Ser. de agone ſpirituali.* Pag. 485. Admirabitur in hora nouiſſimi iudicij primus parens Adam terribilia cernens, gloriam Creatoris, quomodo ab vna natura & creatura procreati, alij in regno cælorum ac Paradiſo, alij in Inferno ſortem pro meritis ſuorum operum acceperint. *Ser. Aſcetico.* Pag. 547. Pro omnibus vel manifeſtis vel ocultis operibus, quæ ab origine mundi

gesta sunt, rationem singuli reddent, & pro meritis suis iudicium iustissimum sument. *Ser. de vniuersali resurr.* Pag. 619. Christus vniuersorum inspector, super ipsos monstrauit coronas, vt numerum deficientem expleret, vtque dignus loco indigni referret dignitatẽ, ac meritum Sanctorum in luce. *Ser. in sanctos quadraginta.* Pag. 731. (Orabat B. Abramius dicens,) Domine, succurre gregi tuo, quem possidere voluisti, eosq; gratia tua cõmunias, & semper eorum corda illumina, vt ea quæ grata sũt perficientes, æternam vitam consequi mereantur. *In vita Sancti Abramij.* Pag.

NOTÆ.

Solam fidem absque operibus bonis iustificare & saluare, fuit olim error Pseudoapostolorum, Simonis magi, Valentis & Eunomij, nouißimè verò Lutheri, Caluini, Bezæ, & reliquorum Hugnosticorum: qui hîc damnatur. Tantùm abest verò, vt iidem merita bona operum probent: vt è contrario scriberent: Iustum in omni bono opere peccare mortaliter: Omnia hominum opera, quantumuis laudabilia, vitiosa esse, & morte digna. Bona opera perniciosa ad salutem. An non est hoc totum Decalogum à Christo in Euangelio repetitum, explicatum, & confirmatum: deinde, omnium virtutum studium apertè damnare & reprobare?

CAP. DECIMVM NONVM.

Ecclesia fundata super Petrum, qui

accepit claues regni cælorum: & fuit caput Apoſtolorum.

Io. 1. Matth. 4. Matth. 16. & 18.



Etrus dictus Cephas, qui aliquando captus eſt ad littus maris, quiq; teſtimonium accepit à magno paſtore: quia *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, per ſacerdotium, & claues regni cælorum accepit, tanquam dignus. *Tractatu de ſacerdotio. Pag.* 2. Noui quomodo princeps ac vertex Apoſtolorum Petrus, flens amarè veniam impetrarit, ac coryphæus permanſerit. *Ser. 4. de Compunctione. Pag.* 142. Clamat Paulus: *In die, qua iudicabit Deus occulta hominum.* Aitque denuo: Videte quomodo ambuletis. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Clamat & Petrus Apoſtolorũ vertex, ac caput, de illa die dicens: Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. *Tractatu de variis tormentis inferni Pag.* 292. Fide conſubſtantialis ac indiuiduæ Trinitatis, fretus princeps Apoſtolici ordinis Petrus, cùm Filium Dei viui, Chriſtũ Ieſum confeſſus eſſet, claues cæleſtis regni accepit, poteſtatemq; cęleſtium ac terrenorum omniũ obtinuit. *Tractatu de armatura ſpirituali. Pag.* 479. Dic & tu, ô beate Petre quem beatũ prædicauit Deus noſter Chriſtus, Ieſus dic (inquam) nobis de ſeductoribus & impoſtoribus futuris gregis Chriſti: quẽ tradidit & cõcredidit tibi, Princeps Paſtorũ, & Epiſcopus animarum noſtrarũ? *Tract. aduerſ᷒ impios hereticos.* Pag. 802.

(Margin: Matth. 26. beside "ceps ac vertex"; Matth. 16. beside "accepit, poteſtatemq;")

NOTÆ.

Evicimus per certa, firma, apertaque vniuersarum Asiæ, Europæ, Africæque Ecclesiarum testimonia, B. Petrum à Christo, eisdem præfectum, rectorem, & caput: atque hoc in Ecclesia Romana (cui præficit) summa cognosci authoritate ac potestate super cæteras orbis Ecclesias: quibus nullus hæreticorum hactenus respondere potuit. Quinetiam ex propriis, multisque Caluini, hostis infestissimi, verbis, demonstrauimus, eundem B. Petrum, Apostolorum omnium Coryphæum & caput à Christo fuisse constitutum & ordinatum: ringant licet hæretici.

CAPVT VIGESIMVM.

Beatus Petrus Romæ Simonem Magum confutauit ac extinxit.

AVdite pastores, ac contremiscite, & ne sileatis: sed verbum Dei prædicate. Nolite locum dare diabolo. Imitamini beatum Petrum Apostolum: quomodo in vrbe Roma, scelestissimo Simone mago blasphemante atque dicente, seipsum esse virtutem Dei, nec ad horam quidem tacuit distulitve: sed eum reprehendens, & impium demonstrans, disruptum ipsum perdidit. Sic igitur & vos facite, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarũ: magis autẽ & redarguite, &c. *Ser. aduersus impios hæreticos. Pagina* 803.

NOTÆ.

L. 3. Recognit. l. 6 conſtitut. c. 9.

Certamina beati Petri Apoſtoli aduerſus Simonem Magum ſuſcepta, magna fide deſcripſit, qui iis adfuit beatus Clemens. Idemque lapſum eiuſdem Magi, è ſublimi, & femorum confractionem rurſum recitauit. Conſentiunt illi atque ſubſcribunt Arnobius libro 2. aduerſus Gentes: Cyrillus Ieroſolymitanus, Catech. ſexta: Epiphanius contra hæreſim 21. Euſebius libro ſecundo hiſt. cap. 24. Philaſtrius libro de hæreſibus, cap. 5. Denique beatus Auguſtinus Epiſtola ad Caſulanum: & initio libri de hæreſibus. Ergo Caluini impudentia multis modis execranda eſt, qui hoc pernegat.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Hæretici fugiendi & aduerſandi, vt Zizania diaboli.



Euita frater chariſſime, conſuetudinem hominum hæreticorum ac libidinoſorum, nihil fidele loquentium; nam inſtar ſagittarum, ſermones ipſorum vulnerant. Noui quoſdam, ſermonibus animas peruertentes, cuiuſmodi per

Leuit. 13. Matth. 8.

symbola, seminis fluxu laborantes Scripturæ sermo & leprosos appellat, &c. Atq; is quidem, qui circa fidem laborat, quid noceat, inquit, cũ quouis homine versari, siue rectè siue malè sẽtiat, modò sanam nos fidem teneamus? At qui voluptatibus ventris indulgent, his quæ infra ventrem sunt, dicent: Et quid obesse poterit, edere ac bibere, & genio indulgere, corparalisque concupiscentia? Malum est concupiscere rem alienam, seu furari. Quid isto fluxu impurius? Aut eiusmodi lepra turpius? *Lib. de virtute capit.* 8. P*agina* 301. Circa fidem maximè estote constantes, cauentes vobis ab aduersariis, iniquitatis operatoribus, vaniloquis, & seductoribus. quod quidẽ Apostolus dicere nõ neglexit. Scitote *quòd post discessionem meam intrabunt ad vos lupi graues, non parcentes gregi. & cetera.* Et in Euangelio dicit Dominus: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem lupi rapaces.* Verba quidem dulcia habẽtes: cor autem plenum felle & amaritudine. Et veste quidem induti sunt lugubri, cùm sint discipuli ab initio inuidentis nobis diaboli, quapropter & illius sunt zizaniorum semina. Ne simul cum illis sedeatis in concilio vanitatis eorum, & ne inuestigetis semitam cogitationis ipsorum. Parum enim interest, an cum dæmone quis habitet, an cum viro apostata, & desertore iniquo. *Testamento.* P*agina* 793.

Actor. 20.

Matth. 7.

NOTÆ.

MOſes Coritas, Elias Baaliſtas, Dauid impios omnes, auerſandos docuerunt: Chriſtus non obtemperantes Eccleſiæ, procul ablegandos vult: Apoſtoli denique, Hæreticos homines deuitandos cenſuerunt, ne alios inficiant.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Cuiuſmodi nominibus appellentur & quibus rebus aſſimilentur Hæretici.

Pſ. 118. & 138.



NTerrogatio. Quomodo de hæreticis ſcriptum legimus: Eos qui oderunt te Domine, oderam: alibique dictum eſt: Vt inimicos Dei oderitis eos. Alio autem in loco: Non oderitis omnem hominem: Reſponſio. Hæreticos tanquam blaſphemos, & Dei inimicos, Scriptura non homines, ſed canes, & lupos, & porcos, & Antichriſtos appellat, quemadmodum ait Dominus: Nolite ſanctum dare canibus. Et Ioannes dicit: Quia Antichriſti facti ſunt multi. Hos igitur non oportet amare, neque cum eis verſari, aut cum ipſis orare, cibumve ſumere, neq; in domum

Leuit. 19.

eos recipere, neq; Aue eis dicere, ne prauis illorum operibus communicemus. *Tractatu interrogationum. Pag.* 184. Necessarium est ex sacris ostendere Scripturis, hęreticos vt inimicos Dei & lupos Christi ouilis, qui vbique oues ipsius diripiunt: quare & merito lupi sunt vocati à Prophetis, & ab ipso Domino, beatisque Apostolis. Et non solùm lupi, sed & impij, & inimici, & insidiatores, & blasphemi, & fures, & latrones, & falsi doctores, & pseudoprophetæ, & improbi, & antichristi, & scandala, & filij impij hostis maligni, & oppugnatores Spiritus sancti, blasphemantes Spiritum gratiæ: quibus non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Ser. aduersus impios hæreticos.* P*agina.* 802.

Matth. 1.
Iob 10.
1. *Iob.* 2.
Matth. 21.

NOTÆ.

IN alio scripto collegimus, quibus titulis exornentur hæretici à sanctis P*atribus nostris: non quòd delectentur conuiciis, sed quòd Spiritus Dei, versutias, fraudes, ac impietates eorum sic describere voluerit, vt ab eis diligenter caueamus.*

Annotat. in lib. Iranei. c.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Scripturas ad sua impia figmenta detorquent.

HAeretici ſuum volentes confirmare errorem, ex diuinis Scripturis loca atque teſtimonia depromere conantur, ad corda obedientium ipſis peruertenda, ad quos pulchrè & magnificè quidam Sanctorum enuntiauit, dum ſic docens ait: Cùm ſit igitur tale eorum argumentũ quod neque Prophetæ prædicauerunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur pluſquam cæteri cognouiſſe, de iis, quæ non ſunt ſcripta, legentes, & quod dici ſolet, de harena reſticulas nectere adfectantes, fide digna aptare conantur iis quæ dicta ſunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones propheticas, aut ſermones Apoſtolicos, vt figmentum illorum teſtimonio non carere videatur. Ordinem quidem & textum ſcripturarum ſupergrediẽtes, atque tranſgredientes, atque tranſilientes, & quantum in ipſis eſt, ſoluentes membra veritatis. Transferunt autem & tranſfingunt, & alterum ex altero facientes, ſeducunt ex iis, quæ aptant ex dominicis eloquiis, malè compoſito commento. Quomodo ſi quis Regis imaginem, bonam, fabricatam diligenter ex gemmis pretioſis à ſapiente artifice ſoluens ſubiacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, & reformans faciat ex iis formam canis vel vulpeculæ, & hanc malè diſpoſitam, de hinc confirmet & dicat, hanc eſſe Regis illam imaginem bonam, quam ſapiens artifex fabri-

cauit ostendens gemmas, quæ benè quidem à primo artifice in Regis imagine compositæ erant : malè verò à posteriore in canis figurám translatæ sunt, & per gemmarum phantasiam decipiat idiotas, qui comprehensionem Regalis formæ non habeant, & suadeat hanc turpem vulpeculæ figuram, illam esse præclaram Regis imaginem. Eodem modo & hi anicularum fabulas assumentes, post deinde sermones & dictiones, & parabolas hinc inde auellentes, vt aptare volunt fabulis suis eloquia Dei. *Libro de virtute, capite octauo, Pagina trecentesima secunda.*

NOTÆ.

Mendacium abscondit Diabolus per Scripturas (inquit B. Iraneus) : quod faciunt omnes hæretici. Et Tertullianus : De Scripturis agunt, de scripturis suadent; aliunde scilicet, suadere possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei? Sequitur Origenes, inquiens: Legisti Scripturas, ô diabole, non vt ipse ex lectione sanctorum melior fieres: sed vt ex simplicitate litera interficias: quod omnes hæreticos facere constat. Chrysostomus vlterius: Fidelis (ait) terreri non debet, etiam si Arrius dicendi initium faciat à Scripturis, cùm diabolus accedens ad Christum, scripturis vsus fuerit. Denique, Vincentius Lirici. Idem adduci ab hæreticis, quod hîc à Diabolo, dicit: Vis esse filius Dei, & hæreditatem regni cælestis accipere? Mitte te deorsum. Id est. Ex istius te sublimis Ecclesia doctrina &

L. 5. cap.

L. præscript.

Hom. 31. in Luc.

L. adu. prophanas Nouationes.

traditione. Quod ſi quis interroget: Vnde probus? Continuò addunt mille teſtimonia, quibus ſuadeant, &c.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Apoſtatæ male pereunt, ſuntque prædones maledicti, imitatores Iudę, diaboli quodammodo peiores, & peruicaces.

CAueto chariſſime, ne fortè qui moleſtia te afficit, ſtudetque à fraternitate te abrumpere, ipſe mortem tibi acerbam turpemque conciliet. Vera narro: Noui vnum atque alterum, ac tertium fratrem, à vita ſolitaria receſſiſſe, & ad vitam ſæcularem rediiſſe, qui non durarunt in vita: ſed amara ac indecenti morte ſuam vitam finiearunt. Quare iis vt reſiſtas, te rogo frater, concupiſcentiamq́, reprimas: & nō conſentias illis qui te captiuare volunt. *Parænesi* 47. *Pag.* 436. Cur tantum tibi conſciſcis damnum, vt exuta ſtola gloriæ teipſum ab Angelorum conuerſatione ſegreges, voluterisque in paſſionibus ignominiæ? Quorſum tibi, quorſum tibi hoc probrum, vt audias dici te Apoſtatam? Dicaturque de te: Ecce qui Domini ac Dei gratiam adſperna-

adſpernatur? Te proiici in tenebras exteriores? Canis reuerſus ad vomitum? &c. *Ibidem.* Pag. 437. Væ tibi (apoſtata) Paullona, cuius mater, ex mulieribus maledicta. Væ ventri qui te peperit: quoniam perditionis omnium hæreſum particeps factus es, & prædonum ianua ingrederis: opera enim tua omni nequitia atque flagitio plena ſunt. Denudatus, proiectus es à gratia: & tanquam Iudas Iſchariotes proditor factus ex cūctis tuis ſtudiis confuſus. *Teſtam.* Pag. 701. Principes & prædicatores apoſtaſiæ, Iudæi inquam, & Pauliani, impij, & Chriſtum impugnantes, pertinaciter contendunt. Vide effrenatos eorum mores. Auctor apoſtaſiæ ipſorum exclamat: Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei? Et ipſi aſſiduè negant. Si fieri poteſt, vt ſterilis ſalix in loco arido & ſicco germinet; fieri quoq; poterit, vt aliquando Apoſtata erudiatur. &c. *Ibidem* Pag. 793.

Prouer. 29. *Petr.* 2.

NOTÆ.

Primus reipſa, Chriſtianæ pietatis deſertor Iudas, malè periit, à ſemetipſo ſuſpenſus, crepās medius. Succedens ei Simon magus, à dæmonibus in terram ex aere deiectus, fractis cruribus, expirauit. Cerinthus ac Ebion, & ipſi apoſtatæ, cadente ſuper hos balneo, miſerè ſunt oppreſſi. Manes (à quo Manichæi) viuus excoriatus, lacerandus datus eſt canibus, Rege Perſa*rum iubente. Arrius, cùm vi in Eccleſiam duceretur in latrinas ſecedens, more Iudæ crepans, fœdam emiſit animam. Adeò ſemper malè ceſsit apoſtatis. Mors peccatorum peſſima.*

Matth. 27. *Act.* 1. Clem. Iren. Euſeb. Niceph.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Exorciſmi & abrenunciationes quæ adhibentur Baptiſmo, notant Angeli, & in Judicio requirentur à nobis.

ABrenuntiatio, quam in Baptiſmo facimus, nominata quidẽ apparet parua, cæterùm intellecta, admodum magna quam qui ſeruare valuerit, beatiſſimus erit. Paucis namque verbis cuncta quæ nominantur mala, quæq; odit Deus, valere iubemus & abrenuntiamus: cuiuſmodi ſunt, nõ vnũ duntaxat, non duo, nec decem, ſed quodcunq; appellatur malum. Puta: Abrenuntio Satanæ, & cunctis operibus eius. &c. Sãcti Apoſtoli hiſce operam dantes, excõmunicatos eſſe ordinarũt in ſuis Canonibus, ſi Laici fuerint: at ſi Clerici, vt deponantur. *Tract. de abrenuntiatione in ſacro Baptiſmate facta.* Pag. 187. Semel abrenuntiaſti Satanę & angelis eius, pactus es autem Chriſto coram multis teſtibus. Ac vide cuinam pactus ſis, & ne paruipendas. Id porrò noueris, quòd Angeli in illa hora, voces tuas & pacta tua, abrenuntiationemq; tuam deſcripſerint; & in cælis vſq; ad horribilem illũ Iudicij diem conſeruant. Non pertimeſcis? Non exhorreſcis? In Iudicij die proferent Angeli Chirographum tuum, & verba oris tui coram formidabili tri-

Can. 62.

bunali: vbi etiam Angeli cum tremore assistent. Tuncque auditurus es lugubrem illam vocem: *Ex ore tuo te iudico serue nequam.* Luc. 19.
Reuera enim amarè tunc ingemisces, & lacrymas effundes in illa hora, & nihil proficies. *Ser. de compunctione animi. Pagina.* 592. Intelligite Charissimi, quomodo paucis verbis, cunctis illis (quæ à Satana sunt) abrenunciauimus terribilia verba pronuntiantes: Renuntio Satanæ, & cunctis operibus eius: & coniungor Christo. Vide quid dixisti, & cui abrenuntiasti? Satanæ, & cunctis operibus ipsius. Considera rursus ô homo, cui pactus sis, & cui adhæseris? Non Angelo, non Archangelo, non Regi terreno. Illi pactus es & spopondisti, coram Angelis & Archangelis, &c. Ser. *aduersus impios hæreticos.* Pag. 805.

NOTÆ.

Viderint Hugnostici, quo spiritu moti tam graues sanctasque Baptismi ceremonias superstitioni, magiæ, imò & Diabolo tribuant: quas nihilominus, & Clemens, & Dionysius Apostolorum Discipuli, beatissimis præceptoribus suis constanter adscribunt. Hisdem adstipulantur Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, & prisci omnes.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Eucharistia continet verum corpus

& ſanguinem Chriſti, quo veſcimur, in remißionem peccatorum.



V cum omnium Rege Deo, conſuetudinem habes, per orationem conuerſaris. Tu corpore vnigeniti Filij eius veſceris, & ſanguinem bibis. Gaude ergo & lætare, quòd merueris templum eius fieri. *Libr. de vita ſpiritali, cap.* 32. *Pag.* 50. Licet à nobis procul ſit Siloë, quò cæcus miſſus erat, Calix tamē tremēdi tui ſanguinis (Domine) lu-
Io. 9. mine ac vita plenus, nobis ecce præſto eſt. Hoc nobis calice, intelligentiam lumenque largire, vt cum fide ac deſiderio, & ſanctificatione ad ipſum accedamus, ſitque nobis in remiſſionem peccatorum, & non ad iudicium. Qui enim anima indignè ad diuina participanda myſteria acceſſerit, ſeipſum cōdemnat. *Ser. de extremo iudicio & compunctione, Pag.* 235. Non exiſtimo bonum eſſe impudenti oculo cōtemplari propoſita myſteria corporis & ſanguinis Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti. Fidemq; nobis faciat diuina Scriptura dicēs: Tremefactus autem Moyſes, non audebat aſpicere. &c. *Paræneſi* 20. *Pag.* 367. Siquidem fidei oculus, cùm in corde cuiuſpiā clarè ac lucidè, lucis inſtar (Spiritus Domini) effulſerit, purè quoq; ac ſyncerè Dei agnum contemplatur, qui pro nobis occiſus ac immolatus eſt, donauitque nobis corpus ſuum ſanctum & immaculatum,

vt iugiter eo vescamur: sitque ipsius nobis participatio in remissionem peccatorum. & cetera. *Tract. de natura Dei non scrutanda. Pagina.* 682. Elias Thesbites per dies quadraginta ad montem Choreb peruenit: at hi (quadraginta Martyres) corpore Christi gustato, pariter ad cœlum peruenerunt. *Ser. in 40. Martyres. Pagina* 728.

NOTÆ.

Verè Catholicam hic habemus Corporis & sanguinis Christi, in Eucharistia reipsa præsentis, fidem atque confessionem: aduersus impias impiorum Sacramentariorum delusiones & corruptiones. Ita sanctus Iustinus & ipse Syrus & Martyr, ad finem pro Christianis Apologiæ secundæ: Ita & sæculo Tertulliani, & Cypriani Africa credidit: Christum panem suum corpus effecisse dicendo: Hoc est corpus meum: illudque cum modestia & humilitate adorandum. Asiam, idem sibi persuasisse, cum Liturgiis, euincunt illius orbis Scriptores. Moschouia eadem perpetuò concinit. Nunquam dubitauit Europa. Hæc igitur totius mundi Christiani fides, hæc constans vsque in hoc sæculum doctrina.

L. 4 adu. Marc. c. 8. Ser. de cœna. L. de orat.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

In Ecclesia Christi, Sacerdotium speciale constitutum est, ad offerendam

Euchariſtiam, in remiſſionem peccatorum.



O Miraculum ſtupendum! O poteſtas ineffabilis! O tremendum Sacerdotij myſterium, ſpiritale ac ſanctum, venerandum & irreprehenſibile, quod Chriſtus in hunc mundum veniens, etiam indignis impertitus eſt. *&c.* Scutum ſiquidem eſt refulgens & incomparabile, turris firma, murus indiuiſibilis, fundamentum ſolidum ac ſtabile, à terra ad axem vſque cæli pertingens. Quid dico Fratres: Excelſos illos axes contingi? Imò in ipſo cælo cælorum ſine impedimento atque labore aſcendit, & in medio Angelorum ſimul cum ſpiritibus incorporeis facilè verſatur. Quid dico in medio ſupernorum? Quin & cum ipſo Angelorum Domino atque Creatore, datoreque luminum, familiariter agit. *&c.* Quid dicam? quid eloquar? aut quid laudibus efferam? Excedit quippe intellectum & rationem, omnemque cogitationem, donum altitudinis dignitatis Sacerdotalis. *&c.* Abſque venerando & diuino Sacerdotio; remiſſio peccatorum mortalibus non conceditur. *Lib. de. Sacerdotio. Pagina* 1. Sacerdos à Rege miſericordiæ poſtulat, vt Spiritus ſanctus deſcendat, ſanctificetque dona in terris propoſita: cumque oblata fuerint tremenda myſteria, immortalitate plena, præuio Sa-

cerdote orationem pro cunctis faciente, tunc animæ accedentes, per illa mysteria, macularum purificationem accipiunt. Vides homo, illustrem miraculi editionem? Cernis sublime sacrificium? quàm facilè sordes animarum eluat? Benedicitur Saluator, qui fecit in terris superillustre hoc & purgatiuum donum, in gratia Sacerdotes illuminans, vt sicut luminaria, in mundo luceant. Populus, qui ante nos erat, cornu olei ferens, ad Sacerdotium promouebatur: nobis verò per impositionem manuum Deus donat spiritum, qui ignis instar venit super Apostolos. O potestas ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare *Act. 2.* per impositionem manuum sacrorum Sacerdotum. *Ibidem Pag. 2.* Lugebit terra ac mare (durante tyrannide Antichristi) quia vox psalmi & orationis repente cessabit de ore hominum. Lugebunt Ecclesiæ Christi vniuersæ luctu maximo, eo quòd amplius Deo non offeratur diuina oblatio, & sanctificatio, Sacerdotum iam cesset ministerium. *&c. Serm. de Antichristo. pagina.* Quando porro honorandi Sacerdotes sanctę assistunt mensæ ad sacrificium offerendum, ipsi primi manibus suis extensis, cum fide suscipiunt corpus Domini, qui semper cum illis est. *Serm. in sanctos patres, qui illo tempore defuncti erant.* Pagina 769.

NOTÆ.

Plurima, eademque sanctissima hîc habemus Sacerdotij Christiani encomia: quibus satis apertè

refelluntur Lutheranorum & Caluinianorum aduerſus illud probra, criminationes, & inficiationes. Conſtanter enim affirmatur, inſtitutum eſſe à Chriſto, dicente, nimirum: Hoc facite in meam commemorationem. Videlicet, conſecrate, offerte, communicate. Et rurſum: Quorum remiſeritis peccata, &c. Et cùm virtute, ac oblatione illius, peccatorum purificentur maculæ, ſordeſq; eluantur animarum, Sacrificium pro certo propitiatorium eſt. Et quoniam unà cum Angelis in cælo; imò & cum ipſo Domino verſentur, qui pertractant illud, decet profectò illos eximiæ puritati & pietati ſtudere. Ad hæc, cùm myſteria iſta tremenda ſint, & plena immortalitate, procul dubio Chriſtus in immortali ſuo adeſt corpore, à fidelibus omni fide & pietate adorandus. Denique Filio perditionis viam parant atque muniunt, qui huic Sacro aduerſantur.

Math. 26. Luc. 22. Io. 20.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Ritus ſeruiendi in celebratione huius Sacrificij, quantum ad veſtes, vaſa, & loci reuerentiam.



IN die Theophaniæ beat⁹ Ephrem conſpicit B. Baſilium magnum, ſtola indutum candida, Diaconum albis indutum obſeruantem eum, dum ſacris operabatur: tum

intra se cogitat, Hic in tãta hominum frequẽtia, atq; honore quomodo est columna ignis? Misit Basilius Archidiaconum, qui vocaret eum in præsbyterium. Tandem colloquútur, impetrata à Deo lingua Græca. Ephræm ordinatur Presbyter, socius eus Diaconus. *Amphilochius Iconis Episcopus, comparat. BB. Basilij & Ephram.* P*agina.* 15. Non dicò tibi homo, non solùm non sacerdotium temerariè assumendum: sed neque cæterorum quidpiam, in vasis verè venerandi cultus diuini contingendum. Siquidem tu legisti quid passus sit Oza, eo quòd arcam Dei tetigisset. Huius tu semper memineris, dilecte Frater, horribilis Dei excelsi: Super quem requiescam ego, nisi super mansuetum, animum tranquillum? *Ephræm lib. de sacerdotio.* P*agina.* 3. In Ecclesia estote assidui, nocturno, matutino, atque meridiano tempore, viri pariter ac mulieres, diuites atque pauperes, serui ac liberi, senes ac iuuenes, ad diuina frequentanda mysteria studiosè concurrite, Domino ex manuum vestrarum laboribus offerte, in benedictionem domus, omniumque, qui in domo sunt. Et state in multo timore atque tremore, cum nemine tunc quidem congredientes. Sed sicut Angeli, qui in cælis sunt, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, lacrymantes, suspirantes, supplicantes, inuocantes ex toto corde, & rogantes ne quis diuinorum mysteriorum susceptioni reperiatur indignus. &c. *Ser. de festis diebus.* Pag. 9.

Heb. 5.
2. *Reg.* 6.
Isa. 66.
1 *Ps.* 2.

NOTÆ.

IN his, primùm aduersus Hugnosticam confusionem obseruo, præcellentißimum ordinem hierarchicum Ecclesiæ Catholicæ, in Episcopo, Archidiano, Præsbytero, *atque Diacono. Hinc vsum sacrarum vestium, in sacrorum administratione, vt poté, Candidæ Episcopi stolæ: Diaconi albis induti: Inde, & in vasis sacris, venerandique cultus Diuini non temerè à quibuslibet contingendis.* Præterea, *donum linguæ Græcæ, cælitus impetratum beato Ephræm, cùm antea Syriacam duntaxat calleret, vt sanctus cum sancto colloqueretur. Est & in his notanda dierum festorum obseruatio religiosa, nimirum Epiphaniæ, qua Christus Deus Gentibus suam cum humanitate, Diuinam maiestatem, stella duce, manifestauit. Huius festi, velut ab Apostolis constituti, meminerũt Discipuli eorum SS. Clemẽs & Ignatius. De natalitiis Martyrum, & de sacrificiis, quæ in memoriam eorum offerebantur, crebra mentio est in*

I. de coron. c. 3. Ep. 34. & 37. *Scriptis Tertulliani & B. Cypriani. Magnus Aurelius Aug. non tantùm hunc ritum probat: sed & eiusdem triplicem istam rationem aßignat: Populus Christianus memorias Martyrum celebrat, ad excitandã imitationem, vt meritis consocietur, & precibus adiuuetur. &c. Lambertus Danaus Caluinicæ impietatis interpres & præco, Monachos omnes coarguit, quòd pro instituto monastico media nocte, ad pensum Ecclesiasticum persoluendum, consurgant. Sed ignorasse videtur impius, quòd Dauid media*

Ps. 118. Act. 16. *nocte surgebat ad confitendum Domino:* Paulus *& Syllas media nocte laudarent Dominum, etiam*

in carceribus & vinculis: Christus eodem tempore feruentius orarit: media nocte clamor fit exiturus: Ecce Sponsus venit: Prima Christianorum Ecclesia, cœtus antelucanos religiosissimè celebrarit. &c. *Matth. 26.* *Matth. 25.*

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Christus Deus homo, personaliter inuocandus & adorandus.



Arce, parce Domine, clemẽtissime Saluator Christe, Fili vnigenite, mihi seruo tuo inutili, nequando coram tremendo tribunali, cum tremore & ignominia magna deprehendar, ludibrioque sim cunctis spectatoribus tam Angelis quàm hominibus. Verùm hîc Saluator meus tanquam clementissimus Pater, & filiorum amantissimus, erudi, & corripe: ibi autem vt cælestis Deus, & solus absque peccato suscipe me. Nisi enim in hac vita Saluator, misero peccatori sanam mentem dederis, tuoque lumine cor eius illustraueris, vt quotidie peccata sua per pœnitentiam abluat: illic coram tribunali tuo, absque defensione, quomodo consistere poterit? *Ser. 1.*

de compunctione. *Pag*.134. Confidenter te, Chriſte Deus meus clemẽtiſſime, ſupplex exoro, vt gratia tua ſuper me iugiter veniat, quæ mentem meam variis diſtractam colligat, occultaque vulnera mea ſanet. Ecce enim diſtractiones ſemper vulnera mea inſtaurant. Verùm tu Domine mitiſſime & longanimis, qui ſemper curas gratia & miſerationibus, ſana vt miſericors ac pius frequẽtes infirmitates mei peccatoris. &c. *Serm*.3. *de compunctione*.*Pag*.138. Oro te lux veritatis Chriſte, nate benedicti Patris, gloria & gaudium diligentibus te, vita mea, Chriſte, ſalua me peccatorem in regno tuo. Tu Domine, ne mihi retribuas ſecundum opus meum: ſed ſaluum me fac per gratiam tuã, & propter magnam miſericordiam tuam miſerere mei, quia benedictus es tu, & glorioſus in ſæcula ſæculorum. *Ser. de ſecundo Domini aduentu*. *Pag*. 241. Complectamur mente, ac cõſideremus Chariſſimi, eos qui coram Rege conſtituti ſunt terreno, quomodo cum omni ſcientia & timore Regi ſuo adſiſtant. Nonne & nos multomagis, vt fideles oportet, coram Rege cæleſti conſiſtere cum timore ac tremore, & cum omni grauitate atque decore? Propterea non exiſtimo bonum eſſe impudenti oculo contemplari propoſita myſteria corporis & ſanguinis Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. Fidem huius nobis faciat

Exod.3. diuina Scriptura, dicens: *Tremefactus autem*
Act. 7. *Moyſes, non audebat aſpicere: ſcriptum eſt enim: Qui-*
1. *Reg*. 2. *cunque honorificauerint me, honorificabo eos, &c.*

Quomodo porrò etiam audent quidem relinquere Synaxin, & exire ante finem, absque magna necessitate? Nonne si vocatus esses ad prandium Diuitis viri, auderes ex medio accumbentium surgere & abire domum? Nonne illic remaneres, donec omnes pariter surgerent? Timeamus ergo quia scriptum est: *Maledictus omnis, qui facit opus Dei negligenter.* Paranesi 20. Pag. 367. Apparuerunt Moyses & Elias loquentes cum Iesu. Gratias ei agebant, quòd impleti erant sui sermones, & verba omnium cum ipsis Prophetarum. Adorationem etiam ipsi offerebant pro salute, quam in mundo fecerat generi humano: quodq́ue mysterium prius ab ipsis descriptum, ipse reipsa implesset. *Ser. de transfigurat. Domini.* Pag. 687.

Ieram. 48. *Matth. 17.*

NOTÆ.


Hoc caput adiecimus, vt huius sáctiss. antiquissimiq; patris authoritate, damnētur Caluinianorum errores, quibus per suos Emissarios Danaũ, Richerum, Bezam, & Musculũ, nolũt Christũ Deũ simul & hominē adorandũ & inuocandũ esse. Qua in re turpissimè conueniunt cum perfidis Iudæis, Turcis, Ethnicis, aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius. Ad hæc, diuino & omnipotenti Deo Patri seipsos opponunt, etiam beatis Angelis præcipienti: Et adorent eum omnes Angeli Dei: quòd religiosè fecerunt eius natiuitate, ieiunio, passione, resurrectione, in cælos ascensione: denique præstabunt in aduentu ad iudicium. Hodieque faciunt in cælo, eidem in acies suas procumbentes. &c. Eidem quoque suppli-

Theom. &c. L. 3. c. 9. & 10. *Ps 96. Heb. 1. Apoc. 5. 19. 22.*

Luc. 2. *cauerunt Paſtores Bethlehemitici: populuſque Ieroſo-*
Matth. 21. *lymitanus, clamans: Oſanna in excelſis. Ab eodem ſibi ſuiſq; ſalutem petierũt Centurio, Chananæa, cæci, ſurdi, leproſi, paralytici, Apoſtoli omnes, & eam acceperunt liberaliſsimè. Latro pœnitens ab eo poſtulat: Memento mei, dum veneris in regnum tuum: & accipit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Et Stephanus ad eum ſuſpirans clamat: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum: & cælos apertos ſibi conſpicit.*
Apoc. 22. *Dilectus ab eo Diſcipulus clamat: Veni Domine Ieſu. Et Paulus Epiſtolarum initiis, iis ad quos ſcribit, poſtulat ſalutem à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. &c.*

CAP. TRIGESIMVM.

Ordinatio Sacerdotum & Diaconorum in Eccleſia, per ſacram impoſitionem manuum Epiſcoporum.



It magnus Baſilius ad B. Ephræm: Cur Domine Ephræm, non accipis ſacram ordinationem Sacerdotij, quæ conuenit tibi? Cui Ephræm per interpretem: Quia inquit, peccator ſum. Et reſponſum eſt ei à magno Baſilio: Vtinam & ego talis peccator eſſem. Dixitque ad eum: Flectamus genua. Et cùm humi eſſent proſtrati, impoſuit manus ſancto Ephræm, magnus

pontifex, recitansque orationem Diaconi, dicit ad ipsum: Iube nos surgere. Atque tunc soluta, & illustrata eius lingua dicit sanctus Ephræm Græco sermone. Ἔσωσον, ἐλέησον, ἀνάστησον, καὶ διαφύλαξον ἡμᾶς τῇ χάριτι. Id est, salua, miserere, resuscita nos, & tuere nos Deus, tua gratia. Et impleta est Scriptura: Aperta erit lin- *Isa. 35.*
gua mutorum. Omnes, eadem hora glorificarũt Deum, qui omnia potest. *Sanctus Amphilochius, comparat. SS. Patrum Basilij & Ephræm Syri. Pag.* 14. Intra triduum ordinatis interprete Diacono, & sanctus Ephræm Presbytero, dimisit eos Basilius in pace ad propria. *Ibidem. Pag.* 16. Episcopus venit ad B. Abramium Eremitam, vt eum præsbyterum ordinaret. Dixit autem iste: Quis sum ego? Canis mortuus? Et quæ est vita mea, quòd talia de me iudicasti? Cui ait Episcopus: Ecce hîc residens, tam duntaxat salutem curas: illic verò (vico pœnitus ethnico) Diuina adiuuante gratia plurimos saluare poteris. Beatus autem ille vir Dei tunc plorans dixit: Fiat voluntas Dei: propter obedientiam hinc quò iniunxeris, proficiscar. Eductumque iam illum ex sua cellula, in ciuitatem subitò introduxit, ibique per impositionem manus eum presbyterum ordinauit: ac protinus in vicum Paganorum deducendũ curauit. &c. Totum porrò annum egit apud eos vir beatus, postquàm fidem susceperunt, docens indesinenter dies noctesque verbum Dei. &c. Deniq; solitudinem repetens, ter crucis signaculo vicum signauit. &c. Episcopus

cum toto Clero ſuo ad vicum acceſſit, viros ex eis magis probatos elegit, quos Præsbyteros, & Diaconos, ac lectores deſignauit. *Vita B. Abramy. Pag. 753.*


NOTÆ.

HÆc ad ſacramentum ſanctæ Ordinationis pertinent, cuius poteſtas & miniſtratio ad ſolos attinet Epiſcopos, Apoſtolorum legitimos ſucceſſores. Sacrilego igitur conatu niſus eſt Lutherus Epiſcopos & Sacerdotes ordinare. Quinetiam mulieribus à ſe faſcinatis, proh pudor! eandem tribuit facultatem. Elizabeth Anglicana in inſula ſua id ſibi munus arrogauit. Caluinus, Beza, Bullingerus meri prophani & layci, horumque ſatellites & miniſtri, ſacrorum ſuorum miniſtros manuum ridicula planè & vana impoſitione iactant ſe ordinare. Sic mutuo muli ſcabunt. Simia hominem ſimulat, licet mala ſemper beſtia remaneat.

Captiuit. Babylon.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Homines Sacerdotes, & voto Deo ſacratos, cælibes eſſe debere.


Poſtolus neque ſolutos, vetat legitimum matrimonium contrahere, neque eos qui ſe ſæculo abdicarunt, à continentiæ lege liberat, inquiens

inquiens: Vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Solutis quidem concedit, dicens: Propter fornicationem autem, vnusquisq; suam vxorem habeat. Et denuò: Honorabile cōnubium in omnibus, & thorus immaculatus. Cæterùm, ijs qui sæculo renuntiarunt, præcepit continentiam, dum dicit: *Omnis autem qui in agone contendit, àb omnibus se abstinet.* Tu monache, nosce atque considera, in vtro sis ordine constitutus, quæ pacta, quæque vota cum Deo feceris. Quoniam secundum illa abs te rationem reposcet, quemadmodum ait Saluator: Ex ore tuo iudico te serue nequam. Secularibus igitur permisit matrimonio iungi: qui sęculo se abdicarunt, hos continere, & quidem legitimè continere se voluit. Quandoquidem si quosuis verba illa concernerent: *Melius est nubere, quàm vri;* nemo hanc ipsam virtutē vnquam excoluisset. Non Elias Thesbites, non Elisæus, non Ioannes, non quicunque se castrauerunt propter regnum cælorum, castamque suam carnem seruarunt Deo. Sed neque ipse continens fuisset Apostolus, nisi respexisset in retributionem mercedis, &c. *Tractatu ad Fratrem quendam sciscitantem, ad quem hoc dictum pertinet: Melius est nubere quam vri. Pagina. 4. & 5.*

Heb. 13. *1. Cor. 9.* *Luc. 19.* *1. Cor. 7.*

NOTÆ.

L*Vtheri, Buceri, Pallicani, Munsteri, similiumque fidefragorum hæreticorum, præcipuum pro turpi libidine sua argumentum, hîc resolu-*

tum vides. Non enim paßim nupturire permittit Apoſtolus, ſed tantùm ſolutus: non voto, vel Sacerdotio adſtrictus. At in hunc modum Apoſtolica verba interpretantur Epiphanius contra hæreſim 61. Chryſoſtomus Epiſt. ad Theodorũ: Ambroſius Epiſt. ad virginem lapſam: Auguſt. Hieronymus: Sedulius: &c.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

Vera pœnitentia longè alia eſt in ſe, & in effectis, quàm aquæ Baptiſma.

POenitentia fertilis eſt fructus, quia omni ex parte præclarum Deo opus affert. Frugifer eſt ager: quia tempore quocunque excolitur. Salutis eſt arbor: propterea quòd multos in peccatis mortuos reſuſcitat. Inſeritur in ipſa omnis cæleſtis conditio ac ſtatus, quia diuinitatis eſt conſors. Gaudet namque ea Deus, quia quos peccatum moliebatur perimere, ipſa ad Dei reparat gloriam. *Sermone de pœnitentia. Pagina.* 561. Nunquid audiſti quod dixit Dauid: *Lauabo*
Pſ. 6. *per ſingulas noctes lectum meum.* Sed primùm ſuſpiria edidit, & ſic illacrymatus eſt. Rurſuſque ait: *Memor fui, & delectatus ſum.* La-
Pſal. 76. crymis lauit lectum ſuum: nam adulterio contaminatus erat. Ideo & lacrymis ſtratum ſuum rigauit, quod nefario complexu polluerat. Ait:

Laboraui in gemitu meo. Labor autem ipsius gemitus, lacrymarum est copia. Constat & lacrymas multiplicari præcedentibus gemitibus. *Ibi Pagina quingentesima sexagesima secunda.* Pœnitentiã nos agamus, Fratres, sicut Niniuitæ: vt nos quoq; salutẽ consequamur. Verè enim & non fucatè pœnitentiã egerunt: & verè saluati sunt. Non ex medietate conuersi sunt: quoniã Reges & priuati homines æqualiter lacrymas fuderunt. Non modico tẽpore: quoniam per totos tres dies viri cum mulieribus, pueri & senes, confiteri non cessabant: crediderunt sententiæ, & tanquam morientes, ad inuicem acerbas emittebant voces. *Ion. 3.* *Ibi. Pagina 573.* Misit Ionam Diuina gratia in Niniuem, non vt illam subuerteret, sed vt curaret. Non dixit ad eam, Resipisce, ostendens ægrotantem consurgere debere ad medicum. Exclusit eos spei foribus, vt quantitatem ac magnitudinem morbi ipsius declararet. Sicut ense, formidabili voce sua Ionas persuasit ipsis. Aspexit eum ciuitas instar Lictoris consistentem, & statim conturbata est. Ex lecto ægroti diligenter ad pœnitentiam currebant. Varia Regum obsonia prætermittebantur. Quòd si matres tunc suos infantes non lactabant, quis inter ipsos delitias tunc requirerete: Peccora ab equis cohibebantur, quis erat qui vinum biberet? Et si Rex seipsum sacco induebat, quis ex ijs foret, qui splendido se amictu *Ion. 2. & 3.*

vestiret? Animum intende, quomodo in tam vehementi planctu degebant. Nam infantium eiulatus cùm valde esset miserabilis, totam ciuitatem ad luctum & fletum excitabat. Senes lamentationibus seipsos obruebant. Cùm hos cernerent Iuuenes amplius suas ipsi voces extollebant. Apprehendebant filij matres, & trahebant vt à morte eriperent &c. *Sermone in Ionam. Pag.* 651.

NOTÆ.

Hic non solius sanctißimi Patris authoritate, sed & concionibus Ionæ, & Niniuitarum fructuosis operibus, damnatam habemus Caluinicam hæresim. Sacramentum Pœnitentiæ cum Baptismo, aut etiam sola Baptismi recordatione confundentem. Nam vera pœnitentia quouis tempore repeti potest: non Baptismus: vehementi cordis contritione, suspirijs, lacrymis, sacco, cinere, ieiunationibus, & clamoribus indiget: non autem Baptismus aquæ. Pœnitentia propriè spectat ad adultos: & aduersus peccatum personale & mortale constituta est: non sic Baptismus. Baptismi materia est aqua: forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Pœnitudinis, peccata resipiscens: Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis. & cetera. Quanta ergo inter vtrumque Sacramentum distantia?

CAPVT TRIGESIMVM. TERTIVM.

Contritio, id est, vehemens odium, & dolor de peccatis admissis, ad pœnitentiam pertinet.



Auid vna nocte peccauit, & quotidie lacrymatus est: atque etiam ideo beatus effectus est. Prospiciebat enim Propheta in eum qui ait: *Beati qui lugent, quoniam consolabuntur, &c.* Veniet Christus, vt consoletur lugentes hîc ac flentes, non quidem mortuum, vel temporarium aliquod pecuniarum detrimentum: at propter damnum peccati, & propter deperditum regnum cuius non erit finis. Quo redeunt qui hîc lugent ac plorant. *Ser. de compunctione animi. Pagina. 591.* Qui peccata sua quæ scienter commisit, deplangit, sibique ne alijs scandalum præbeat, cauet; neque ad peccandum, alios suo exemplo excitat, is facillimè Iudicem placare poterit. *Pagina 610.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Plorabo die ac nocte peccata mea valde coram Domino. Nostis tres esse differentias lacrymarum in hominibus. Sunt enim lacrymæ quædam rerum apparentium, & hæ amaræ sunt & vanæ. Sunt lacrymæ doloris ac pœ-

Psal. 5. *Matth. 6.* *Ierem. 9.*

nitentiæ, quando anima æternis perfrui bonis deſiderat: & illæ ſunt dulces & vtiles. Et ſunt lacrymæ impœnitentiæ, vbi fletus eſt & ſtridor dentium, &c. *Tractatu de timore Dei. Pagina.* 532.

NOTÆ.

Contritio fuit omni tempore ad impetrandam veniam peccatorum neceſſaria. Et ad hanc hominem lapſum præparat, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, coniuncta ſit, quæ ad recipiendum Pœnitentiæ *ſacramentum requiruntur. Nam qui ſanctorum ſuſpiria & clamores iſtos conſiderauerit: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: Laboraui in gemitu meo: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios eius generis, facilè intelliget eos ex vehementi peccatorum odio & deteſtatione manaſſe. Ex eodem fonte & Magdalenæ, &* Petri *proceſſerunt lacrymæ: ſimul & Niniuitarum ſacci, clamores, & ieiunia. Attritio autem, quæ vel ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ metu concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, non ſolùm non facit Hominem hypocritam, & magis peccatorem (quod voluit impœnitens Lutherus) verum etiam donum Dei eſt, & Spiritus ſancti impulſus, non adhuc quidem inhabitantis: ſed tantùm mouentis, quo potens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat. Huc pertinent voces iſtæ: Timete eum, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam, &c.*

Pſal. 6. Iſa. 38. Luc. 7. Matth. 26.

CAPVT TRIGESIMVM QVARVTM.

Humilis & integra Confessio peccatorum, pars est veræ pœnitentiæ.



SI quis suas tibi enarrauerit cogitationes, suaq; detexerit errata, ne mente eum despexeris, tãquam qui talia peregerit: sed potius de fratris mutatione admirare. Nam quòd quis spõte sua peccata spiritalibus viris prodit, correctionis vitæ signũ est: occultare verò animi malè affecti indicium existit. Quare oportet cùm omni humilitate eum qui familiariter sua exponit arcana, consolari, sicut scriptum est: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris. In illud, Attende tibi ipsi, cap.* 9. *Pagina* 326. Accusatio sui ipsius, in omni tempore, purgatio est peccatorum. *Tractatu de timore Dei. Pagina* 527. Semetipsum de multis grauibusque peccatis reum facit, & fatetur hic sanctus Pater. *Pagina.* 605. Post agnitionem veritatis me peccasse scio: sed sanctum habeo Dauid, pro me deprecantem. *Pagina,* 607. Gal. 6.

NOTÆ.

C*Onfeßionis peccatorũ vestigia sunt in Lege Mosis diuersa, iuxta diuersitatẽ & peccantiũ &*

peccatorum, oblationes. In Euangelio verò vt Ioannis Baptisma, prædicatio, & martyrium, Christi actus gestusque præsignabant: sic qui peccata sua coram eo confitebantur, Confessionem sacerdoti Euangelico faciendam. Ad hoc quoque pertinet, quod in Actis legitur: Multos venisse ad Paulum, confitentes actus suos. Quamobrem, nisi vt à delictis absoluerentur, quæ patrarant? Doctore namque Tertulliano, apostolicorum temporum viro, Satisfactio Confessione disponitur, Confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exhomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. Mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari. Subscribit ita Cyprianus: Meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij (idolorum) aut libelli facinore constricti: quoniam tamen de hoc cogitauerunt: hoc ipsum apud Sacerdotes Dei, dolenter & simpliciter confitentes, exhomologesin faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur. Serm. de lapsis.

Matth. 3. Act. 19. L. de pœnitentia. Gal. 6.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

Potestas absoluendi à peccatis, à Christo data est pastoribus Ecclesiæ Catholicæ.


Ntendamus mentem fratres clarè ac liquido, ad mysticam hanc formidabilemque narrationem; quoniam absque venerando & diuino Sacerdotio, remissio peccatorum mortalibus non conceditur. *Libro de sacerdotio, Pag.* 1. Princeps Apostolici ordinis Petrus, cùm Filium Dei viui Christum Iesum confessus esset; claues regni cælestis accepit, potestatemque cælestium ac terrenorum omnium obtinuit. *L. de armatura spiritali. Pagina* 479. Ligamus vehementer onera, peccandò: rursusque subleuamus, si fortè pœnitentiam egerimus. In nobis igitur est soluere & ligare: ad Deum verò pertinet, procidentibus sibi condonare. Verè etenim benignum habemus Dominum, præuia pœnitentia, sarcinas seruorum soluentem. *Serm. de pænit. & patientia. Pagina* 151. *Matth.* 16.

NOTÆ.

H*Æc absolutio non est solum nudum ministerium, vel annunciatio Euangelij, vel declaratio remissorum peccatorũ, vt garriunt hæretici; sed actus iudicialis, quo à Sacerdote, velut à Iudice, sententia pronunciatur: Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris & filij & Spiritus sancti. Hæc porrò à filio Dei Apostolis & sacerdotibus tradita est istis verbis. Quæcumque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo. Item: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Hinc Tertullianus: Si adhuc clausum putas cælum, memento claues eius, hîc Dominum Petro; & per* Matth. 16. & 18. Io. 20. L contra. Gnostic.

hunc, Eccleſiæ reliquiſſe. Et B. Cyprianus: Poteſtas Epiſt. 75.
remittendorum peccatorum, Apoſtolis data eſt, &
Eccleſijs, quas illi conſtituerunt.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Satisfactio verè pœnitenti neceſſaria.

MAria neptis ſancti Abramij, flens ac pœnitens dicebat ei: Si pœnitentiam adhuc agere poſſum, meamque ſatisfactionem ſuſcepturus ſit Deus, ecce vt iubes, tecum veniam. Procido autem ac ſupplico ſanctitati tuæ, ſanctaque veſtigia tua exoſculor, quòd ita pietatis tuæ viſcera, in me demonſtraueris, & huc vt ex laqueo diaboli me eriperes, adueneris. &c. Vt rediit in cellam, illa cilicio induta, in ſumma humilitate animi, & planctu, & lacrymis multis perſiſtebat; & ſeipſam aſſiduis vigilijs, arctiſſimiſque abſtinentiæ laboribus conficiebat alacriter pœnitentiæ ſcopum perſequens. *In vita S. Abramij. Pagina ſeptingenteſima quinquageſima nona.* Pœnitentiam quidem de peccatis meis egi, ſed ignoro an ſatisfactio mea illis condigna fuerit. *Tractatu de ſui ipſius reprehenſione.* Benigniſſimus ac clementiſſimus Deus, qui neminem vult perire, ſed omnes ad pœni-

tentiam reuerti, sic condignam satisfactionem eius (Mariæ neptis S. Abramij) precesque recepit: vt etiam dona curationum, ipsi ad rei certitudinem concesserit. *In vita Abramij. Pagina 759.*

NOTÆ.

Falsum ac impium Hugnosticorum commentũ est, culpas à Domino nunquam remitti, quin & vniuersæ pœnæ condonentur. In sacris enim prostant exempla Adæ, Heuæ, Mosis, Aaronis, Mariæ sororis eorum, Dauidis, &c. qui post culpas remissas, pœnasque æternas in temporarias commutatas, multos labores in satisfactionem exantlarunt. Et hi sunt fructus digni pœnitentiæ, quos Christus, Præcursor, & Apostoli à nobis iure diuino expostulant. Tanta autem est misericordiæ Dei largitas, vt non solùm pœnis à nobis spontè susceptis, aut à Sacerdote impositis: sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Christum satisfacere valeamus.

Gen. 3. Num. 12. 2. Reg. 12. Matth. 3. 4. 11. 18.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

Oratio iuncta cum ieiunio & eleemosyna pars satisfactionis pœnitentiæ.



Ona eſt oratio cum ieiunio: ſed hæc roborat confirmatque eleemoſyna. *Miſericordiam* (inquit DOMINUS) *volo, & non ſacrificium.* Cerne porrò Prophetam, quo pacto immiſericordes redarguat: *pro eo* (inquit) *quòd non eſt recordatus facere miſericordiam.* Et beatos Saluator prædicat miſericordes, dicens: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et Angelus ad Cornelium: *Non orationes* duntaxat tuæ, ſed etiam *eleemoſynæ* (inquit) *tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Ab errore igitur reuertentem, ac pœnitentem ſuſcipe, *&c. Paræneſi* 27. *Pag.* 381. Accede ad Patrem miſericordiarum, & confitere peccata tua cum lacrymis, dicens: Peccaui in cælum & coram te Domine Deus omnipotens, & nō ſum amplius dignus vocari filius tuus, neque ſurſum aſpectum tollere, & cernere altitudinem cælorum præ multitudine iniquitatum mearum, &c. *Paræneſi* 42. *Pagina* 421. Ieiunium, iniuriarum recordationem non admittit. Quoniam qui moleſtias ac dolores, iniuriaſque ſibi illatas memoria retinent, quamuis videantur orare & ieiunare, ſimiles ſunt ijs, qui aquam exhauriunt, & in dolium pertuſum infundūt. *Orat. de ieiunio.* *Pag.* 17. Deſiderate ieiunium animæ dico, puritatē ac caſtitatem. Deſiderate orationes, quæ ſunt familiaria cum Deo colloquia. Omnis quippe ſancta & pura oratio, confabulatio eſt cum Deo. *L. de Agone ſpiritali.* *Pag.* 484.

Oſee. 6.
Matth. 9.
Pſal. 108.
Matth. 5.
Act. 10.
Luc. 15.

NOTÆ.

Perpetua Theologorum sententia fuit, Satisfactionem, pœnitentiæ partem, ieiunijs, eleemosynis, orationibus, & alijs pijs spiritualis vitæ exercitijs, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, perfici: quod superioribus verbis ac exemplis Author adfirmat. Ait enim de eleemosynis Scriptura: Peccata tua eleemosynis redime. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et Dauid pœnitens ait: Operui in ieiunio animam meam. Et Dominus à pœnitentibus requirit: Conuertimini ad me, in ieiunio, fletu, & planctu.* Psaltes *rursus de remißione peccatorum canit:* Pro *hac orabit ad te omnis sanctus, &c.* Dan. 4. Luc. 11. Ps. 68. Ioel. 2. Ps. 31.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Quadragesimale ieiunium cum eleemosynis, seruandum.



Eiunium quadraginta dierum ieiuna, & panem tuum esurienti suppedita. Et septies in die ora, sicut à filio didicisti Isai. *Cantico de laude doctrinæ.* Pag. 268. Nam quadraginta dies Moyses ieiunans in monte, Sina legem accepit. In fortitudine cibi vnius Elias Thesbites per dies quadraginta ad mon- Ps. 118.

tem Choreb peruenit. At hi (quadraginta Martyres) corpore Chriſti guſtato, quadraginta pariter ad cælos peruenerunt. *In ſanctos quadraginta Martyres.* Pag. 707.708.

NOTÆ.

E*Rgo & in Syriaca Eccleſia, etiam à priſcis temporibus, vt & in reliquis omnibus Chriſtianorum, Eccleſijs ac ditionibus, ſeruatum eſt quadrageſimale ieiunium. Quod Baſilius magnus his confirmat: Non eſt inſula, non terra, non ciuitas, non gens, non denique locus vllus, tam deſertus, vbi prædicatio de Quadrageſima, non fuerit audita. Sed & ante vtrunque duorum iſtorum* Patrum, *huic rei teſtimonium præbuerunt B. Ignatius Epiſt. ad* Philip. *Cyprianus Ser. de ieiunio, Origenes, patre Martyre natus, Hom.* 10. *in Leuit. & reliqui omnes tam Græci quàm Latini.*

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Extrema vnctio prudenter & reuerenter adhibenda.



SI charitatis officio perfungens, oleo ęgrotantem inungis, fac oculos, manus, linguamq́, cuſtodias, ne in vllo, tēperantiæ ac modeſtiæ fines tranſgrediaris: hoc enim depoſcit pietas. *l. de vita ſpiritali. Cap.* 75. Membris alterius reuerenter ac cum timo-

re manus admoueas, tanquam rem aliquam sanctam attingeres. Etenim verè sanctum est templum Domini. Nescitis quia tēplum Dei estis? Et spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autē templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Hęc igitur scientes, omni custodia cor nostrum seruemus. *Ibidem cap.77. Pag.56.* 1 Cor. 3. 2. Cor. 6.

NOTÆ.

Isto extremæ vnctionis Sacramento finem vitæ nostræ tanquam firmißimo quodam præsidio, aduersus furentium tunc maximè cacodæmonum impetus, Christus muniuit. Nam apud B. Marcū hoc ipsum insinuauit: postea, per B. Apostolū Iacobum latius exposuit & promulgauit: docens quæ sit illius materia, forma, quis proprius Minister, & quales eiusdem effectus. Nos, Commentariis in Epist. diui Iacobi, vniuersæ antiquitatis isthæc longè, lateque testimoniis communiuimus. Mar. 6. Iac. 5.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Vita solitaria & monastica est Angelica, & salutaris, nedum vtilis.

QVi in solitudine versatur, à tripli-ci liberatur bello. Visus scilicet, auditus & loquelæ. Qui verò in conuentu fratrum, quieti se tradidit, à tribus & ipse liber est: nimirum ab emptione, à venditione, & à timore incursus latronum.

Quocirca ſuam quiſque conſciẽtiam tueatur oportet. *L. de vita ſpiritali. cap.* 10. *Pag.* 48. Vita Monachorum Angelis ſimilis, eorumque inſtitutum diuino miniſterio plenum eſt: Cõtinet enim vitam, quæ in præſenti Deo inſeruit; & ante, hanc fœnori dat, vt pro vſura vitam æternam accipiat. Præbet ipſi beneuolentiam, & particeps gloriæ cæleſtis efficitur. Loco præſentium laborum, ſperat fruitionem bonorũ æternorum. Mutuò dat terrena, & recipit cęleſtia. Soli Monachi Diuini certaminis ſuper terram norunt conditionem atque conſtitutionem, &c. Angeli & homines ſpeculantur, vt non immeritò dixerimus, Monachorum vitam Angelis eſſę perſimilem. Sed cuiuſmodi ſunt, quæ vident Angeli? niſi operationes occultas, laqueos in cauea conſtitutos, mores fraudulentos, inuaſiones ex inſidijs, machinationes dæmonum miro modo contextas & implicatas, quo pacto eas tranſiliant atque euadant. Multis difficultatibus eſt expoſita Monachorum vita: nam ſi remiſſior ſit, decipitur. Si minus ſyncera ſit, citò inſtar vini aqua mixti peruertitur, & aceſcens, non amplius in pretio eſt, ſed vileſcit: non amplius vſui, ſed damno: nec oblectationi, ſed nauſeæ. Inſtar vini, debet vita noſtra conſeruari. Non quæcumque ſors tulerit, admittenda. Non ridiculis vacandum. Non verborum multiplicitate gaudendum. Non tropis verborum frequentibus, non aſpectibus diuerſis, non multiloquio indulgendum. *Lib.*
de

de perfectione Monachi. Pagina. 470. 471. Frater charissime, si abdicata vita sæculari, factus sis Monachus, sobrium ac vigilantem te præbe, quia multę sunt insidiæ inimici: ne fortè locum ac spatium inueniens tibi suggerat: Renuntiasti sæculo, ac propriis, quid tibi inde lucri accidit? Nonne etiam feræ in suis conquiescunt antris? Tu ergo increpa eum dicens: Dominus te delebit profligabitque Diabole, quia hominem quem ad propriam imaginem fecit, tu feris ratione carentibus comparas, & non desinis subuertere vias Domini rectas ac plenas. &c. *Paranesi* 49. *Pagina* 441. *Act.* 13. Sicut sanctorum Angelorum acies, ita est multitudo Monachorum vnanimiter viuentium, & mentem semper ad Deum habentium. *Sermo. Ascetico. Pagina* 555. Arsenius cùm adhuc in palatio (Theodosij) versaretur, sic Deum precatus est: Dirige me, Domine, vt saluari queam. Et vox ad eum descendit, Homines fuge, & saluaberis. Qui arrepta vita solitaria secedens, iterum eundem orauit sermonem ad Dominum dicens: Audiui vocem mihi dicentem. Arseni, fuge, tace, & quietem sectare. Nam hæ radices sunt, quibus vitatur peccatum. *Apophtegmat. Sanctorum Patrum. Pagina.* 504.

NOTÆ.

Aliis in locis, constanter docet beatus Ephræm, sanctum Præcursorem Domini, vita, & moribus suis, descripsisse formam Monachorum. Pagina *Parænesi* 3. 337. *Idem tradit Basilius, Epist. ad Chilonem. Na-*

zianzenus eundem Baſilium cum S. Ioanne comparat, quod Monaſticam vitam vixerit. Et beatus Chryſoſtomus ait: Sicut principes ſacerdotum ſunt Apoſtoli: ſic Monachorum princeps Joannes Baptiſta eſt. De iſtiuſmodi vita differens beatus Hieronymus, ait: Huius vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & vt ad ſuperiora conſcendam, Princeps Ioannes Baptiſta. &c.

Hom. 69. in Matth.
Ad Euſtochium.

CAP. QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Veſtis monaſtica ſancta, & in hac profeſſione conſtanter perſiſtendum.



COgita habitum, quo indutus es, ô Monache, & cerne quantum ſit inter hunc, ſæcularemque diſcrimen: diligenterque animaduerte, quidnam ille deſignet. Cōſtat quippe, quod ſæcularium inſtitutorum, ſiue etiam rerum ſignificet abiectionem, ſpiritualiumque operationum recordationem afferat. Noli igitur virtutem negligere, ſed totis viribus virtutem procura, quoniam egreſſus es mundo. Acquire ergo tibi Caſtitatem, vt inhabitet in te Spiritus ſanctus. Te caſtum cuſtodi: & ſi iam cœpit in te peccati

flamma incendium excitare, eam lacrymis restingue: saluat enim cunctos Dominus, qui ad illum conuertuntur. *L. de virtute, cap. 9. Pagina* 303. Ne attendamus venustati vestium, aut cucullæ, cincturæ-ve, aut donec ab obedientia commenderis: qui potius similia consectemur, & ab inani gloria remota, sicut decet sanctos. *In illud. Attende tibi ipsi. Cor.* Pag. 310. Frater quidam exposuit mihi dicens: Patruum habui aurificem, abdicataq; vita sæculari, factus est Monachus. Admisit eum in monasterium suum, ac post aliquod tempus curauit eum sumere sanctum Habitum. &c. P*aranesi* 28. P*agina* 383. Non omnibus talenta impertitus est Deus sed ministrantibus seruis. Itaque & talenta, vt mihi quidem videtur, monachi acceperunt: nam instituto à Deo præuenti, & ornati sunt. Quamobrem & habitu, ab illis qui in mundo degunt, distincti reperiuntur: quoquidem habitu & modestiam, & propositum suum designant testanturque. Quocirca iudicium etiam fit de habitu: nam habitus professionis vim indicat. &c. *Tractat. confessionis & sui ipsius reprehens.* P*agina* 612. Donum enim nosipsos (Monachi) obtulimus Domino, neque amplius corporis nostri potestatem habemus. Siue enim angustiamur, siue oppugnamur ad arbitrium nostrum auferre munus non licet. Quemadmodum enim si quis votum vouens Deo, munus Domino obtulerit, quod Sacerdos acceptum in templo seponit, non amplius in sua potestate est

Matth. 25.

iam aufferre donum, alios vt ſacrilegus punietur. Sic quoque qui Deo ſuas animas conſecrarunt, corporis ſui poteſtatem amplius non habent. *Adhortatio prima ad Nouitium monachum.* Pag. 281.

NOTÆ.

Elias, Eliſæus, Ioannes, veſtibus à vulgo diſtinctis, & contemptum mundi deſignantibus ſunt vſi. Heb. 11. *Et de his, aliiſque viris ſanctis ait Apoſtolus. Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, quibus dignus non erat mundus. Ratio itaque religioſarum veſtium ſacra eſt, ideoque non ſemel B. Ephram ſanctum habitum appellat, vt potè publicis orationibus ſanctificatum, & ſacris Deo perſonis, ac exercitiis dicatum.* Eccl. hier. c. 6. *Accedit, quod B. Dionyſius vir Apoſtolicus refert Sacerdotum ſigno crucis (Monachum) conſignatum totōdiſſe, omniique veſte (ſæculari) detracta, eum alia induiſſe. Magnus Athanaſius docet Sanctimonialem,* L. de Virg. *vt fuſcam veſtem & vilem gereret. Baſilius & ipſe magnus, plurima de veſtimentis Monachorum* Queſt. expl. *tradit, & formam horum piè interpretatur. Chryſoſtomus dicit, Monachum veſtitu ſuo Eliam, & Ioan-* Hom. 69. in Matth. *nem Baptiſtam imitari. Ambroſius Epiſt. 36. teſtatur ſanctum* Paulinum *ex nobili Senatore factum Monachum, veſtem priſtinam, in religionis veſtem* Ep. 4. *mutauiſſe. B. Hieronymus arguit illos, qui veſtimentis duntaxat, & vocis profeſſione, non rebus, nihil de conuerſatione priſtina mutabant. Auguſtinus denique, docet peccatum eſſe, ſi vel Sanctimonialis gerat ornamenta nuptarum, vel nuptæ ſpeciem virginum veſtibus referant. L. 6. contra Fauſt. cap. 9.*

CAP. QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Sancti cælo recepti pro nobis intercedunt & iccircò rectè & salutariter à nobis inuocantur.



QVidam ab Ismaëlitis captus, & procul abductus, desiderans repetere patriam, itineribus obsessis ab hostibus, exclamabat: Sancte Ephræm, succurre mihi, & liber euasit: *Gregor. Nysse. in vita S. Ephræm.* Pag. *xi. Ibidemque sic ad illum suas preces dirigit*: Tu autem iam diuino adsistens altari, vitæque Principi, ac sanctissimæ vnà cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum memineris, veniamque nobis peccatorum impetra: vt sempiterna cælestis Regni beatitudine perfrui possimus. Amen. *Pagina xi.* Salua me impium gratia & miserationibus tuis, & induc me in Paradisum delitiarum tuarum cum omnibus iustis. Suscipe deprecationem serui Domine, precibus & intercessione Sanctorum omnium, qui tibi placuerunt. Goria Christo. Amen. *Sermo* 1. *de pænitentia.* *Pagina* 147. Qui delitiis paradisi fruuntur, ipsi pro me erant, atq; solum benignum interpel-

CAP. QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Sancti corporibus defuncti, animis tamen adsunt nobis, & sanctis reliquiis suis auxiliantur supplicantibus.



On obsunt à nobis sancti Patres, quoniam amor & desiderium atque affectio eorum semper nobiscum est. Non separemus ipsos tamquam peregrinos atq; externos à nobis, quoniam semper pro nostris deprecantur peccatis. Non sunt viles neque abiecti: sunt gloriosi ac celebres. Neque verò minimi, vti sunt honorabiles. Neque enim rudes & indocti: nam doctores cunctorum sunt hominum, in operibus bonis: ipsi autem à proprio edocentur Domino. *Sermo. in Sanctos Patres, qui in pace requieuerunt. Pagina* 769. Ipsi sibi sunt sacerdotes, & nostros suis orationibus morbos sanant. Nam deprecatores nostri sunt perpetuò apud Dominum. P*ag.*771. Obtestamur igitur vos, ô sanctissimi Martyres, qui pro Domino saluatore, eiusq; amore, sponte ac promptè atrocissima tormenta subiistis, quamobrem etiam familiarius iam ei coniuncti estis, vt pro nobis miseris peccatoribus, Dominum deprecemini, vt

diuinam suam in nos infundat gratiam, quæ corda nostra sanctæ charitatis radio iugiter illustret atque illuminet, quo ipsum toto corde, totaque mente diligere valeamus. *In laudem omnium martyrum. Pagina, 746.* Martyres mortui, tanquam viui operantur, ægrotos sanant, dæmones expellunt, omnemq; tyrannidis nequitiam virtute Christi in fugam agunt. Semper enim sanctis reliquijs gratia adest Spiritus sancti, quæ cuncta in eis miracula edit, quoniam viriliter Christum coram hominibus in magna patientia confessi sunt. *Orat. in omnes sanctos Martyres. Pag. 740. 741.* Quando in Iudaismo moriebantur homines, polluta censebantur cadauera; at nunc si qui mortem Christi causa oppetit, preciosæ sanè sût eius reliquiæ. Ille qui ossa martyris contingit quandã sanctificationis communicationem assumere creditur. Pretiosa etenim est coram Domino, mors Sanctorum eius. *Oratione de morte. Pagina 204.*

NOTÆ.

Ossa beati Ioseph ex Ægypto studiose asportauit totus Israel: corpus Mosis sepelierunt Angeli: Ossa Elisæi miraculis sunt nobilitata: Sancti cuiusdam Prophetæ *corpus Iosias inuiolatum manere voluit: quæ omnia ad reliquiarum honorem attinet.* Probatur *quoque in sacris; studium eorum qui certatim ad mirificam umbram B. Petri currebant, neque superstitiosi habiti sunt, qui à* Pauli *sudariis & semicinctiis salutem corporum & animorum petierunt, & consequuti sunt. Nonne & vestis, & saliua, & sputum Christi multis profuerunt? Sed quia*

causam istam aduersus Vigilantij, & sequacium errores, fortiter feliciterque perorauit B. Hieronymus, ad sequens caput transeundum.

CAP. QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Imagines sanctorum vtiles & venerandæ.



Vi exemplis indigent, quibus ad imitandam virtutem excitentur, sit exempli loco tale: Qui secundum mundum strenuos se præbent bellis, imagines sumunt, in parietibus & tabulis belli historiam describentes: vt quomodo hi quidem sagittis feriant, alij vulnera infligant, &c. Atque hæc agunt ad æmulationem posterorum, & commemorationem eorum, qui rem fortiter gesserunt. Alij verò Sanctorum quoque certamina in domesticis oratoriis ad imitationem ignauorum cordium, & oblectationem spectatorum depingunt. &c. *Epist. ad Io. Monachum.* Pag. 273. Ille autem (Isaac filius Abrahæ,) vsque ad mortem Patri se obedientẽ præbuit mortẽ peius esse sciens tristitiã atq; mortẽ inferre. Deinde, Abrahã filio vincto, nõ obtorpescit ei manus, non obstupescit ei mẽs, Quotiescunque sanè pueri istius contemplatus sum imaginem, nunquã sine lacrymis præ-

terire potui; præsertim dum efficax picturæ artificium demulceret animum, & perspicuam huic historiæ afferat cognitionem. Iuxta altare procumbebat Isaac, coram patre in genua prouolut⁹, ac manus retro circumactas habẽs: Abraham interim à tergo genu curuaturam calcante: deinde, vna manu comam pueri ad sese retorquens, intuetur ipsum, aspicitque faciem Isaac in eum miserabiliter respicientis, ictumque iam expectantis. Armatam autem gladio habens dexteram, intentat necem, corpus contingit, & iam gutturi acies gladij imminebat, ensemque in sua ipsius adigit viscera. Porro tunc diuinitus audita est vox, quæ impetum retinebat. *In Abraham & Isaac. Pag. 617.*

NOTÆ.

ET huius imaginis meminit beatus Augustinus lib. 22. contra Faustum, c. 73. simulque Christi Jesu & apostolorum eius Petri *&* Pauli *icones palam extitisse testatur. Ante hos Tertullianus de* Pud. *Christum imagine pastoris in sacris calicibus depictum fuisse docet. Ac vt innumeros alios* Patres *omittam, Irenæus martyr, Iustinus martyr, Ignatius martyr, de crucis atque in eo crucifixi figura eleganter philosophantur.* L. 1. de 6 *sensu euangelist. c. 10.*

CAP. QVADRAGESIMVM QVINTVM.

Sanctæ crucis imaginem signumq;

fugit diabolus: destruet verò & auferet illud Antichristus.



Vidam filium valde paruum habebat,& hunc tanquam inobedientem,in sacrificium Dæmoni propter suam auaritiam offerre non verebatur. Verùm diuino auxilio assumptus præseruatusque est puer. Cùm enim deduxisset eum miser homo in quemdam subterraneum locum, vbi multum auri putabatur reconditum ab iis qui sacra sepulchra parabant: Dæmon conspecto crucis signo, quo puer amictus & consignatus erat, non est ausus ei nocere. Puer igitur admirabiliter liberatus atque conseruatus est. *Ser. de sancto Juliano anachoreta. Pag.* 762. Dabit signum suum Antichristus, nō quidem promiscuè pro quolibet corporis mēbro, ne hoc graue sit atque molestum suis: sed in dextram manum, ac frontem insculpturus est homini caracterem hunc suum impium, ne scilicet facultas sit homini dextera se signādi signo Christi saluatoris nostri: neque rursus in fronte vllatenus tremendum sanctumque Domini nomen imprimere queat, neque etiā gloriosam atque formidabilem Saluatoris crucem insculpere. Nouit quippe infœlix ille per impressionem Crucis Domini potestatem sibi omnem ademptam iri. Quamobrem signat hominis dexteram, quod ea scilicet, cuncta nostra membra signemus, similiterque fron-

tem, quòd illa candelabri in modum lucernã lucis, hoc est signum Saluatoris nostri, in altum præferat. *L. de Antichristo. Pagina. 221.*


NOTÆ.

Sanctissimæ crucis consignationem in prima ætate Ecclesiæ catholicæ fræquentissimam fuisse, verbis istis docet Tertullianus: Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauachra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia; quæcunque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Hoc signo vniuersa Christianorum sacramenta perfici docent SS. Dionysius & Chrysostomus. Beati martyris Cypriani ista verba sunt: Gloriamur in Cruce Domini, cuius virtus omnia peragit Sacramenta, sine quo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omniũ sanctificationum exurgit sublimitas & profundũ, & longè lateque plenitudo diffunditur gratiarum. Serm. de Baptismo Christi.

CAP. QVADRAGESIMVM SEXTVM.

Crucis signum olim in cælo fulgebit: in frontibus autem est nobis consignandum.

Notæ Magiſtri Feuardentij.



HÆc (crucis figura) in ſecundo aduentu Domini, prima aparitura eſt in cælo, tanquam pretioſum ac venerabile ſceptrũ Regis Chriſti, iuxta verbum Domini dicentis: Ecce apparebit ſignum filij hominis in cælo, cum multitudine exercitus Angelorum, vniuerſam illuminans, à finibus vſque ad fines, ſuper claritatem ſolis, aduentumque Domini adnuntians. *Ser. de his, quæ poſt crucem reuelanda ſunt. Pag.* 228. In fronte tua perpetuò impreſſam habeto crucem Chriſti Monache, & in corde tuo timor Dei ſemper ſit, Chriſti pugil. *Paræneſi.* 1. *Pag.* 337. Crucem fronti impreſſam tenentes ſpectaculum diabolo tremendum habebitis, honorantes iuſtitiam, caſtimoniamque ſeruantes, iam incolæ paradiſi euaſiſtis. *Paræneſi.* 2. Vice ſcuti, crucis ſigno teipſo muni, ſignans eo membra tua omnia, & cor tuũ. Neque verò ſola manu te ſignes ſed etiam animo: & ſtudia tua, & ingreſſũ tuum, & exitum tuum, in omni tempore, ſeſſionem quoque tuam, & reſurrectionem tuam & lectulum tuum, & quæcunque pertranſis, ſigna primum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *L. de armatura ſpiritali.* Pag. 481. Sicut Ioſeph palam dixit fratribus pudore ſuffundens eos: Ego ſum Ioſeph quem vendidiſtis: ita quoque Dominus noſter crucem ſuam in forma ſplendẽte oſtendet crucifixoribus ſuis: agnoſcentque ipſam crucem, & Filium Dei à ſe crucifixum. *Lib. de laudibus Ioſeph.* Pag. 633.

Crux dominatur, quam omnes adorant gentes, populi, tribus, & linguæ, in qua cum beato gloriemur Paulo dicente: Mihi autē absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Depingamus & insculpamus in ianuis nostris, in frontibus, & oculis, & in ore, ac pectore, & in omnibus membris nostris viuificum hoc signum. Hac ornemur, atque armemur inuincibili Christianorum armatura, quippe quæ victrix est mortis, spes mundi, lux finium orbis terræ, reseratrix paradisi, propulsatrix hæresum, firmamentum orthodoxæ fidei, &c. *L. de sanctissima cruce. Pag.* 700.

NOTÆ.

EAndem sententiam de crucis in Iudicio apparitione comprobant Hippolytus martyr, Orat. de consum. sæculi: Cyrill. Ierosol. Catech. illumina. Chrysost. hom. 55. & 77. in Matth. August. Theophil. Damascenus, &c. adeo vt prodigiosum sit, Hugnosticos ab hoc signo abhorrere.

CAP. QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

Ignis quidam est purgatorius, quo animæ quædam expiantur, in altero sæculo.

iam aufferre donum, alios vt ſacrilegus punietur. Sic quoque qui Deo ſuas animas conſecrarunt, corporis ſui poteſtatem amplius non habent. *Adhortatio prima ad Nouitium monachum.* Pag. 281.

NOTÆ.

Elias, Eliſæus, Ioannes, veſtibus à vulgo diſtinctis, & contemptum mundi deſignantibus ſunt vſi.
Heb. 11. *Et de his, aliiſque viris ſanctis ait Apoſtolus. Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, quibus dignus non erat mundus. Ratio itaque religioſarum veſtium ſacra eſt, ideoque non ſemel B. Ephræm ſanctum habitum appellat, vt potè publicis orationibus ſanctificatum, & ſacris Deo perſonis, ac exercitiis dicatum.*
Eccl. hier. c. 6. *Accedit, quod B. Dionyſius vir Apoſtolicus refert Sacerdotum ſigno crucis (Monachum) conſignatum totō diſſe, omnique veſte (ſæculari) detracta, eum alia induiſſe. Magnus Athanaſius docet Sanctimonialem,*
L. de Virg. *vt fuſcam veſtem & vilem gereret. Baſilius &*
Queſt. expl. *ipſe magnus, plurima de veſtimentis Monachorum tradit, & formam horum piè interpretatur. Chryſo-*
Hom. 69. in Matth. *ſtomus dicit, Monachum veſtitu ſuo Eliam, & Ioannem Baptiſtam imitari. Ambroſius Epiſt. 36. teſtatur ſanctum* Paulinum *ex nobili Senatore factum Monachum, veſtem priſtinam, in religionis veſtem*
Ep. 4. *mutauiſſe. B. Hieronymus arguit illos, qui veſtimentis duntaxat, & vocis profeſſione, non rebus, nihil de conuerſatione priſtina mutabant. Auguſtinus denique, docet peccatum eſſe, ſi vel Sanctimonialis gerat ornamenta nuptarum, vel nuptæ ſpeciem virginum veſtibus referant. L. 6. contra Fauſt. cap. 9.*

CAP. QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Sancti cælo recepti pro nobis intercedunt & icciercò rectè & salutatiter à nobis inuocantur.



Vidam ab Ismaëlitis captus, & procul abductus, desiderans repetere patriam, itineribus obsessis ab hostibus, exclamabat: Sancte Ephræm, succurre mihi, & liber euasit: *Gregor. Nysse. in vita S. Ephræm. Pag. xi. Ibidemque sic ad illum suas preces dirigit*: Tu autem iam diuino adsistens altari, vitæque Principi, ac sanctissimæ vnà cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum memineris, veniamque nobis peccatorum impetra: vt sempiterna cælestis Regni beatitudine perfrui possimus. Amen. *Pagina xi.* Salua me impium gratia & miserationibus tuis, & induc me in Paradisum delitiarum tuarum cum omnibus iustis. Suscipe deprecationem serui Domine, precibus & intercessione Sanctorum omnium, qui tibi placuerunt. Goria Christo. Amen. *Sermo* 1. *de pœnitentia. Pagina* 147. Qui delitiis paradisi fruuntur, ipsi pro me erant, atq; solum benignum interpel-

lant. Exaudi ergo deprecationem eorum, & ſalua me per interceſſionem illorum. Ego verò per eoſdem gloriam tibi offeram, quòd oratione ipſorum exaudita, ſis miſertus mei, & non deſpexeris deprecationem meam. Exaudi Domine, preces ſerui tui per interceſſionem omnium Sanctorum tuorum: qui in omnibus es benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen. *Cōfeſſ. ad Deum.* Pag. 251. Exaudi me & præſta, vt hæres regni in regno tuo vocari merear, manipuloſq; compunctione & confeſſione plenos, precibus & interceſſionibus omnium Sanctorum tuorum, tibi gratos acceptoſque offeram. *Ser. Aſcetic.* Pagina 559. Poſt agnitionem veritatis, me peccaſſe ſcio, ſed ſanctū habeo Dauidē, pro me deprecantem. *Confeſſ. & reprehenſ. ſui ipſius.* Pagina 609. Deprecare pro me miſerabili, & reuoca me tuis interceſſionibus, Pater: fortis, imbellem: ſedulus, pigrum: alacris inertem: ſapiens, inſipientem. Qui theſauriſaſti tibi theſaurum omnium virtutum, me omnis boni operis inopem reducito. *Encomio in San. Baſilium.* Pagina 726. A te depoſco, ô ſancta (martyris mater) fidelis, atque beata, ora pro me Sãctos, dicens: Intercedite, ô triumphatores Chriſti pro minimo ac miſerabili Ephræm: vt miſericordiam inueniam, Chriſtique gratia ſaluus fiam. *Orat. in ſanctos quadraginta Martyres.* Pagina 734. Obſecro pro me vili ac miſero peccatore Ephræm ante thronum diuinæ maieſtatis adſiſtite, vt pecibus veſtris ſalutem cōſequi merear, & vobiſcum ſempiterna felicitate

perfrui, gratia & benignitate, atque misericordia Domini ac saluatoris nostri Iesu Christi. *Sermo de laudibus omnium sanctor. Martyrum. Pag.* 147.

NOTÆ.

CVm Sanctorum animæ felicius agant in cælis exutæ corporibus, quàm in terris, vinculis illis alligatæ: proculdubio voluntatibus caritate accensæ, bene nobis, vt fratribus suis cupiunt; & Christo capiti nostro adhærentes omnia fausta comprecantur. Atque vt in hac pietate perseuerent nobis postulantibus: hoc sanè est illos pro nobis orare, nosque eosdem inuocare. Ac de Angelis quidem clarissimum fecimus in alio scripto. De humanis spiritibus patet vel ex historia Epulonis orantis Abraham pro fratrum suorum salute: Onia & Ieremia, fausta quæque sanctæ comprecantibus: Ecclesiæ militantis atque triumphantis verè communione: denique ex vniuersorum Patrum *Syrorum, Hebræorum, Græcorum, Afrorum, Europæorum mira consensione. Hos namque illos nobis felicia omnia bene precari fortiter contendunt, nos precibus illorum commendare præcipiunt, denique & meritis consociari, & orationibus adiuuari omni constantia docent.*

Theomachia L.

Luc. 16.
2 Mach. vltimo.
Rom. 12.
1. Cor. 12.

CAP. QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Sancti corporibus defuncti, animis tamen adſunt nobis, & ſanctis reliquiis ſuis auxiliantur ſupplicantibus.



On obſunt à nobis ſancti Patres, quoniam amor & deſiderium atque affectio eorum ſemper nobiſcum eſt. Non ſeparemus ipſos tamquam peregrinos atq; externos à nobis, quoniam ſemper pro noſtris deprecantur peccatis. Non ſunt viles neque abiecti: ſunt glorioſi ac celebres. Neque verò minimi, vti ſunt honorabiles. Neque enim rudes & indocti: nam doctores cunctorum ſunt hominum, in operibus bonis: ipſi autem à proprio edocentur Domino. *Sermo. in Sanctos Patres, qui in pace requieuerunt. Pagina* 769. Ipſi ſibi ſunt ſacerdotes, & noſtros ſuis orationibus morbos ſanant. Nam deprecatores noſtri ſunt perpetuò apud Dominum. *Pag.*771. Obteſtamur igitur vos, ô ſanctiſſimi Martyres, qui pro Domino ſaluatore, eiuſq; amore, ſponte ac promptè atrociſſima tormenta ſubiiſtis, quamobrem etiam familiarius iam ei coniuncti eſtis, vt pro nobis miſeris peccatoribus, Dominum deprecemini, vt

diuinam suam in nos infundat gratiam, quæ corda nostra sanctæ charitatis radio iugiter illustret atque illuminet, quo ipsum toto corde, totaque mente diligere valeamus. *In laudem omnium martyrum. Pagina, 746.* Martyres mortui, tanquam viui operantur, ægrotos sanant, dæmones expellunt, omnemq; tyrannidis nequitiam virtute Christi in fugam agunt. Semper enim sanctis reliquijs gratia adest Spiritus sancti, quæ cuncta in eis miracula edit, quoniam viriliter Christum coram hominibus in magna patientia confessi sunt. *Orat. in omnes sanctos Martyres. Pag. 740. 741.* Quando in Iudaismo moriebantur homines, polluta censebantur cadauera; at nunc si qui mortem Christi causa oppetit, preciosæ sanè sūt eius reliquiæ. Ille qui ossa martyris contingit quandā sanctificationis communicationem assumere creditur. Pretiosa etenim est coram Domino, mors Sanctorum eius. *Oratione de morte. Pagina 204.*

NOTÆ.

Ossa beati Ioseph ex Ægypto studiose asportauit totus Israel: corpus Moysis sepelierunt Angeli: Ossa Elisæi miraculis sunt nobilitata: Sancti cuiusdam Prophetæ corpus Iosias inuiolatum manere voluit: quæ omnia ad reliquiarum honorem attinet. Probatur quoque in sacris, studium eorum qui certatim ad mirificam vmbram B. Petri currebant, neque superstitiosi habiti sunt, qui à Pauli sudariis & semicinctiis salutem corporum & animorum petierunt, & consequuti sunt. Nonne & vestis, & saliua, & sputum Christi multis profuerunt? Sed quia

causam istam aduersus Vigilantij, & sequacium errores, fortiter feliciterque perorauit B. Hieronymus, ad sequens caput transeundum.

CAP. QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Imagines sanctorum vtiles & venerandæ.



Vi exemplis indigent, quibus ad imitandam virtutem excitentur, sit exempli loco tale: Qui secundum mundum strenuos se præbent bellis, imagines sumunt, in parietibus & tabulis belli historiam describentes: vt quomodo hi quidem sagittis feriant, alij vulnera infligant, &c. Atque hæc agunt ad æmulationem posterorum, & commemorationem eorum, qui rem fortiter gesserunt. Alij verò Sanctorum quoque certamina in domesticis oratoriis ad imitationem ignauorum cordium, & oblectationem spectatorum depingunt. &c. *Epist. ad Jo. Monachum.* Pag. 273. Ille autem (Isaac filius Abrahæ,) vsque ad mortem Patri se obedientē præbuit morte peius esse sciens tristitiā atq; mortē inferre. Deinde, Abrahā filio vincto, nō obtorpescit ei manus, non obstupescit ei mēs, Quotiescunque sanè pueri istius contemplatus sum imaginem, nunquā sine lacrymis præ-

terire potui; præsertim dum efficax picturæ artificium demulceret animum, & perspicuam huic historiæ afferat cognitionem. Iuxta altare procumbebat Isaac, coram patre in genua prouolut⁹, ac manus retro circumactas habēs: Abraham interim à tergo genu curuaturam calcante: deinde, vna manu comam pueri ad sese retorquens, intuetur ipsum, aspicitque faciem Isaac in eum miserabiliter respicientis, ictumque iam expectantis. Armatam autem gladio habens dexteram, intentat necem, corpus contingit, & iam gutturi acies gladij imminebat, ensemque in sua ipsius adigit viscera. Porro tunc diuinitus audita est vox, quæ impetum retinebat. *In Abraham & Isaac. Pag. 627.*

NOTÆ.

ET huius imaginis meminit beatus Augustinus lib. 22. contra Faustum, c. 73. simulque Christi Iesu & apostolorum eius Petri *&* Pauli *icones palam extitisse testatur. Ante hos Tertullianus de* Pud. *Christum imagine pastoris in sacris calicibus depictum fuisse docet. Ac vt innumeros alios* Patres *omittam, Irenæus martyr, Iustinus martyr, Ignatius martyr, de crucis atque in eo crucifixi figura eleganter philosophantur.*

L. 1. de consensu euangelist. c. 10.

CAP. QVADRAGESIMVM QVINTVM.

Sanctæ crucis imaginem signumq;

fugit diabolus: deſtruet verò & auferet illud Antichriſtus.



Vidam filium valde paruum habebat, & hunc tanquam inobediẽtem, in ſacrificium Dæmoni propter ſuam auaritiam offerre non verebatur. Verùm diuino auxilio aſſumptus præſeruatuſque eſt puer. Cùm enim deduxiſſet eum miſer homo in quemdam ſubterraneum locum, vbi multum auri putabatur reconditum ab iis qui ſacra ſepulchra parabant: Dæmon conſpecto crucis ſigno, quo puer amictus & conſignatus erat, non eſt auſus ei nocere. Puer igitur admirabiliter liberatus atque conſeruatus eſt. *Ser. de ſancto Juliano anachoreta. Pag. 762.* Dabit ſignum ſuum Antichriſtus, nõ quidem promiſcuè pro quolibet corporis mẽbro, ne hoc graue ſit atque moleſtum ſuis: ſed in dextram manum, ac frontem inſculpturus eſt homini caracterem hunc ſuum impium, ne ſcilicet facultas ſit homini dextera ſe ſignãdi ſigno Chriſti ſaluatoris noſtri: neque rurſus in fronte vllatenus tremendum ſanctumque Domini nomen imprimere queat, neque etiã glorioſam atque formidabilem Saluatoris crucem inſculpere. Nouit quippe infœlix ille per impreſſionem Crucis Domini poteſtatem ſibi omnem ademptam iri. Quamobrem ſignat hominis dexteram, quod ea ſcilicet, cuncta noſtra membra ſignemus, ſimiliterque fron-


tem, quòd illa candelabri in modum lucernã lucis, hoc est signum Saluatoris nostri, in altum præferat. *L. de Antichristo. Pagina. 221.*

NOTÆ.

SAnctissimæ crucis consignationem in prima ætate Ecclesiæ catholicæ fraquentissimam fuisse, verbis istis docet Tertullianus: Ad omnem progressum, atque promotum, ad ominem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauachra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia; quæcunque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Hoc signo vniuersa Christianorum sacramenta perfici docent SS. Dionysius & Chrysostomus. Beati martyris Cypriani ista verba sunt: Gloriamur in Cruce Domini, cuius virtus omnia peragit Sacramenta, sine quo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omniũ sanctificationum exurgit sublimitas & profundũ, & longè lateque plenitudo diffunditur gratiarum. Serm. de Baptismo Christi.

CAP. QVADRAGESIMVM SEXTVM.

Crucis signum olim in cælo fulgebit: in frontibus autem est nobis consignandum.


Æc (crucis figura) in ſecundo aduentu Domini, prima aparitura eſt in cælo, tanquam pretioſum ac venerabile ſceptrũ Regis Chriſti, iuxta verbum Domini dicentis: Ecce apparebit ſignum filij hominis in cælo, cum multitudine exercitus Angelorum, vniuerſam illuminans, à finibus vſque ad fines, ſuper claritatem ſolis, aduentumque Domini adnuntians. *Ser. de his, quæ post crucem reuelanda ſunt. Pag.*228. In fronte tua perpetuò impreſſam habeto crucem Chriſti Monache, & in corde tuo timor Dei ſemper ſit, Chriſti pugil. *Paræneſi.* 1. *Pag.* 337. Crucem fronti impreſſam tenentes ſpectaculum diabolo tremendum habebitis, honorantes iuſtitiam, caſtimoniamque ſeruantes, iam incolæ paradiſi euaſiſtis. *Paræneſi.* 2. Vice ſcuti, crucis ſigno teipſo muni, ſignans eo membra tua omnia, & cor tuũ. Neque verò ſola manu te ſignes ſed etiam animo: & ſtudia tua, & ingreſſũ tuum, & exitum tuum, in omni tempore, ſeſſionem quoque tuam, & reſurrectionem tuam & lectulum tuum, & quæcunque pertranſis, ſigna primum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *L. de armatura ſpiritali.* Pag. 481. Sicut Ioſeph palam dixit fratribus pudore ſuffundens eos: Ego ſum Ioſeph quem vendidiſtis: ita quoque Dominus noſter crucem ſuam in forma ſplendẽte oſtendet crucifixoribus ſuis: agnoſcentque ipſam crucem, & Filium Dei à ſe crucifixum. *Lib. de laudibus Ioſeph.* Pag. 633.

Crux dominatur, quam omnes adorant gentes, populi, tribus, & linguæ, in qua cum beato gloriemur Paulo dicente: Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Depingamus & insculpamus in ianuis nostris, in frontibus, & oculis, & in ore, ac pectore, & in omnibus membris nostris viuificum hoc signum. Hac ornemur, atque armemur inuincibili Christianorum armatura, quippe quæ victrix est mortis, spes mundi, lux finium orbis terræ, reseratrix paradisi, propulsatrix hæresum, firmamentum orthodoxæ fidei, &c. *L. de sanctissima cruce. Pag.* 700.

NOTÆ.

EAndem sententiam de crucis in Iudicio apparitione comprobant Hippolytus martyr, Orat. de consum. sæculi: Cyrill. Ierosol. Catech. illumina. Chrysost. hom. 55. & 77. in Matth. August. Theophil. Damascenus, &c. adeo vt prodigiosum sit, Hugnosticos ab hoc signo abhorrere.

CAP. QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

Ignis quidam est purgatorius, quo animæ quædam expiantur, in altero sæculo.

IMmundus verè apud Dominum, omnis qui elato eſt corde. An non cõſideras illum, per quẽ tranſibimus ignem? Quando igitur pertranſeuntes eum, mundi deprehenſi fuerimus & irreprehenſibiles; tũc cognoſcemus nos ipſi quales ſumus. Dies enim Domini vniuſcuiuſque opus declarabit, ſicut ſcriptũ eſt, quia in igne reuelabitur. Rogemus ergo cum multa humilitate Dominum, vt à futuro nos timore eripiat, raptuque illo nos dignetur, quando iuſti rapientur in nubibus obuiam Chriſto in aëra. *Ser. ad euerſionem ſuperbiæ.* P*ag.* 91. Infertur (pio viro) iniuria & cruciatus? paſſiones Saluatoris cogitat. Contingit ſuperbia? Recordatur quòd per ignem tranſiturus ſit. Iſta gratiarum ſunt dona, rectè ſeruientibus Domino conceſſa, & quæcunque ſanctos. *Paræneſi* 49. P*ag.* 441. Strenuè reſipiſce, qui peccaſti: vt remiſſionem conſequaris. Verè dicit Paulus, quòd qui ſuperædificat ſuper fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam, detrimentum patietur. Et non ſolùm de prædicatione hæc ait Paulus: ſed etiam de actionibus: neque ſolùm de doctrina, verum etiam de pœnitentia. Si quis non firmiter pœnitentiam egerit, ſtipula eſt. Si quis non firmiter ad pœnitentiã acceſſerit, lignum exiſtit: & non ſolùm abiicitur talis: ſed etiam in igne comburetur. *L. de pœnitentia.* P*ag.* 570.

1. Cor. 3. — *Theſſ. 4.* — *1. Cor. 3.*

NOTÆ.

NOTÆ.

DE purgatario longè lateque, tribus libris, aduersus Hugnosticos disseruimus in Teomach. & Scripturarum vtriusq; Testamenti, & vniuersi orbis Patrum tam Hebræorum, Græcorum, Latinorum testimoniis, adeoque totius mundi consensione comprobauimus, vt hic actum agere non sit necesse. Tantùm obseruo, & hunc beatiss. Patres *locum B. Pauli, de operibus etiam interpretari, non de sola doctrina examinanda: deinde, & de vero igne cum Latinis Patribus, intelligere ac exponere, aduersus quorundam Græcorum opinationes.*

CAP. QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

Orandum est pro requie fidelium defunctorum.

NVnc volo, Fratres mei, commonefacere & adhortari vos, firmiterque constabilire, vt post meum exitum ac transitum, assiduè memoriam in vestris precibus faciatis. Accedentes nunc, claudite mihi oculos, & manus vestras super eos imponite. *Testamento.* Pag. 785. Accedentes, Fratres mei, pacem in fine præbete mihi, & dimittite me quoniam deficiens abeo, atq; è vita recedo. Reminiscamini autem mei vilis

&abiecti, in ſanctis veſtris precibus, cunctiſq; deprecationibus: nam in vanitate & peccatis vitam meam tranſegi. *Pagina.* 786. Oro vos ne cum aromatibus me ſepeliatis. At date vaporationem fumi boni odoris in domo Domini, & me orationibus potius veſtris comitamini, & aromata Deo offerte: ne verò fletibus ſepelite in doloribus conceptum. Veſtris me orationibus atque deprecationibus adiuuate obſecro, ſemper mei in ipſis memoriam faciẽtes. *Pag.* 789. Accedite igitur ad me Fratres, nam ſpiritus meus penitus defecit. Comitamini me in Pſalmis atq; orationibus veſtris, & aſſiduè pro mea paruitate, oblationes facere dignemini. Et quando diem trigeſimum compleuero, mei memoriam faciatis. Mortui in precationibus atq; oblationibus, commemorationis ſanctorum viuentium beneficio afficiuntur, &c. *Ibi, Pagina.* 790.

NOTÆ.

EN quanto ardore, affectuque cupit, poſt mortem precibus & oblationibus adiuuari. Eccleſia namque catholica vnum corpus eſt, cuius caput Chriſtus: membra verò vniuerſi veri Chriſtiani ſiue hîc ſiue in cælis, ſiue in purgationis loco degant. Omnes enim vnum corpus ſumus in Chriſto, alterius membra. Pro ſe autem inuicem ſollicita ſunt membra. Ergo colligati ſunt nobiſcum pij defuncti. Neque enim (ait beatus Auguſtinus) piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur, quæ eſt regnum Chriſti. Ergo, qui hîc adhuc vitam agunt, auxilia-

1. Cor. 12. Rom. 12.

L. 20. ciuit. Dei. c. 9.

ri tenentur fratribus defunctis, velut confratribus, concimbus, & membris eiusdem corporis. Ad hæc, Christus caput nostrum, orans, ieiunans, plorans, docens, offerens, & moriens, non tantùm profuit, illo tempore viuentibus: sed & cunctis antea defunctis patribus: & nobis qui necdum eramus: ergo decet vt & nos similia præstemus pro virili fratribus.

CAP. QVADRAGESIMVM NONVM.

Antichristus in fine sæculi venturus, homo singularis, crudelis, hostis erit Christi & vniuersæ Ecclesiæ illius.

VErba in doloribus facturus sum, de impudentissimo ac sęuissimo dracone Antichristo, qui turbaturus adueniet omnem sub cælo regionem, timorem atque pusillanimitatem, grauemque perfidiam cunctorum simul hominum pectoribus iniiciens, prodigia quoq; ac signa, terroresque portendens, vt si fieri posset, in errorem etiam ipsos induceret Dei electos, omnesque decepturus in falsis ac mendacibus signis, prodigiorumque imaginationibus, quæ ab illo fient. Quã-

do ſeipſum vt deum oſtentabit, formidabilibus portentis per aëra volitans, cunctique dæmones in forma angelorum, cum timore coram Tyranno in aëre ſublimes volitare conſpicientur. Clamabit enim cum fortitudine, etiã formas immutans ad immenſum terrorẽ cunctis incutiendum hominibus. &c. Aſſumpta poteſtate, tunc impudentiſſimus ille, dæmonas ablegabit ad vniuerſos terræ fines, qui magnũ iam Regem cum gloria apparuiſſe, omneſque ad occurrendum ei viſendumque ipſius decorem inuitent. Quàm atrox, infeſtuſque futurus eſt Sanctis Dei hominibus, qui portenta hæc eius fallacia videre ac vincere poterunt. Erunt enim, erunt tunc plurimi, qui Deo grati placitique reperientur in montibus ac collibus lociſque deſertis, in multis orationibus, planctuque immenſo ſaluandi. *Ser. de Antichriſto*. P*ag*. 219. 220. Exiſtimabit miſer ſe hora illa tremenda reſiſtere poſſe, quando ad iudicium venerit Dominus, ignorans interim impius ſuam ipſius imbecillitatem atque ſuperbiam, obque & ipſe corruet. *Ibidem*. Apoſtata naſcetur ex ſpurciſſima & ſalaciſſima muliere. Atque iſto habitu amictus veniet vt fur vt decipere poſſit. *Pag*. 222. Lugebit terra ac mare, quia vox Pſalmi & orationis repente ceſſabit de ore hominum. Lugebunt Eccleſiæ Chriſti vniuerſæ luctu maximo, eò quòd amplius Deo non offeratur Diuina oblatio & ſanctificatio, ſanctumq; ſacerdotum iam ceſſet miniſteriũ. Poſtquam verò tria tempora cum ſemi imple-

ta fuerint potestatis& operationis Antichristi, tunc veniet Dominus de cælo sicut fulgur coruscans, &c. *Ibidem. Pag.* 225.

NOTÆ.

Habemus hîc Antichristum, omnibus modis descriptum hominem singularem; non sedem, non regnum, non thronum, non plurimos sibi succedentes inuicē: vt impiè contendunt Hugnostici. Huiusmodi forma etiam à Christo traditur dicente: Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis: quæ verba non nisi vnum pseudomessiam, tyrannum & impostorem significant, quemadmodum Chrysostomus, Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, *& ante hos omnes martyr Iræneus diligenter obseruant. Deinde,* Paulus *velut de vno loquens ait, Reuelabitur homo peccati, filius perditionis, &c. ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. An non ergo singularis persona? Daniel quoque de illo vaticinatur vt de singulari quodam rege ac sæuissimo Tyranno, qui tres Reges mundi tollet de medio, reliquos sibi subiiciet: tribus autem annis cum dimidio crudelissimam exercebit contra pios omnes tyrannidem. Cum beato Ephræm porro sentiunt omnes tam Græci quàm Latini Patres, Iræneus, Cyrillus Ierosolimitanus, Chrysostomus, Theodoretus, Epiphanius, Hippolytus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius. Nos in alio scripto de re eadem copiosè egimus aduersus Hugnosticorum errores. Appendi-*

Io. 5.

2. Thesal. 2.

Cap. 7. 11. & 12.

Notæ Magiſtri Feuardentij,

ce ad libros Alphonſi de caſtro Zamorenſi aduerſus hæreſes.

CAP. QVINQVAGESIMVM.

Reſurgent vniuerſi filij Adæ, vt ſtent ante tribunal Chriſti in iiſdem numero corporibus.



Vm Ethnicis ſentis & dicis, Mortuorum reſurrectionē non eſſe? O os abhominandum, & Deo inimicum, per quod Diabolus loquitur mendax, & mēdacij auctor. O os mendax, aut verius ſepulchrum patens, ex maligno theſauro cordis, malignum afferens ac dicens, quòd reſurrectio mortuorum non ſit. Quomodo non tremuiſti hoc tuum indoctum os aperire, & contumeliis Chriſtum afficere primogenitum mortuorum? Quomodo non dehiſcit terra, & abſorbet te viuum? Quomodo non percuſſit te Angelus, qui reſurrectionem prædicauit, dixitque mulieribus, quia ſurrrexit Chriſtus ex mortuis primitiæ dormientium? Vbi ſtatuemus? Cum gentilibus, aut cum Chriſtianis? Quem te appellabimus, Paganum, an Chriſtianum? Sed abſit à me, te ſic

Io. 8. Pſ. 5. Rom. 3.

Rom. 8. 1. Cor. 15. Math. 28. Apoc. 1.

ſentientem, Chriſtianum nuncupare. Qui enim ſic ſentiunt, Chriſtiani dici non debent. Quem te appellem, Sadducæumne, an Iudæum, & Samaritanum? *Tract. aduerſ. eos qui dicunt reſurrect. non eſſe. Pag.* 214. Quàm multi in terris dominati ſunt poſt orbem conditum, & omnes in puluere dormiunt: & nulla apparet differentia oſſium regalium, ab oſſibus captiui? Verùm cuncti ſub terræ cumulo dormiunt, donec ſancta reſonet tuba; ſuſcitans eos qui à ſæculo ſunt mortui, vt referat vnuſquiſq; quæ in corpore ſuo geſſit, ſiue bona ſiue mala. Res mira fratres, ſpectare repente ſepulchra aperta ad ſonum tubæ, & mortuos reſuſcitatos vniuerſos, qui defuncti ſunt ab Adam vſque ad horam illam. *&c.* Audientes autem de mortuorum reſurrectione, non diffidamus; omnia enim ſunt poſſibilia Deo, impoſſibile autem apud eum nihil. *Ser. de reſurrectione. Pagina.* 210. Eſt vna reſurrectio ſub eodem tempore conſtituta, quemadmodum Paulus ait: Canet tuba, & omnes mortui reſurgent incorrupti. Et iterum ait: Dominus in iuſſione & in voce Archangeli deſcendet, & in ſono tubæ. *Ser. de pœnitentia.* Pag. 577.

1. *Cor.* 16.

1. *Theſſ.* 4.

NOTÆ.

INter Epiſtolas Ioannis Caluini à Geneuanis typographis etiam ſuaſore & correctore Beza, ſecundo excuſas & euulgatas, vna extat ad Guilielmum Farellum, qua non rectè ſentire ſe ſe declarat

de Resurrectione corporum. Farellus autem plurima producit & inculcat, quibus lapsum illum erigat atque sustentet. An verò Caluinus his acquieuerit, & melius senserit, hominis superbia & arrogantia me tenet ancipitem atque dubium: & idcirco istud è sanctissimo patre caput ad cer visum est operapretium. Hoc namque videmus non pro Christianis huiusmodi errones habendos esse, sed pro Sadducæis, Iudæis, atque Samaritanis. Iob autem ante omnem legem, eadem numero resuscitanda esse constanter credidit & prædicauit dicens: Rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Saluatorem meum. Quem visurus sum, ego ipse, &

Iob. 19. *non alius. Et Paulus proprium corpus ostentans ait: Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Accedit quod & Adolescens ad portam Naim, &*


1. Cor. 15. *puella Iayri, & Lazarus, imò Christus, non in aliens corporibus, sed propriis verè surrexerunt.*

Luc. 7. *&c. Non dubitandum ergo quin in iisdem resusci-*

Io. 11. *tandi simus corporibus.*

CAP. QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Christus personaliter venturus est Iudex viuorum & mortuorum.


Vba vehementem ac formidabilem sonum emittet, cunctosque ab initio sæculi defunctos excitans. In qua ad vocem & nutum Iudicis, abdita inferni redduntur vacua. In qua Christus in nubibus cum sanctis Angelis aduenit, iudicaturus viuos & mortuos, redditurusque omnibus secundum ipsorum opera. Verè enim formidabilis est gloriosus Christi aduentus. *Serm. de iudicio & retributione.* Pagina. 231. In horribili illa die Iudicij, quæcunque in occulto hîc gesserint homines siue bona siue mala, palam ibi proferent: & deferet secum vnusquisque ante tremendum Christi tribunal, proprias actiones tanquam fructus bonos. *Sermo de extremo iudicio & compunctione.* Pagina 234. Accedite & percipite vocem Saluatoris nostri. Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum cælorum. Nullus vestrum parata illa hæreditate frustretur. Descendit ad nos, & propter nos factus est nobis. Iam veniet cum gloria benedicti Patris sui, vt iudicet viuos & mortuos. *Sermo. de secundò Domini aduentu.* Pagina. 239. Supplico tibi Domine Iesu Christe, fili Dei viui, vt dones mihi, & omnibus, qui te deligunt, vt cum gloria te videamus in regno tuo, illudque hæreditate percipiamus, cùm iis qui desiderant & diligunt te, Domine Iesu Christe. *Ibi Pag.* 240.

Mar 16.
Matth. 25. & 26.
Act. 1.

NOTÆ.

L.51.c.13. *CONuicimus Caluinianos in Theomachia, negare Christum perſonaliter venturum eſſe ad iudicandum viuos & mortuos ex proprijs ipſorum verbis ac ſcriptis. Sed eadem opera euicimus eoſdem turpiter aberrare aduerſus Christianæ fidei Symbola: quibus profiteri iubemur de eodem: Venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Item, ex Euangelio, in quo Chriſtus ſic diſertè loquitur: Pater non iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit Filio. Dedit ei poteſtatem iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Et rurſum: Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſua, &c. Videbitis Filium hominis venientem in nubibus, cum poteſtate ſua, &c. Et Angeli idem Apoſtolis nunciant: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, &c. Et* Petrus *ait, Hic conſtitutus eſt à* Patre *Iudex viuorum & mortuorum. &c.*

Io. 5. Matth. 25. & 27. Dan. 7. Act. 1. & 10.

CAP. QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

Chriſtus beneficia ſua, & reprobis omnia propria ſcelera exprobrabit.

CHriſtus patienter nos expectat, & omnes nos ad ſuum regnum inuitat, rationem etiam à nobis de tanta vitæ noſtræ negligentia exquiſiturus. Et dicet ad nos ipſe,

Propter vos incarnatus sum: propter vos in terris palam conuersatus sum: propter vos flagellatus sum, consputus sum: alapis cæsus sum: crucifixus sum: exaltatus sum in ligno. Propter vos terrenos, aceto potatus sum, vt vos sanctos atque cælestes redderem. Regnum meum, & Paradisum donaui vobis. Omnes vos, meos vocaui fratres. Patri meo vos obtuli. Spiritum sanctum misi vobis. Quid vos propter me Dominum vestrum perpessi estis? &c. *Sermo. de extremo iudicio & Compunctione. Pag. 234.*

NOTÆ.

Istud in Euangelio palam continetur, vbi Christus proprio ore Reprobis improperat: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi bibere. Nudus fui, infirmus, in carcere, &c. Serue nequam, nonne omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, &c. Ex ore tuo, te iudico, &c. Nonne oportuit te pecuniam meam dare ad vsuram, &c. Hoc idem rursus tractat & asserit Author libro de charitate & iudicio, & libro de Angustia animæ. Tradiderat & latius explicauerat ista ante illum, beatus Hippolytus martyr, Oratione de Antichristo, & consummatione sæculi, nimirum quod Christus probro dabit illis beneficia creationis ad imaginem & similitudinem suam, vsus rationis, animæ immortalis, Angelorum ad custodiam, elementorum ad vsum, Legis, Prophetarum *& Apostolorum ad doctrinam, & quod pro eisdem fuerit incarnatus, mortuus, crucifixus: quod vocauerit & expectauerit ad pœnitentiam, instituerit multa & saluberri-*

Matth. 25.

Matth. 18.

ma ſacramenta, quòd plurimis eos ad ſe pellexerit
Iſa. 5. *beneficiis, flagellis monuerit. & cetera. Quid potui facere vineæ meæ, & non feci? & cetera. Quæ vniuerſa, militant aduerſus impiam ſecuritatem, quam Caluinus & Beza nituntur in animos inducere peccatorum, autumantes, Non eſſe timendum vt peccata noſtra veniant in memoriam coram Domino, vt exprobret illa. & cetera.*

CAP. QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

Judicium poſtremum multis modis terribile, timendum, atque meditandum.



NOſtrum erit ad inſtitutum reuerti, & de pœnitentia, ac futuro iudicio ſermonem proſequi: iſta ſiquidem in omni tempore ſunt meditanda. Quia dies Domini ſi-
1.Theſſ. 5. 2.Petri. 3. cut fur in nocte, ita veniet. Propterea dies noctesq; in vltimam illam horam, mentis aciem
Pſal. 1. intende, & in lege Domini die ac nocte. *Encomio in Pſalmos. Pag.* 13. Gloria Chriſtianorum eſt, ſemper meminiſſe Dei, magnique diei iudicij. *Tractatu de amore pauperum. Pagina.* 16. In memoriam mihi venit terribilis ille

Christi aduentus, vnde contremuerunt omnia ossa mea,corporeque simul & anima totus exhorrui, atque sic concussus & perturbatus,magno cum dolore cordis flere cœpi,& ingemiscendo dixi: Quomodo ego peccator,in illa hora terribili ac formidanda inueniar? *Serm. 1.de compunctione.* Pag.133. Quando magnum illum atque horribilem audiemus clamorē ex altitudine cęlorum personantem: Ecce sponsus venit. Ecce Iudex adest, vt iudicet viuos & mortuos. Tunc à voce clamoris contremiscent fundementa & renes terræ,à finibus vsq; ad fines,& mare,& omnes abyssi. Tunc fratres mei,angustia,& timor,stuporq; in omnem irruet hominem à clangore atq;resonantia tubarum,& à metu expectationis eorum quę superueniet vniuerso orbi. Tūc virtutes mouebuntur cælorum.*Tractatu de his, quæ post crucem.Pag.*229. *Matth. 25.* *Luc. 21.*

NOTÆ.

ET hæc Hugnosticorum impietates damnant,quibus iniquos adulantur, & omnia scelera nutriunt & adaugent,dicentes; Futurum vniuersale iudicium nulla ratione timendum esse fidelibus. Quorsum verò clamaret Præcursor:*Quis vos docebit fugere à ventura ira? Iam securis ad radicem posita est? Facite fructus dignos pœnitentiæ? Aut Christus ipse:Timete eum, qui potest corpus & animam mittere in gehennam? A Prophetis quoque dies illius,vocaretur terribilis,horribilis, & amarus valde? A Dauide, viro secundum cor Domini, diceretur,A iudiciis tuis timui? A Paulo: Castigo cor-* *Luc 3. Matth. 3. Matth.10.*

pus meum, ne reprobus efficiar? Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis? Sapientius longe, B. Hieronymus in deſertũ locum ſeceßit, & duriβimis flagellis corpus domabat, ob gehennæ metum. Et magnũ Auguſtinum adhuc Manichæum, reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, metus mortis, & futuri iudicij. l. 6. Confeſſ. c. 16.

Epiſt. ad Euſtoch.

CAP. QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Paradiſi locus certus ac definitus eſt & huius immenſa gloria.

EST intellectualis & ſpiritalis Paradiſus, eternæ fruitionis locus. Non enim conſummabitur Paradiſus ille. Nam in eo manent quæ non agitantur. Quoniam videlicet, ſic cæli noui in corruptione explicantur, & terra noua æternæ conſtitutioni atque beatitudini adaptatur. *Ser. de pœnitentia. Pagina* 576. Paradiſus regio eſt quietis Sanctorum, quemadmodum & Dominus ait in Euangelio. Quomodo ergo Iuſti relicto Paradiſo, in terra conuiuiis indulgebunt ? Saluator primùm dixit, Conſummationem fore, & ſic deinde reſurrectionem. *Ibidem.* Quando terra ſuos iuſſa erit educere mortuos, ſu-

Apoc. 22.

bito germinant pullulantque, velut lilia efflorescentia. Et tunc Dominus pro magnis eorum laboribus, quos amore Christi pertulerunt, vitam æternam eis largietur: & pro capillis ipsorum, coronam nexus atque ornamenti honorifici. *&c.* Pro terræ cauernis, in quibus ipsi habitarunt magnum eis Christus Paradisum tribuit. Nequeo oratione consequi atque declarare magnam lætitiam, in quam intrabunt cuncti Sancti, qui in hoc sæculo voluntariè afflicti, nefariis ac turpibus passionibus fortiter restiterunt. *Sermo. in sanctos Patres, qui eo tempore quieuerunt. Pagina.* 772. Ibi cuncta sunt pacifica atque tranquilla, cuncta lucida & spectabilia, vbi nullus tyrannus, nullum peccatum. Vbi lux inaccessibilis, gaudiam ineffabile, in quo nec labor, nec lacrymę, nec cura, nec sollicitudo, nec planctus. Vita est immortalis, & bonum inexplicabile, nulloque nomine exprimendum. &c. *Ser. de locis beatis. Pag.* 20. *&* 21.

NOTÆ.

HÆc Caluinio aduersantur, prohibenti locum imaginari certum ac definitum esse Paradisum: sed neque de hoc disputandum, vti nos designauimus in eius Theomachia. Sed multis secum pugnans locis, idem cũ suo Beza confitetur, quod impie negauit, vt propriis ipsorum verbis euicimus. Nam locum esse in cælis definitum, Christus ipse his, suis verbis fatetur: Vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam

In Harmonia.

L. 8. c. 1.

Io. 14.

& accipiam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Quæ adeò expreſſa verba ſunt, pro noſtra adfirmatione, vt nihil vlterius neceſſum videatur.

CAP. QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

Ibi ſancti mutuo ſe ſe agnoſcunt: & beati Martyres vulnerum ſuorum cicatrices oſtentant.

QVomodo ego arbor infructuoſa cum Iuſtis ac Sãctis illis, qui in vita iuſtitiæ fructum tulerunt, collocari potero? Aut quando ſe mutuo in aula illa cæli cognoſcent iuſti, quid tunc faciam miſer? quis me tunc agnoſcet? Tunc Martyres rurſus ſua oſtendent tormenta, ſuaſque virtutes religioſi viri, Confeſſoreſque. *Sermo. primo de compunctione. Pagina* 133. Putatis fratres quando oſtenſuri ſunt ſancti Dei Martyres vulnera ſuorum verberum, ac cruciatuum, forteſque pietatis athletæ ſuam religionem ac continentiam, patientiam, in quo gloriari poterunt, qui hîc negligenter vitam traduxerunt? *In ſecundum aduentum Domini. Pagina ducenteſima quadrageſima.* Quidnam acturi, quidve dicturi ſumus in die illa, quãdo beatiſſ. illi

illi Martyres, iuxta solium gloriæ astantes vulnerum suorum, atrociumque cruciatuum ac verberum cicatrices, in suis corporibus relucentes, ac Solis spendorem claritate superantes. Nos inquam, quid tunc ostensuri sumus? *Serm. in laudem omnium Martyrum. Pag. 745.*

NOTÆ.

NEquaquam infimus Caluinicæ mentis conscius, ac interpres Danæus, magnum Aurel. Augustinum coarguere non veretur, quòd adfirmet, Sanctos sese agnituros in cælesti gloria. Cùm tamen è contrario pateat, etiam ex inferis, animam impij diuitis, & Lazari, & Abrahæ animas nouisse, in loco consolationis: quem ipse fatetur Paradisum fuisse. Adhac, tres Apostolos, in Christi transfiguratione, Mosem & Heliam sibi fuisse notissimos. Et Tertullianus vir Apostolicorum temporũ dicat: Resurrecturi sumus in spirituale consortium, agnituri tam nosmetipsos, quàm & nostros. Vide August. Epist. B. Orign. & Chrysost. de B. Iob.

In Enchir. Aug. c. 94.

Luc. 16.

Matth. 17.

L. de Monogamia.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

Inferni locus certus & realis est: ibidemque multa sunt receptacula.

INterrogatio. In vnum-ne omnes supplicium sunt abituri (Reprobi): an verò varia tormenta reperiuntur? Responsio. Varia tormentorum esse loca, ex Euã-

gelio legimus. Sunt etenim tenebræ exteriores: vnde liquet & alias eſſe interiores. Gehenna ignis, locus alius: ſtridor dentium, locus proprius. Vermis non dormiens, in alio loco eſt. Stagnum ignis, locus alius: tartarus, locus proprius: ignis inextinguibilis in propria regione eſt. Inferi atque perditio proprijs conſcribuntur terminis: infima terræ, locus alius. Infernus in quem detorquentur peccatores,& profundum inferni,locus ſequior. Hiſce ſuppliciorum locis diſtribuuntur miſeri, quiſque pro peccatorum ſuorum modo, vehementius mitiuſve, ſicut ſcriptum eſt: quia funibus peccatorum ſuorum conſtringitur vnuſquiſque. Atque hoc eſt, quod dicitur: Vapulabit multis, & paucis. Quemadmodum autem ſunt peccatorum differentiæ,ita & tormentorum varietates. *Lib. interrogationum & reſponſ. Pag.* 189.

Prou. 5.
Luc. 12.

NOTÆ.

ISthæc vniuerſa Caluinianorum placitis aduerſantur. Nomina ſiquidem inferni tam Hebraica, quàm Græca, Latina, & Gallica ſic deprauant, vt Infernum nunc vbiq; ſparſum, mox tantùm metaphorium, inde imaginarium, hinc ſpiritale: nullum denique ſupereſſe putetur, præter ſepulchrum, quo conduntur corpora. Epicureiſmus planè, ac atheiſmus, à ſequacibus & miniſtris Caluinianis inſtauratus. Præterea, cùm apertum & certum ſit, Reprobos vnà cum corporibus proprijs in infernum damnatos iri: corpora verò certis ac definitis locis (ex Hereticorum placitis) neceſſariò comprehendi: con-

Theomach. L. 14. c. 1. 2.

sequitur, Infernum non tantùm locum certum, sed & horrendorum locorum amplitudine diffusum iri. Accedit Psaltes signans infernorum alium esse inferiorem, alium superiorem. Hinc Paulus, illum plurali nomine vocans: Inferiores partes terræ: ac inferna: & denique vniuersi Apostoli, decernentes Credendum: Christum descendisse ad Inferos: sicut postea, in Cælos conscendisse. Veterum Patrum testimonia fidemque laudauimus aduersus Theomachiam Caluinicam. l. 14. c. 1.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM.

Inferorum veræ sunt tenebræ, verus ignis, vermis, fletus & stridor dentium: ac æterna supplicia.


AD Sodomam respice, & caminum absq; lignis cerne. Cogita quomodo vxor Lot versa sit in statuam salis, & comminationes ignis admirare. Neque Lot cum filiabus ignis conflagrationem sensit, neque ignis minas vxor effugit. Sic & in iudicio, assumentur iusti vt Lot: iniusti autem relinquentur, vt vxor eius. *Tractatu in illud: Duo in agro, &c. Pag.* 18. In illa flamma quæ peccatores excipiet, nullus

Gen. 19.
Luc. 17.

dabitur refrigerij locus, nullæ ibi erunt fores, nullus exitus, nullus ſplendor, nulluſque illic ventus irrorabit: neque ſi quis magna voce ob flammæ cruciatum exclamauerit, præſto erit qui adiuuet, conſoleturve ipſum. Scriptũ
Iac. 2. eſt enim: Iudicium ſine miſericordia, illi, qui
Iſa. non facit miſericordiam. Non eſt gaudium impijs. In illo autem igne, loco lignorum, impij diuino igne, eoque ſempiterno, comburuntur, & eorum peccata in ipſos exeunt, ac vehementiorem in ipſos flammam accedunt. Quoniam ſcriptum habetur: Ira, & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem animam
Rom. 2. operantis malum. *L. de virginitate. Pagina* 124. Studeamus fructus facere pœnitentiæ, ne à gaudio cæleſti excluſi, emittamur in terram tenebroſam, ac caliginoſam, in terram tenebrarum æternarum. Ingredere in cubiculum tuum, & occlude oſtium cum feneſtris, & ſede intus, aſpicieſque quantum habeant dolorem tenebræ, vbi ſine labore & tormento verſaris. Qualem igitur tibi habere dolorem tenebræ illæ exteriores, vbi clamor ac fletus, & ſtridor dentium? Conſidera intus caminos tui ipſius foci, & attolle oculos verſus ortum Solis, ac cerne differentiam: tenebrarumq; opera fuge. Vitium tenebræ ſunt, virtus verò lumen. *Adhortatione quarta. Pag.* 290. Cogitemus, quomodo ardorem Solis, vehementiamve febris, tolerare nequeamus; & quo pacto inextinguibilem illum ignem pro nihilo ducimus? *Prologo in lib. de virtute. Pagina* 294.

Descende in teipsum Charissime, & ne contemnas iustum iudicem, & inextinguibilem flammam. Quod si paruipendas vel hinc experire, an ignis asperitatem sustinere possis. Lucernam accende, & extremitatem saltem digiti impone, & si ferre queas dolores, fortasse poteris teipsum etiam iuuare. Sin autem totum corpus tuum extra ignem sit, & exigui huius membri dolores perferre nequeas: quid obsecro, faciemus quando totum corpus cum anima in gehennam ignis proijcietur? *Paranesi* 47. *Pag.* 437. Siue in via ambulatis, siue in prandio versamini, siue in vestris cubiculis, semper de futuro iudicio, & aduentu Iudicis solliciti sitis, & adinuicem sic dicite: Qualesnam sunt tenebræ illæ exteriores? qualis est ignis inextinguibilis, & vermis nũquam dormiens? qualisnam stridor dentium? quomodo præcurret fluuius igneus, ac terram expurgabit ab iniquitatibus eius? *Serm. de compunctione animi. Pag.* 596.

Math. 8. *&* 22. *Esa.* 66.

NOTÆ.

ET hîc denique refelluntur Caluiniana ac Bezana metaphora: quibus & locum inferorum, & tenebras, & ignes, & ardores, & cetera tormenta sempiterna illius eludere, extenuare, imò & omnino tollere conantur. Aiunt namque illa duntaxat aut spiritualia, aut metaphorica esse: vt tandem nulla esse reputent impij: sicque peccent & diutius & audacius. Contrà verò, sanctißimus Pracursor monet Iudaos, vt pænitentiam agant, ne instar Zizaniorum, mittantur in ignem inextinguibilem. Chri-

Math. 3.

stus quoque, eum timendum docet, qui potest mittere & corpus & animam in gehennam ignis. Nec eyciantur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentiũ. Quod si Sodomæorum ignis, sulphur, incẽdiumque verum & reale fuit: procul dubio, & Gehennæ erit, non methaphoricum. Adhac, & tenebræ, & ignes, & aliæ immißiones per angelos malos in Ægyptum illatæ, veræ & corporales fuerunt: insuper veros ignes Elias in duos Quinquagenarios detorsit: Nadab & Abiud veris flammis arserunt: veræ tenebræ in paßione Christi contigerunt: Non est ambigendum infernales pœnas veras, stupendas, & horrendas esse. A quibus nos Dominus Deus noster sua pietate & misericordia liberet.

Math. 3. 8. 10. 22.

Psal. 77.

AMEN. AMEN.

EIVSDEM SANCTISSIMI *Patris Ephræm feruens ad Dominum, ex sacris literis petita Oratio; frequenter, à nobis repetenda.*

Pag. 447. Luc. 15. & 18.



Eccaui in cælum, & coram te, Domine, Deus meus, omnipotens, nec iam sum dignus vocari filius tuus, aut in cælum oculos attollere, præ multitudine iniquitatũ mearum: labijs-ve meis impuris gloriosum nomen tuum inuocare. Indignum enim me & cælo, & terra reddidi, quia te Dominum meum benignissimum, ad iracundiam prouocaui. Quæ-

ſo, obteſtorque Domine, ne proijcias me à facie tua, neque recedas à me, ne miſer peream. Niſi enim gratia tua me protexiſſet, iam ego perijſſem, & eſſem iam tanquam puluis ante faciem venti, & in nihilum in hac vita recidiſſem. Ex quo enim viam tuam dereliqui, nullus mihi lætus illuxit dies. Nam qui in peccatis iucundior dies viſus eſt, acerbiſſimorum fuit acerbiſſimus. Cæterùm, gratia tua fretus atque confiſus, ſpero te, robur mihi ac vires præbiturum, vt ſaluti meæ conſulere poſſim. Et nunc ad te confugio, rogans, vt me à ſemita iuſtitiæ deuium, ſuſcipias, & in rectam viam reducas. Effunde in me multitudinem miſerationum tuarum, ſicut olim in filium prodigum effudiſti: quia vitam dedecoraui meam, diſſipatis diuitijs gratiæ tuæ, ipſáque mihi vita verecunda fuit. Miſerere mihi Deus, & ne memineris vitæ meæ, quæ eſt ad extremã redacta vilitatem. Miſerere mei, ſicut olim Peccatricis, & Latronis, & Publicani miſertus es. Illi enim cùm in terra viuerent, ab omnibus ſpernebantur: at, tu illos ſuſcipiens, Paradiſi delitiarum incolas feciſti. Suſcipe igitur, & meam inutilis ſerui tui pœnitentiam. Nam & ego apud cunctos deſpicior, reijciorque. Veniſti enim Domine, non vt iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam vocares. Quia te decet gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 50.

Luc. 15.

Luc. 7. 18. 23.

Luc. 15.

BREVIS ASSERTIO COELIBATVS, ID EST, perpetuæ castitatis sacrorum hominum.

Ad quendam, qui ex Magistratu Baiocensi, post simulatam aliquot annis Catholicam fidem, ad Caluinismum palàm defecit: ac inscriptione ista nequaquam nominari rogauit.



BREVIS ASSERTIO COELIBATVS.

RETVLIT iste in primis grauis, pius, & doctus Adoloscens, te magnopere à me expetere, qui fide digni Authores, ante imperium CAROLI magni, qui Romanis circa annum à Christo 801. præfuit, adseruerint, Sacerdotes ac Episcopos Ecclesiæ, vitam cœlibem & continentem viuere oportere. *Hac* (inquis) *à Diabolo, ipsoque Satana orta & inuecta fuit aliquanto post regnum eius: non à Christo, vel Apostolis, aut Discipulis illorum: sed post* 400. *ab ipsis annos: cuique multa Concilia se se opposuerunt.* Tranquilla quæso paulisper animum, & me placidè Christianeque tecum agentem sustine: & docebo sanctissimos, doctissimos, & antiquissimos Patres, tam Latinos quàm Græcos, seu priuatim in scriptis, seu coactos in Concilijs docuisse, adfirmasse, ac sanxisse sacratorum Deo virorum Cœlibatum, à beatis Apostolis, horumque discipulis, in Ecclesiam Christi emanasse: non ab impuro malignoque, vt ais, spiritu. Ac initio quidem nec abs re, miror, quomodo qui hester-

na die nobiſcum te Catholicum ac pudentem virum fingebas, mox in tam atrocia, ſpurcaque verba, ne blaſphema dicam, erumpis? Nun tam repente in Scholis Caluinianorum diſcitur, Diabolos & Satanas boare ac reboare? Siccine horum mugiunt pulpita, ac reboant ſcholæ, ſyluæque & magnus olympus? Hæccine defecatæ religionis animorum moderatio? Aut Euangelica, apoſtolicave temperantia? Vel, de rebus ignotis tibi, cæcum & temerarium iudicium? Verùm, iſthæc Miniſtris tribuantur: nos rem ipſam proſequamur.

Magnus GREGORIVS plus ducentis annis Carolum imperatorem præceſſit, ſtatuitque: Si quis Presbyter vel Diaconus, vxorem duxerit, anathema ſit. Et alibi: Nullus debet ad miniſterium altaris accedere, niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata. Alio rurſus loco, Andream Tarentinum Epiſcopum, ad agendam pœnitentiam hortatur, quòd concubinam habere diceretur. Alibi denique præcipit Epiſcopis, Ne vllum quidem Subdiaconum ordinent, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit. Huiuſmodi verò continentiæ ac cœlibatus rationes adfert, quòd Prædicationis miniſterium Sacri homines ſumunt: ideoque præcipuo caſtitatis fulgore decorandi ſunt. Manus item, munda eſſe debeat, quæ diluere aliorum ſordes curat. Demum, ſi ſa-

Ad finē lib. Epiſt. 12.

L. 1. Ep. 42.

L. 2. Epiſt. Indict. 9. c. 83.

L. 1. Epiſt. c. 42.

In c 15. Libri 1. Reg.

In c. 16. l. 1. Reg.

crificijs intereſſe non audebant, niſi ſanctificati: ſacrificantes id multomagis decebat. Addit & hæc Diuina præcepta: *Lauamini, mundi eſtote. Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Hæc de Cœlibatu Gregorius: quibus ſatis patet, Petrum Vermilium bene & nauiter impudentem fuiſſe, qui illum in partes ſuas, id eſt, votifragorum & luxurioſorum monachorum, ſacerdotumque, trahere conatus eſt. Exod. 19. 29 10. 1. Reg. 15. 21. Iob. 1. Iſa. 1. & 52.

Gregorium amplius quàm ſæculo vno præceſſit LEO, & ipſe magnus, qui argumento à minori ad maius ducto, deinde & beati Pauli auctoritate nixus, his verbis ſacratorum Deo virorum perpetuam caſtitatem comprobat: Cùm extra Clericorum ordinem conſtitutis, nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem, carnale conceditur Connubium, *vt & qui habent, ſint tanquam non habentes*: & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus à capite eſt, dignum eſt cuſtodiri: quantomagis in primo, aut ſecundo, tertioque ſeruandum eſt? IDEM iterum ait: Lex continentiæ eadem eſt in miniſtris altaris, quæ Epiſcopis ac Presbyteris. Qui cùm eſſent laici, ſiue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad Epiſt. 84. c. 4. 1. Cor. 7. Epiſt. 92.

prædictos peruenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit.

Epist. 1. c. 9. B. INNOCENTIVS primus, tantopere ab Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Basilioque laudatus, ex duplici Scripturæ loco Cœlibatum confirmat dicens: Quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, vt Sacerdotes, & Leuitæ, cum vxoribus suis non coëant: quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scri- *Leu. 20.* ptum est enim: *Sancti estote, quoniam & ego sum sanctus Dominus Deus vester.* Nam si priscis temporibus, de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, &c. quantomagis hi Sacerdotes, vel *Luc. 1.* Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent?

B. AVGVSTINVS ætate superior, Iouinia- *L. de hæresib. c. 82.* num hæreseos damnat, quòd autumaret Episcopis, Sacerdotibus, Monachis, & Monialibus, licitum esse Nuptias contrahere.] Itaque cœlibes illos viuere sentiebat: & hoc ipsum ad fidem catholicam pertinere: quod & *L. adu. Iouinianum.* ante ipsum iudicarat D. Hieronymus. IDEM rursum AVGVSTINVS in secundo Concilio Carthaginensi palam dicebat: Cùm præterito *Cap. 2.* Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, vt condecet sacros Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon

& Leuitas, vel qui Sacramentis Diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quò poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus, ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia contineatur, qui Altario deſeruiunt.] Hucuſque Auguſtinus, cum vniuerſis patribus Africanis, quadringentis plus minus annis ante Carolum magnum.

B. AMBROSIVS, quem ille Patrem ſuum in Chriſto, non ſemel appellat, multis docet Continentiam perpetuam rectè Deo promitti, & voto firmari: votúmque illud fideliter ſeruandum eſſe docet. IDEM, aliquot cauſas adfert, cur oporteat Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, cœlibes eſſe: vt potè, quia neceſſe eſt eos quotidie præſto eſſe in Eccleſia: deinde, continuò vacare orationi, &c. IDEM, idipſum comprobat ex his Apoſtoli verbis: *Dico non nuptis & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic maneant, ſicut & ego*. Item: *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum.*

L. 3. de Virginibus: Exhortat. ad Virg. & in c. 10. Luc.

Com. in c. 3. prioris ad Timoth.

Exhort. ad Virgines.

Com. in 7. c. prioris ad Cor.

B. HIERONYMVS, ætate, doctrina, & pietate æqualis vtrique, probat ex Apoſtolo, voto caſtitatis aſtrictos, ſi nubant, æternam ſibi damnationem accerſere: *eò quòd primam fidem irritam faciant.* IDEM teſtatur, B.

Com. in 44. c. Ezech. Ep. ad Saluinã. 1. Timo. 5.

Petrum dicentem : *Ecce nos reliquimus omnia*, etiam propriam vxorem ; cum reti & nauicula reliquisse. IDEM contendit, eum non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios carnales faciat : alioqui si deprehensus fuerit, non quasi Vir, sed quasi adulter tenebitur. Et addit postea : Si non erunt Episcopi, nisi mariti, ipse Apostolus, Episcopus esse non debuit, qui dixit : *Volo omnes sic esse, sicut ego sum* : Et Ioannes indignus hoc gradu existimabitur, & omnes Virgines, & omnes continentes : quibus quasi pulcherrimis gemmis, Ecclesiæ monile decoratur. Et rursum ; dissoluens quod obijciunt hæretici de mulieribus circunductis, scribit : Hæ vel vxores non fuerunt, sed velut sorores, quæ Apostolis victum ministrabant ; sicut legimus, ipsi Domino factitatum. Aut certè si vxores accipimus, non mulieres, id quod additur, *Sorores*, tollit vxores : & ostendit eas, germanas in spiritu fuisse, non coniuges, Nam & hoc verborum ordo significat. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi, aut sorores mulieres circunducendi?* IDEM iterum alibi : Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui: aut certè post sacerdotium, in æternum pudici. IDEM denique, huiusmodi per rationẽ rem conficit : Si laicis imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coi-

Ep. 34. & lib. adu. Iouin.

Matth. 19.

L. 1. adu. Iouin. c. 19.

1. *Cor. 7.*

L. 1. adu. Iouin. c. 14.

Luc. 8.

1. *Cor. 9.*

Apolog. ad Pammach. c. 8.

Com in Ep. ad Titum.

1. *Cor. 7.*

tu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?

Ab his, qui non paucis sæculis ætatem Caroli magni præcesserunt, ad tempora beatorum Martyrum (si placet) conscendamus. Fortissimus Christi testis, & clarissimus Episcopus CYPRIANVS, Clericorum cum Virginibus dormitiones, censet esse incestus & sacrilegia, quæ Christus graui damnatione puniet.] Quid quæso, de Lutheri, Pellicani, Munsteri, Vermilij, ac similium vocifragorum monachorum, nuptijs pronunciasset? IDEM, integrum Tractatum edidit, De singularitate Clericorum, quo disputationem istam pertractat. IDEM denique scribit: Oportet Sacerdotes & Ministros, qui altari & Sacrificijs deseruiunt, integros, atque immaculatos esse, &c. *Epist. 62.* *Ep. 72.*

Accedat TERTVLLIANVS, vir apostolicorum temporum, & Latinorum Scriptorum vt primus, sic doctissimus. Ille, virginitatem ac continentiam; cunctis nuptijs longè anteponendam esse, fortiter contendit. Ipsum continentiæ Votum plurimus laudat & extollit. Virgines Deo per vota sacratas & dicatas, appellat Sponsas Christi. Votum ab homine, voluntariè oblatum Deo, legem in posterum facere docet. Sacrilegas manus vocat, quæ dicatum Deo habitum detrahunt, & Persecutoribus peiores. Scribit quoque, illas viduas iudicium damnationis, *L. 5. contra Mar. c. 15.* *L. de vell. virg. c. 11. & 16.* *L. de ieiunijs. c. 11.* *L. de vellãd. virg. c. 3.* *L. de Monog. c. 13.*

habere, quæ professæ viduitatem, in ea non
l. 1 ad vxor. c. 3. perseuerant. Alibi rursum scribit, Apostolum quidem permittere nubere, sed abstinentiam præferre. Iterum adfirmat, Apostolum velle
l. de pudicit. c. 16. omnes sibi in continentia adhærere. Contendit rursus, solum Petrum ex Apostolis fuisse maritum, cæteros autem aut spadones, aut continentes. *L. de Monog. c.* 8. Et hactenus satis dilucidè & fusè probauimus testimonijs insignium Ecclesiæ Latinæ Doctorum, multis ante Carolimum imperium sæculis, votum castitatis, Cœlibatumque Sacerdotum per orbem laudatum, probatum, seruatumque fuisse: idque Apostolica traditione, sacrarum Scripturarum authoritate firmata.

Tentemus idipsum & ex Græcis, Orientisque sanctis Patribus efficere, vt vel cuiuis curiosissimo vestigatori fiat satis. OECVMENIVS, qui florente adhuc Græcorum imperio, in oriente viguit, exponens istum beati
1. Tim. 3. Pauli locum: *Vnius vxoris virum*, ait: Non statuit, vt ab vxore pendeat Episcopus, aut vxorem necessariò habeat: sed si fiat ex mundanis, non sit saltem bigamus, ita tamen vt vocatus ad Episcopi munus, illud compleat:
1. Cor. 7. *Qui habent vxores, sint tanquam non habentes.* Quibus & cœlibatum Antistitum comprobat: & communem hæreticorum obiectionem dissoluit.

Epist. ad Palladium Episcop. S. ISIDORVS Pelusiota, qui Carolum annis ferè quadringentis præcessit, scriptum reliquit: Mulierum consortia quantum fieri potest,

potest, fuge. Nam eos qui Sacerdotum munere fungũtur, sanctiores & puriores illis esse oportet, qui ad montes (i. actiuam sæculi vitam) se contulerunt.

S. Io. CHRYSOSTOMVS, ante mille & ducentos annos scribebat: Oportet omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse. IDEM aduersus quorundam calumnias scribit: Qui me quoque cum muliere concubuisse criminantur, Exuite corpus meum, & membrorum meorum mortificationem reperietis. Verùm ad hæc omnia facienda liuore adducti sunt. *Hom. 2. in Iob.* *Epist. 125.*

S. EPIPHANIVS eodem sæculo floruit, & ait: Adhuc liberos gignentem, vnius vxoris virum, Ecclesia non suscipit (ad sacros ordines): sed eum qui se ab vna continuit aut in viduitate vixit Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum: maximè vbi sunt synceri Canones Ecclesiastici. IDEM ad finem totius operis aduersus hæreses, inquit: Sanctum sacerdotium ex virginibus vt plurimum, aut ex solitariis: aut si hi ad ministerium non suffecerint, de his qui à propriis vxoribus continent, & si qui ab initio continens viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi. &c. *Adu. hæres. 59.*

S. GREGORIVS Nyssenus, magni Basilij & carne & spiritu germanus, circa annum à Christo, 370. Librum edidit de Virginitate, in quo ait: Quomodo Dei sacerdotio *Cap. vlt.*

fungeris, qui ad hoc ipsum, vt munus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas, prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est, cur Mosem non audias, qui populo edicit, vt à nuptiis purus sit, quo Dei comprehendat aspectum?

S. CYRILLVS Ierosolimitanus, eadem ætate docebat quemlibet sacris initiatum: Tu in libros Euangelicos inscriptus cùm sis propter institutum Continentiæ, caue ne *Catech. 4.* delearis propter scortationem. IDEM postea: Si qui apud IESVM, bene fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere. Ipse IESVS quomodo ex viro & muliere proditurus esset? *Catech. 12.*

His adhuc antiquior EVSEBIVS Cæsariensis, satis adfirmat perpetuam castitatem decere Sacerdotes, his verbis: Eos qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps à commercio vxoris decet. IDEM rursus refert, etiã inter Hebręos viguisse Cœlibatum, de Essæis scribens: Essæi apud Iudæos religiosi, vxores non ducunt: non quòd matrimonium abhominentur; sed quia mulierum mores cauendos putant. *L. 1. demonstrat. cap. 9.* *L. 9. de præparat. cap. 1.*

Septimus Græcorum locus magno debetur ADAMANTIO ORIGENI, cuius eruditionem, etiam cum nominis inuidia, sibi peroptauit beatus Hieronymus. Ille autem constanter docet: Ante omnia enim *Hom. 4. in Leuitic.*

Sacerdos, qui Diuinis assistit altaribus, castitate debet accingi. IDEM rursum alibi ait: Videtur mihi quod illius, est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se denouerit castitati. & cetera. *Hom. 23. in Numer.*

Agedum, etiam in ipsa sanctissimorum Martyrum, & Apostolicorum virorum tempora, scriptaque, inquiramus, si aliqua reperiantur Ecclesiasticorum ministrorum cœlibatus vestigia. Et Origenis quidem Parentibus pro nomine Christi necatis orti, & aliquot Martyrum præceptoris iam testimonia laudauimus: nunc CLEMENTIS Alexandrini eiusdem Magistri sententiam exaudiamus. Is enim dicit Apostolos ministerio Diuini verbi attendentes, non vxores, sed vt sorores, nonnullas circunduxisse mulieres: quæ vna ministraturæ essent apud ethnicorum fæminas, quæ domos custodiebant: per quas etiam in gynecea, absque vlla reprehensione, mala-ve suspitione, ingredi posset doctrina Domini. *L. 3. stromatôn.* *1. Cor. 9.*

ABDIAS ab Apostolis Episcopus Babyloniæ constitutus, quique aliquot Apostolorum certaminibus adfuit, orationem istam beato Thomæ pro Christo morienti tribuit: Tu Domine, adnunciasti mihi, me tuum esse propter quod nec vxorem accepi, vt totus tibi vacarem, ne templi tui gratiam vel coniugalis copulæ vsus minueret, vel consuetudo *L. 9. certam. Apostolici.*

decerperet.&c.] Quibus ostendit,& Apostolicam beati Thomæ vitam, perpetuò cœlibem fuisse:coniugalem verò, non parum ab integro Dei cultu,ministerioque Apostolico reuocare & impedire.

Epist. ad Philadelphienses.

S. IGNATIVS martyr illustrissimus, & Ioannis, Petrique Apostolorum auditor, subiectis exemplis, verbisque, perpetuam castitatem à sacris hominibus exigit. Sic enim Virgines alloquitur: Vtinam vestro fruar sanctitate, sicut Eliæ, sicut Iesu Naue, sicut Melchisedec, Elisæi, Ieremiæ, Ioannis Baptistæ, dilecti Discipuli, sicut Timothei, Titi, Euodij, Clementis, qui in castitate de vita exierunt.] Hi autem quatuor nouissimi, Episcopi ab Apostolis ordinati sunt: alij verò clarissimi Prophetæ, vel Apostoli: omnes autem perpetuæ castitatis cultores integerrimi fuerunt, plurimis sæculis priusquam in hanc lucem ortus esset Carolus magnus.

L. 6 Constit. c. 17. tral. Turrian.

S. CLEMENS Romanus beati Pauli auditor, & B. Petri successor, huiusmodi Apostolicam de vita cœlibe constitutionem refert: Episcopum,& Presbyterum, & Diaconum ordinari præcipimus,qui sint Monogami,id est, vnius vxoris viri, siue vxores eorum superstites sint, siue non:post ordinationem tamen, si vxores non habent,pręcipimus vt non liceat amplius ducere;aut si antea duxerant, non aliàs in matrimonium accipere.

IDEM rursum hunc Canonem Apostolo-

rum recitat, eundemque referunt atque comprobant Theodorus Balſamon Antiochenus Patriarcha, & Iuo Carnotenſis: Ex his qui cœlibes ad Clerum peruenerunt, iubemus, vt Lectores tantùm & Cantores (ſi velint) nuptias contrahant. &c. Can.25.

Habes itaque, Vir clare & honorate, Viginti ſelectorum Patrum & Doctorum, qui tam in Oriente, quàm in Occidente, & Meridie, tot ſæculis Caroli magni præceſſerunt Imperium, certiſſima, clariſſimaque pro Cœlibatu Sacerdotum teſtimonia. Si in ore duorum vel trium, Chriſto authore, ſtat omne verbum: quantomagis in tot ſanctorum, ſapientum, & antiquorum: cùm præſertim, vt videre potes, ſacris Prophetarum, & Apoſtolorum Scriptis, rationibuſque nitantur? In his etiam percipe, Vota ſeruanda eſſe: ſacrorum Altarium vſum: ſacerdotium ſingulare: Caſtitatis ingens ſtudium: Sacerdotibus creditam peccatorum remiſſionem: corporis denique ac ſanguinis Chriſti indeſinentem oblationem: quæ omnia Caluinicorum miniſtrorum (quibus animæ tuæ ſalutem, tam inconſultè, temere & periculoſè à paucis annis commiſiſti) ſcriptiunculis & conciunculis palam aduerſantur.

DE CONCILIIS.

SEd *multa Concilia* (inquis) *decretis illis ſe ſe expoſuerunt*: quorum nullum citas,

ſed neque vniuerſa Miniſtrorum turba vllum vnquam laudare poterit, œcumenicum ac legitimum, in quo iam Sacris, ordine, aut voto, Deo & dicatis hominibus, conceſſæ fuerint aut probatæ Nuptiæ. Perpende igitur, Vir prudens, & multarum rerum perite, quàm turpiter tibi Melanthon, Vermilius, & ſimilium Miniſtrorum populus imponat. Quoniam verò iſtis indicas, te Conciliorum decreta maximi facere, vt reapſe tanquam reuelatam eis per Spiritum ſanctum veritatem, ſuſpicienda & ſuſcipienda ſunt: age, iam ipſorum ſtatuta tibi exhibeo, Cœlibatum conſtituentia.

Io. 14.

Confeſſ.

CONCILIVM NICAENVM primum, quod vos nominatim amplecti dicitis, disertè canit: Omnibus modis interdicit ſancta Synodus, neque Epiſcopo, neque Preſbytero, neque Diacono, neque vlli Clericorum, omnino licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi fortè mater, aut ſoror, aut auia, aut amita, vel matertera ſit. In his namque perſonis, & harum ſimilibus, omnis quæ ex mulieribus eſt, ſuſpitio declinatur. IDEM ex Arabico: Si Sacerdos vxorem duxit, & adhuc vxor viuit, & cum eo habitat, debet imponi duplex pœnitentia. IDEM ſeruandum eſt de Diacono, qui ſi tertiò ad idem ſcandalum redierit deponatur. &c.

Can. 3. ex Græco tranſlato.

Can. 78.

NEOCAESARIENSE Concilium, anno

à Christo 316. celebratum, edixit: Presbyter si vxorem duxerit, ordine suo moueatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur. Can. 1.

ANCYRANVM, coactum ante annos M. C C. statuit: Diaconos, qui in ipsa ordinatione non protestantur, se velle vxorem habere, non posse post ordinationem eam ducere. Can. 10.

ELIBERTINVM, anno 313. præscripsit: Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur. Cap. 33.

ROMANVM, sub Syluestro congregatum sanciuit: Nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliqua præuaricatione præsumpserit. Cap. 8.

ARELATENSE: anno trecentesimo vigesimoquinto indictum, decreuit: Assumi aliquis ad Sacerdotium non potest in vinculo coniugij constitutus, nisi fuerit promissa conuersio. Cap. 2.

CONSTANTINOPOLITANVM, anno 711. aggregatum in palatio, quod Trullum vocabant, prohibuit, Ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi, post ordinationem suam, vxorem ducant. Si autem hoc fuerint ausi facere, deponan- Can. 6.

Can. 48. tur. IDEM, vxor eius (inquit) qui ad Epiſcopalē dignitatem promotus eſt, communi ſui viri conſenſu prius ſeparata, monaſterium ingrediatur, procul ab Epiſcopi habitatione extructum, &c.

Et ne pergam in immenſum, prætermitto Agathenſe, Turonenſe, Aurelianenſe, Toletanum ſecundum, quartum, quintum, &c. quæ eadem cum ſuperioribus docuerunt, decreuerunt, conſtituerunt. Idque, longè priuſquam Carolus magnus Imperij Romani moderaretur habenas. Inſuper, illis ſæculis, in quibus Caluinus, Beza, Sadeolus, Danæus, veſtræ defecatæ religionis architecti, vltrò confitentur, Nihil adhuc corruptum, nihil immutatum fuiſſe in doctrina Apoſtolica, neque Romæ, neque in alijs per orbem Eccleſiis. An non ergo & Miniſtrorum tuorum cenſuris; & quod maximum eſt, innumerabilium penè Sanctorum Patrum ſacris iudiciis, horribilis in Spiritum ſanctum blaſphemiæ reus permanebis, ſi Satanæ tribuere pergas Sacrorum Deo hominum cœlibatum? Immundo ſpiritui acceptam ferre, vitam puram, caſtam, continentem; quæ præſtantiſſimum Dei donum eſt?

DE LEGIBVS CIVILIBVS.

VErùm, vt ex omni parte tibi veritas illuceſcat, fiatque tua defectio à fide & Eccleſia catholica, ni citò ad eam redeas, inex-

cusabilis, ecce tibi sæculi, Imperatorum, qui multis sæculis ætatem Caroli superarunt, leges & decreta de sacrorum hominum vita cœlibe. HONORIVS & THEODOSIVS. A.A. *C. de Episcopis & Clericis. Lege. Cum qui.* Quicunque igitur cuiuscunque gradus, sacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore censentur, extranearũ sibi mulierum interdicta consortia cognoscãt. Hac tamen iis facultate concessa, vt matres, filias atque germanas, intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil sæui criminis existimari fœdus naturale permittit.

IVSTINIANVS. *C. lib. 1. Tit. 3. de Episcopis & Clericis. N. 43. L. Omnem.* Indecens est Episcopos in suum illas (opes Ecclesiasticas) auferre lucrum, aut in propriam sobolem, & cognatos impendere. Oportet enim Episcopum minimè impeditum esse affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritualem esse patrem.

C. lib. 1. tit. 3. N. 45. Sacris Canonibus, neque Presbyteris, neque Diaconis, aut Subdiaconis, nuptias contrahere post ordinationem, permittentibus: sed solis Psaltis & Lectoribus, id concedentibus, &c. Quemadmodum sacris canonibus prohibita sunt talia: sic & secundum nostras leges, rem ipsam prohiberi.

In Nomocan. tit. 9. cap. 29. Si presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus, nuptias contraxerit, Canonibus tenetor, qui Canones non minus, quàm leges valent, & præterea,

ſacerdotio excidito. Liberi tanquam ex illicitis nuptiis nati, &c.

Authent. Col. 1 tit. 6. cap. 1. Quomodo oporteat. De cætero, nulli permittimus à poſitione Legis vxorem (i. Marito) talem imponi ordinationem, Epiſcop. Preſbyt. Diaconi. Quã legem etiam nunc renouamus: ne forte, ſi præter hoc aliquid fiat, & ipſe cadat ſacerdotio, & ordinantem ſimiliter excludi procuret.

Cap. 5. Si Preſbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, poſtea ducat vxorem, aut concubinam, aut palam, aut occultè, ſacro ſtatim cadat ordine, & deinceps idiota ſit.

Nouellæ 123. c. 14. De Epiſcopis & Clericis. Si poſt ordinationem Preſbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, vxorem duxerit, expellatur à Clero: & Curiæ ciuitatis illius in qua Clericus erat, cum propriis rebus tradatur.

Cap. 29. Preſbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, & omnibus in Clero conſcriptis, non habentibus vxores, ſecundum ſacros Canones, interdicimus etiam nos, ſecundum ſanctarum regularum virtutem, mulierem aliquam in propria domo ſuperinductam habere. Tamen citra matrem, aut ſororem, & alias perſonas, quæ omnem ſuſpitionem effugiunt. &c.

Probationibus iſtis finem imponã his eiuſdem magni Caroli verbis: Statutum eſt ab Epiſcopis, de Preſbyteris qui fœminam indiſcretè ſecum habitare permittunt, & propter hoc malæ ſuſpitionis opinione denotantur, vt

ſi deinceps admoniti, ſe non correxerint, velut contemptores ſacrorum Canonum, canonica inuectione feriantur. De hoc capite egimus Homilia 4. in Lucam.

Atque hæc ſunt, honorate & nobilis Domine, N. quæ mihi plus ſatis eſſe videntur, ad refellendum magnum & impudens Caluini veſtri mendacium ſcribentis, *Omnes patres approbaſſe coniugium in ordine Epiſcopali*. Vides enim è contrario Patres vniuerſos, illud ipſum & priuatim in ſcriptis & in publicis in Conciliis, prohibuiſſe atque damnaſſe. Perſpice etiam, te oro & obſecro, quàm turpiter imponant tibi, Melancthon, Vermilius, Beza, & reliqui Prædicantes, dum proclamant: *In Germania ante annos CD. primum impoſitam fuiſſe Cœlibatus legem Clericis*. Quàm denique à vero aberres ipſe, dicens eam, vel à Satana, vel à Carolo magno, vel ſub imperio eius conſtitutam. Habes enim contraria Scripturæ teſtimonia; habes tot ſanctorum Patrum exempla; habes ſacrorum Conciliorum decreta; habes Legum tuarum aduerſantes conſtitutiones; habes denique diluta Iouiniani, Vigilantij, Vvicleui, ac reliquorum laſciuientium Hæreticorum argumenta. Ad hæc, ſi vel tibi, vel cuiquam alteri ex grege veſtro, reſpondere placuerit, modò ſine vlla animi amarulentia id faciat, placidè & humaniter excipiam. Interim per Domini Dei noſtri timorem pariter & amorē iterū ac ſępius obſecro te, vt hęc pacato & tranquillo animo legas & relegas: perpēdas


Inſtit. l. 4. c. 12. §. 25.

Confeſſ Auguſt. & Apologia.

ſeruo, quàm antiqua & firma ſint omnia Catholica dogmata, tam in hoc capite, de quo à me inquirendum eſſe voluiſti, quàm de aliis omnibus, de quibuscunque inueſtigandum videbitur. Angelicis itaq; verbis te conuenio: *Memento vnde excideris, pœnitentiam age, & prima opera fac.* Nemo ſeruabitur, niſi qui in vera pietate perſeuerauerit vſque in finem. *Qui non crediderit, condemnabitur.*

Apoc. 2. Matth. 10. Mar. 16.

Tuus, in Chriſto obſequentiſſimus.
F. FR. FEVARDENTIVS.



ANTIQVISSIMI, DOCTISSIMI ET SANCTISSIMI Patris Ephræm, Syri, Tractatus, ad quendam sciscitantem, ad quem hoc dictum pertineat: *Melius est nubere, quàm viri?*

1. Cor. 7.

APostolum audi dicentem: *Volo omnes homines esse sicut & meipsum: sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.* Perspicuum scilicet hinc inter sæculares, illosque qui sæculo renuntiarunt, eum fecisse discrimen, cùm diceret: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Etenim neque solutos vetat legitimè matrimonium contrahere, neque eos qui sæculo abdicarunt, à continentię lege liberat, inquiēs: *Vnusquisque proprium donum habet.* Solutis quidem concedit, dicens: Pro*pter fornicationem autem vnusquisque suam vxorē habeat.* Et denuo: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus; fornicatores autem & adulteros iudicabit Dominus.* Cæterum, iis qui sæculo renuntiarunt, præcepit continentiam, dum dicit: *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se*

Heb. 13.


1. Cor. 9.

abstinet. Duo igitur hisce verbis ostenduntur ordines, vti supra dictum est. Quare tu monache, nosce atque considera, in vtro sis ordine constitutus, tum quo signo quave nota sis insignitus, quæ pacta quæque vota cum Deo feceris constituerisq;. Quoniam secundum illa, abs te rationem reposcet, quemadmodum ait Saluator: *Ex ore tuo iudico te, serue nequam*. Sæ-
Luc. 19. cularibus igitur, permisit legitimè matrimonio iungi: at, qui sæculo se abdicarunt, hos continere, & quidem legitimè continere se voluit. Quandoquidem si quosuis verba illa
1. Cor. 7. concernerent: *Melius est nubere, quàm vri*: nemo hanc ipsam virtutem vnquã excoluisset: non Helias Thesbites, non Elisæus, non Ioan-
Matth. 17. nes, non quicunque *se castrauerunt propter regnum cælorum*: sed neque ipse continens fuisset Apostolus, nisi respexisset in retributionem mercedis. Ne igitur dixerimus, sicut nonnulli prætexunt, dicentes: At illi iusti fuerunt, ego verò peccator sum. Iusti siquidem illi euaserunt, quòd iustè sanctèque suam hanc præsentem transegerint vitam. Quid igitur dicemus? An ne quòd iusti illi corporis expertes fuerint? Nonne & illi corpore circumamicti erant? Apostolum audi dicētē: *In carne ambulantes, nō*
2. Cor. 10. *secundum carnem militamus: arma enim militiæ nostræ non carnalia sed potentia Deo, ad destructionem munitionum*. Clarum itaque quòd & ipsi oppugnati sint, tanquam carnem circumferentes, verùm restiterunt strenuè. Vnde rur-
1. Cor. 9. sus Apostolus ait: *Castigo corpus meum, & in-*

ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Manu ducens autem nos ad virtutem, *Imitatores* (inquit) *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Quare attendamus Fratres, ne quãdo noſtram concupiſcentiam implere volumus, in apoſtolicum interdictum culpam reiiciamus, ſermonis iſtius vim non intelligentes, quoniam ſcriptum eſt: *Animæ doloſæ errant in peccatis.* Et rurſus: *Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus, & iuſtus laudabit atque gaudebit.* Quid verò frater, audis, *Melius nubere, quàm vri*: & non audis quod adiungit: *Tempus breue eſt, reliquum eſt vt qui habent vxores, ſint tanquam non habentes: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui habent, tanquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura mundi huius.* Quapropter caue ne ſpreueris illum, qui hanc tibi impertitus eſt gratiam, oſcitanterve audias eum, te per Apoſtolum interpellantem: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyteri*: ne te fortè præuaricatorem conſtituas, rurſus ædificans quæ deſtruxiſti. Sed redde Domino vota tua, quoniam ſcriptum eſt: *Melius erat te non vouere, quàm cùm voueris non reddere.* Contende igitur & elabora, vt curſum tuum legitimè perficias, vt liberè dicere poſſis cùm Apoſtolo: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, qui ſolus potens eſt,*

2. Cor. 4. & 8.
Prou. 3.
Prou. 19.
1. Co. 7.
1. Tim. 4.
2. Tim. 1.
Deut. 23.
Eccl. 5.
Prou. 20.
2. Tim. 4.

& iuſtus Iudex. Non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Quoniam ipſi eſt honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.





INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC Libro continentur.


A.

G g

H.

sis

FINIS.




IHS